This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

828
M1 [illegible]
S256

Saumaise, Claude de, 1588-1653

CLAUDII SALMASII

AD

JOHANNEM MILTONUM

RESPONSIO,

Opus Poſthumum.

LONDINI,

Typis *Tho. Roycroft*; Impenſis *Jo. Martin, Ja. Alleſtry,* & *Tho. Dicas,* ad Inſigne Campanæ, in Cœmiterio D. *Pauli.* MDCLX.

Pickering
7320
Engl. Hanford
6-2-1922
gen

CAROLO II,

DEI GRATIA;

MAGNÆ BRITANNIÆ,

ET

HIBERNIÆ REGI,

FIDEI DEFENSORI,

CLAUDIUS SALMASIUS,

CL. F.

FELICITATEM.

NOn fuit mihi deliberandum, *REX SERENISSIME, cui Parentis mei ad* Johannem Miltonum *Reſponſionem conſecrarem; quippe tua eſt, cum Juris Regij dignitatem, in Anglia Tua per annos complures immaniter peſſumdatam; nunc vero à Te feliciter erectam*

3-15-27 EHW

400736

erectam tueatur. Nec minori jure ad Te ea mihi pertinere videtur, quam ipſa Defenſio Regia; quæ juſſu Tuo ſcripta, Tuoque nomini ab illo inſcripta eſt. Hæc vero cum turbidis, & triſtibus, ut fuerunt hactenus, regnorum Tuorum Temporibus cudi cœpta fuerit: nunc in maxima felicitatis meæ parte repono; quod Majeſtatem Tuam ſolio paterno, patriæ, bonisque omnibus, velut poſtliminii jure, inter fauſtas populorum acclamationes redditam nanciſcatur: quos ſi quis furor ob officii limite tranſverſos egit hactenus, nihil illis, quæ Tua clementia eſt, præter peccandi deinceps licentiam, ademiſti. His artibus, vere Regiis, tandem orbis ille Tuus, rebus undique pacatis, conquieſcet, eritque in poſterum Tibi imperium ſecurum, domus tuta, populus fidelis, Senatus probus; quæ, ne inter Vota Publica tacuiſſe videar, ut æterna ſint obnixe voveo. Divione, *Calend. Septemb. MDCLX.*

AD

AD JOHANNEM MILTONUM RESPONSIO.

PRÆFATIO.

PRodiit in lucem, ante biennium, & quod excurrit, Defenſio Regia pro Carolo primo; qui ſacrilego auſu, & ſcelere non ante alias audito, ab impiis & rebellibus civibus, non aliam ob cauſam, quam quod Rex erat, & quia regnare ipſi volebant, parricidali cæſus eſt ſecuri. Expertum eſt illud ſcriptum varia hominum judicia, non ſolum heic in Hollandia, ſed aliis in locis, prout auctor, vel cauſa his, aut illis placuit, diſplicuitve. Plures tamen de eo judicarunt, ſicut res ipſa poſcere viſa eſt, atque ut atrocitas criminis merebatur, damnaruntque uno ore facinus, quod nemini ferme, exceptis his qui perpetrarunt, aut qui partem in illa nefaria conſpiratione habuerunt, non potuit videri niſi deteſtandum, & in auctores flammis ultricibus vindicandum. Cucurrit illa Defenſio per manus & ora vulgi, pluribus publicata editionibus, & in varias converſa linguas, anni ſpatium, & amplius, prius quam maleferiatus aliquis occurrerit; qui refellendæ poſſet, aut vellet operam inſumere. Quærebant, ut apparet, infandi parricidij auctores aliquem inter ſuos, huic cauſæ tam malæ bene tractandæ idoneum, nec inveniebant: ſed tandem tandem prorepſit è gurguſtio ſuo tenebrio quidam, & ludi trivialis magiſter Londinenſis; qui ſeſe obtulit de tali reperiundo, qualis ipſe inventus eſt laborantibus, & ſpondere auſus eſt, hanc provinciam, ſi ſibi demandaretur, non ignaviter, nec inſtrenue eſſe exequuturum.

rum.

tum: Omnibus ſe abundare, quæ deſiderari poſſent, ad id opus exaſciandum: Frontem ferream, cor plumbeum, animum improbum, malam linguam, ſtylum atrocem; Maledicendo neminem ſibi poſſe eſſe parem; calumniatorem, Sycophantam, impoſtorem nuſpiam exiſtere, à quo vinceretur, & quem non vinceret. Convitiorum domi plenas ſe arcas poſſidere; quæ, ſi tot nummis refertæ eſſent, poſſe Picos anteire divitiis, qui montés aureos colunt. Nec ſe quidem hoc promittere, ut de peſſima cauſa bonam concinnaret, quis enim id poteſt? ſed omni tamen ope enixurum, ut fucum faceret credulis, & plurimum mentiendo minus cautis imponeret. Aut parricidium nulla ratione defendi poſſe, aut ſe ita defenſurum eſſe; ut appareret iisdem artibus, quibus eſſet commiſſum, etiam fuiſſe defenſum. Et ſane plus, quam promiſit, præſtitit, immo plus etiam, quam ab ipſo poterat exigi; ita ut expectationem eorum, qui hoc illi penſum impoſuerunt, longe ſuperarit. Nec aliter decuit. *Similes* nimirum invenerunt *labra lactucas*, & ipſa *olla ſibi olera legiſſe* palam eſt. Atque, ut nihil diſcriminis eſſe oportuit inter fabricatores ſceleris & patronum, quantum ad improbitatem attinet, hoc ipſo felices licet dicere parricidas Anglos; quod nacti ſunt facinoris ſui defenſorem, qui parricidali animo paratus, & ſimili impietate inſtructus, ad perduellionis cauſam agendam, ipſe perduellium teterrimus, præſto eſſet. Illi, ſecuri carnificis, Regis ſui cervices amputarunt: iſte carnifex memoriam Domini, æque ſui impio & crudeli ſtylo, cruentavit. Quem illi tanquam tyrannum ſe occidiſſe videri volunt: iſte vel Nerone ipſo crudeliorem traduxit. Et hæc quidem facta, dictave, nullam à nobis aliam vocem exprimere poſſunt, nec ut aliud de his judicium feramus, extorquere; quam eſſe nefarios & ſceleratos, qui ea fecerunt, & dixerunt. At, cum iidem per ſuum iſtum pariter atque ipſi ſunt parricidam, & parricidarum amplius advocatum, gloriantur; Non à ſe hæc patrata eſſe, ſed ab ipſo Deo; non tanquam hominum facta prædicari debere, ſed ubique præſentem teſtari Deum, illius manifeſto numine ad hoc facinus edendum erectos fuiſſe, illum ſe ducem eſſe ſequutos, & mandata ejus exequutos; impreſſa paſſim divina veſtigia venerantes, viam haud obſcuram, ſed illuſtrem, illius auſpiciis commonſtratam & patefactam, ingreſſos ſe eſſe: quis aliam ſuper his mentem poſſit induere, quam aliam opinionem de his haberi, niſi quod tales in ipſum Deum magis videri debeant quam in homines; cum eum horribili blaſphemia ſceleris ſui ſuaſorem, autorem, ducem, mandatorem, & tantum non exequutorem faciant? Quis ſine deteſtatione & execratione ſumma poteſt hoc in Miltoni ſcripto legere, *Deum manifeſto Numine ſe oſtendiſſe hominibus impiis*, clarifica etiam voce præſentem præſentes adhortatum eſſe, impuliſſe, & penè coegiſſe; ut in Regem

arma

arma ſumerent, ut bello eum perſequerentur, ut caperent, ut captum incarcerarent, ut variis artibus, ſtrophis, mendaciis deluderent, & ut poſtea capitis ſupplicio per carnificem publice afficerent, per mille prius contumeliarum & ignominiarum genera tractum, & traductum? Deus bone! potes hæc videre, & audire, & talium impunitatem iſtis naturæ humanæ monſtris concedere! Non eſt iam, quod quiſquam miretur, poſt necem infamem Regi ſuo illatam, poſt tot calumnias, quibus vitam ejus & deinde memoriam conati ſunt obruere, poſt denique tot blaſphemias, quas in Deum ipſum evomuerunt; quod Salmaſium, quia auſus ſit exprobrare rebellibus quod fecerunt, & quia Regis perſonam adverſus eorum calumnias defendere aggreſſus eſt, & injuſte ab iisdem condemnatum affirmare; quod Salmaſium, inquam, Miltonus, ille ſanguinarij ſubſellij advocatus, tot maledictis & conviciis oneraret. Nempe, cum non alia illi ſuppeterent argumenta, quibus cauſæ ſuæ patrocinaretur, ſatis eſſe putavit ad obtinendum quod voluit; ſi eum vocaret Nebulonem, Atheum, Satanam, Diabolum, Furciferum, Verberonem, Maſtigiam, Hiſtrionem, Eunuchum, & ſexcentis aliis probroſis, ſe dignis, & Salmaſio indignis, compellationibus perfunderet. Qui fanaticos illos eſſe, qui latrones, ſicarios, perduelles, & parricidas demonſtravit; convitiator non eſt, nec calumniator: quos conſtat contra Regem ſuum rebellaſſe, & patibulo eundem impoſuiſſe. Sane, qui poteſt quod majus eſt facere; facile poteſt, quod minus. Optimus Rex *Tyrannus* illis dictus eſt, & pro Tyranno decollatus: an ergo Salmaſius debuit iniquo animo ferre, ſe ab illis haberi pro furcifero? Hæc dicunt, qui furca ipſi digni ſunt; immo qui, tanquam parricidæ, Vivi-comburium meruerunt. Inter convitia, quibus Salmaſium aſperſit Miltonus, Profeſſoris etiam titulus eſt; quaſi ſcelus ſit majus eſſe Profeſſorem, quam parricidam. Si hoc in iſtis æque falſum eſſet, ut illud de Salmaſio non verum, nihil unquam quiſquam habuiſſet, quod in illos diceret. Sed quis hoc Salmaſio objicit? Ille, qui ludimagiſter in Schola triviali Londinenſi fuit, & cui magis ad divitias compendiaria viſa eſt via, Regis vitam oppugnare, & advocationem parricidio quo ſublatus eſt præbere; quam pueris dictata præſcribere, & Gloſſemata docere. Ejuſdem porro hominis eſt, uxorem ſuam poſt annum nuptiarum, neſcio quas ob cauſas, quas ipſe noverit, repudiare, & repudium omne quacunque de cauſa factum legitimum eſſe tradere, & alienarum uxorum famam calumnioſis dictis lacerare. Homuncionem multis locis appellat Salmaſium. Sane, cum illa legerem, putabam hominem eſſe Gigantibus longitudine haud abſimilem. Relatum quippe eſt mihi ab illis qui viderunt, eſſe ſtatura Pumilionem, malitia Gigantem. Sed neque hæc, neque illa refellere fert animus; quæ in ipſum quadrare optime. Salmaſio

parum convenire, qui utrumque noverunt, ſatis ſciunt. Et ſanè uſu idem illi Miltono evenit, quod iis, qui adverſus cœlum ſpuunt, ut propriis inquinamentis ex alto in faciem recidentibus commaculentur. Hæc omnia tamen craſſum ventrem, & obeſum, impuro ejus libro conciliarunt, cætera jejuno & macro. Demptis quippe petulantis linguæ ſordibus, intra paucas redigeretur paginas, & eas quidem Deo plenas; ſed Deo ſceleris, quod ipſi admiſerunt, auctore, ductore, monſtratore, mandatore, quod ubique inculcat, aut calumniis in Regis perſonam, aut mendaciis contra jura & privilegia regalia. Ut cum aſſerit, Parlamentum à populo primum fuiſſe inſtitutum, deinde à Parlamento Regem, qui omnem ſemper habuerit à Parlamento jurisdictionem; tanquam legatus, aut miniſter Parlamenti, imperiis ejus & mandatis executioni tradendis creatus. Hæc omnia refellentur, cætera quæ nihil ad rem attinent, quamvis pro cauſa ſuæ ac defenſionis firmamentis po'uerit Miltonus, inſuper habebuntur. Nunc ergo jam incipiamus *collato pede*, & *ad lineam*, ut dicitur, cum Miltono congredi, id eſt cum impura illa Bellua, quæ nihil hominis ſibi reliqui fecit, præter lippientes oculos; quibus tamen acutius videt, quamvis propemodum cœcis, quam mente illa improba furore & amentia in totum occœcata: *Johannis*, inquit, *Miltoni pro populo Anglicano defenſio, contra Claudii Anonymi, aliàs Salmaſii, defenſionem Regiam*. Hæc igitur examinanda. Defenſio defenſioni opponitur: Regia illa, quæ pro Rege, iſti, quæ pro populo: Auctor etiam cum auctore confertur, Celeberrimus cum Anonymo, Johannes cum Claudio, Miltonus cum Salmaſio. In quo & illud facetum animadvertendum, hominis ad riſum facti, *contra Claudii Anonymi, aliàs Salmaſii, defenſionem*. Dic mihi, vir celeberrime, quid iſtis tibi voluiſti? ſcilicet Anonymum eſſe Claudium; Cur illi ergo duo nomina tribuis, ſi Anonymus eſt, Claudii & Salmaſii? Idemne tibi eſt Anonymus, & binominis! Ut es homo doctus, fortaſſe ignoraſti, cum quæſtio eſt de ſcripto vel opere, cujus auctoris nomen neſcitur, *Anonymi* eſſe dici. Nam ἀνώνυμος, idem quod ἄδηλος. Hîc Claudium vocari ais, quem aliàs Salmaſium, & tamen utrumque eſſe vis Anonymum. Si pro incelebri & ignoto tibi placet accipi, equidem fateor lubens te ratione non carere, & Salmaſium fortaſſe Miltono de celebritate nominis concedere debere. Sed quis ille Miltonus? Unde domo? Quis eum audivit nominari, ante hanc ſuam defenſionem pro populo Anglicano? Eam & multi negant illum auctorem debere agnoſcere, niſi ſolo titulo. Conſcriptam enim eſſe à Ludimagiſtro quodam Gallo de trivio, qui Londini pueros nihil ſapere docet; nam Miltonum ipſum qui penitius noverunt, Latine ſcire, aut ſcribere poſſe, ſerio negant. Ego aliter ſentio.

Nam

Nam ſi poëta eſt Miltonus, & non humilis quidem ſpiritus, cur non etiam orator eſſe queat diſertus? At de poëticæ muſtaceo laureolam ſibi quæſiſſe, poëmata ejus arguunt, in quibus p-trem ſuum ſe poëtam genuiſſe gloriatur. Non meliorem tamen poëtam eſſe, quam civem inde apparét; quod, ut malus civis, contra leges patriæ peccat, perduelles ejus defendendo; ita & peſſimus poëta ſæpius leges metricas violat, breves pro longis, & longas pro brevibus ponendo. Sic ultimam in *quotannis* corripit, primam in *parmiſſet*, etiam primam in *ſemifracta*, & in nomine *opus*, ſecundam in *Jacobus*. Alia multa paſſim in iis committit, quæ & Grammaticam & Latinitatem lædant. *Belgia* illi eſt pro Belgio. Sic *Gallium* poſſet dicere prô Gallia, *ſurdere ad predes*. Aves *augures* appellat, cur non etiam *aucupes* aves dicentur, *ſtelliparum* cœlum appellat, qui ſtellas ſcilicet pariat. Alia infinita ſunt, quæ omitto, ut verſus abnormes; qualis iſte eſt, *& callebat avium linguas*. Tametſi ætatem illis, quâ ſcripta ſunt, non appoſuiſſet, facile tamen perſpicere poteramus pueri eſſe poëmata. Sed puerilia errata præſtare debet jam vir, cum & paucos abhinc annos recudi Londini curaverit.. Si ſty'us hic ejus ſemper fuiſſet, & amoribus cantandis aut næniis mortualibus plorandis tempus tantum impendiſſet, peſſimum poëtarum longe anteferrem optimo patronorum, qui peſſimam cauſam tueretur. Mallem ſane plumbei vatis hebetem calamum, quam ferrei carnificis, aut carnificum defenſoris acutam ſecurim. Cæterum apparet acuti oratoris, & non indocti, nec inſulſi hæc eſſe verba, ut ea repetam, nam mire perplacent, *Claudii Anonymi, aliàs Salmaſii*. Multi certe ſunt Claudii Anonymi, fortaſſe & Salmaſii, ſed ille *Claudius*, qui aliàs appellatur *Salmaſius*, an etiam is ponendus inter Anonymos? Patet vel hinc non eſſe, cum aliis dicatur Claudius, aliis Salmaſius. Utroque ergo nomine, vel utroque cognomine notum eſſe oportet, vel duo itaque nomina habet ſine ullo cognomine, vel duo cognomina ſine ullo nomine. Quid ſi aliquis ad hunc quoque modum te nominaret, *Johannis Anonymi, aliàs Miltoni*, quid diceres, Miltone? Acciperes, an refutares? Poſſes melius inſcribi hoc modo, *Johannis Aſini, aliàs Multonis*. Nam Multo vervex eſt etiam Anglis. Sed tam placidorum animalium nomina feroci beſtiæ, qualis eſt Miltonus, non conveniunt. Verius ſcriberet, *Tygridis, aliàs Leopardi*, vel *Lupi, aliàs Moloſſi*, aut ſi quæ alia bellua feritate immanior eſt Moloſſis, Lupis, Leopardis, & Tygribus. Sed hæc ſunt non tanti; nec ad rem pertinent, niſi ut homines qui te ignorant, non ſolum quam ſceleratus ſis & perfidus, ſed etiam quam ſtultus & ineptus, intelligant. Illud vero quantivis momenti, quod defenſionem, Miltone, te inſtituiſſe præſcribis, *Pro populo Anglicano*. Hanc tunc pro populo Angliæ? An iſte populus, cujus curam Rex moriens, extrema hora,

verbis ſuis ultimis habuit, & pro cujus ſalute Deum oravit? An iſte populus Anglicanus, pro quo loqueris, qui nunc ſub ſæva gemit tyrannide,& qui,ſi poſſet revocare à morte regem ſuum, maxime vellet, aut hæredi ejus thronum reddere, & veteris regiminis formam, quæ in Anglia ab omni ævo obtinuit, reſtituere? An iſte populus, Miltone, tibi mandavit, ut cauſam ſuam ageres, & crimen defenderes? Quid ille vero mali fecit, aut commeruit? Numquid à Rege ſuo deſcivit? Bellum ei intulit? Captivum carnifici poſtremo dedit? Quinimo carnifici,ſi poſſet, libenter traderet omnes illos; qui Regem ſibi optimum nefario ſcelere, & immani furore,ademerunt. Melius,& verius, Miltone, defenſionem iſtam tuam inſcripſiſſes, *Pro Rebellibus Angliæ*, ſive *Pro factione Brownistarum & Independentium.* Iſti ſunt, qui Regem necaverunt, quique tua Defenſione opus habent. Pars populi exigua, non populus totus. Plebis infimæ portio, non plebs univerſa. Gregalium militum numeri cum ſuis ducibus; non proceres ac nobiles regni,non ambæ Senatûs domus,legitime congregati:non deniq; populi pars ſanior;ſed Sectarii,Anabaptiſtæ,& alii,quibus inter articulos fidei,quam profitentur,hic unus habetur,Regale officium in terris ceſſaſſe poſt Chriſti adventum, quem ſolum regnare in hoc ſeculo debere,& ad quem ſolum regnum terreſtre, haud minus quam cœleſte, aſſerunt pertinere. Immo ipſe in ſequentibus ſatis aperte fateris, non te populum Anglicanum defendere, non Senatum; ſed ſolos, cum duce parricidarum, milites rebelles: cum iis ſolis laudem tribuis præclari, ut vos dicitis,facti, ut omnes boni opinantur, fœdiſſimi, quod poſt homines natos peractum ſit, facinoris. Ergo non tua pro populo Anglicano defenſio eſt, ſed Salmaſiana potius, hoc nomine digna; quæ tota in eo verſatur, ut Regem defendat, ac proinde, cum pro Rege ſit, etiam pro populo eſt, qui Regis fuit, quique etiam nunc Regis filio & hæredi legitimo addictus eſt, inſtituta videri debet. Nam qui ex Anglia hodie veniunt, palam prædicant, populum Anglicanum ferme totum, nihil aliud optare, nihil in votis magis habere, quam ut Regem ſuum, ſibi reſtitutum, tyrannos autem, qui nunc dominantur, à cervicibus ſuis remotos videant; pacem eos velle, non minus cum vicinis, quam cum ſuis civibus. Nam quamdiu ſub his tyrannis vivent,vident perpetua ſibi bella in mundo futura, partim inteſtina, partim externa, atque etiam ſimul utrumque. Si numerentur hodie in Anglia, immo in toto Britanniæ regno, qui pro Rege ſunt, & qui contra Regem; vix centeſima pars favere tyrannis & perduellibus reperietur. Defende igitur, Miltone, perduelles iſtos tuos, ipſe perduellis; non populum Anglicanum, qui ſic defendi non vult, qui defenſorem hunc ſuum patibulo & reſti dignum judicat, nec vellet mitiori ſupplicii genere eos puniri, quorum iſte de-

feníionem

defenſionem aggreſſus eſt. At Regia Salmaſii defenſio revera etiam pro populo eſt, quatenus populus à Rege ſuo dividi non poteſt, neque Rex à ſuo populo. Non eſt, quem dicis, ille Anglicanus populus; injuriam illi facis; non defendis, ſed impugnas, cum perduellionis ipſi crimen affingis, cum eorum numero comprehendis, quos ſempiterna Regis ſui occiſi, & ſic occiſi, premet infamia. Jam dignum parricidii Patronum audiamus. Se daturum ait, *res neque parvas, neque vulgares, Regem potentiſsimum, oppreſsis legibus, religione afflicta, pro libidine regnantem, tandem à ſuo populo, qui ſervitutem longam ſervierat, bello victum, inde in cuſtodiam traditum, &c. cum nullam omnino melius de ſe ſperandi materiam, vel dictis, vel factis praeberet, à ſummo demum regni concilio capite damnatum, & pro ipſis Regiae foribus ſecuri percuſſum.* Recte auſpicatus eſt improbus patronus impiam defenſionem facti ſcelerati perditorum latronum, ab impudentiſſimis mendaciis. Nihil enim in his veri praeter factum de nece Regis; quod ita ſe habet, ut narrat homo ſincerus: nihil quod non vere retorqueri poſſit in autores parricidii. Quis oppreſſit leges, Miltone? Non Rex; ſed illi, qui in Rege necando omnes regni leges, omnia jura, divina, & humana, violarunt. Quis religionem afflixit? Non Rex; ſed illi, qui omnes ſectas receperunt, eaſque nunc tolerant, etiam quaſdam Chriſtum negantes, Scripturam ſacram non agnoſcentes, Sacramenta abolentes, orationem Dominicam exterminantes, & plura alia dogmata, Chriſtianae fidei & profeſſioni in totum contraria, tenentes. Utrum Rex pro libidine regnavit, an illi qui nunc rerum potiuntur, qui nec dicere poſſunt, quae forma ipſis magis placeat regnandi, quia certam nullam habent, niſi quam ipſorum libido ſibi finxit, & quam ad incertos omnes caſus accommodant, & pro arbitrio variant, in hoc uno certi, quod cum Regio more imperent, & legitimi non ſint Domini, hoc ipſo ſe tyrannos eſſe manifeſtis rebus oſtendunt. *A populo ſuo, qui ſervitutem longam ſervierat, bello victum, & in cuſtodiam traditum.* Eſt idem iſte populus Anglicanus, Miltone, cujus cauſam agere te dicis, & qui Regem ſuum bello perſecutus eſt, vicit, captivum abduxit in carcerem, & capitali ſupplicio affecit. Nempe exercitus ille rebellium, quem populum ſuum nunquam Rex vocaverit. Apage. Nugas agis. An populus ſuus hic Regi, qui de Rege ſuo tyrannum & hoſtem fecerunt, & carnifici tradiderunt! At populus vere Anglicanus, qui ſe Regis ſui eſſe ſemper dixit, qui etiam nunc dicit, hic, inquam, populus, qui jam ſervitutem ſervit duriſſimam ſub tyrannis, & qui liber fuit ſub Regibus ſuis legitimis: voces quotidie audiuntur iſtius populi Reges ſuos deſiderantis, & novam tyrannidem perditorum & nefariorum hominum, qua premuntur, deteſtantis. *Cum nullam omnino melius de ſe ſperandi materiam,*

vel

vel dictis, vel factis praberet. Quid ergo? Si ullam de ſe ſpem meliorem dediſſet, potuit ſervari? Ego vero jam, ſi ita eſt, vel tuo judicio vincam non jure occiſum. Nam falſiſſimum id eſſe quod aſſeris, acta Parlamenti teſtantur, quibus judicatum fuit, Regem omnia conceſſiſſe, quæ facere poſſent ad pacem regni in ſolido locandam. Sed cum hoc non placuiſſet ſeditioſo & rebelli exercitui, vis illata fuit comitiis. *A ſummo demum regni concilio damnatum.* Tune, homo impudentiſſime & ſceleſtiſſime, concilium regni ſummum audes vocare cœtum potius latronum, quam judicum, contra jus, contra fas, contra leges & conſuetudines regni congregatum, & ex aliquot militaribus viris & fæce plebis Independentium compoſitum conciliabulum, à ducibus exercitûs coactum, & non ad judicium, ſed ad condemnationem Regis comparatum. Ut ipſe furore cœcus es, non minus mente, quam corpore, vis omnibus eamdem animi cœcitatem imponere, ut ignorent quid actum apud vos tum fuerit, & quid nomine Parlamenti vel ſummi regni concilii Angli ſemper appellare conſueverint, curiam nempe magnam, vel concilium magnum, quæ & curia Regis, & concilium Regis, & Regis Parlamentum, paſſim in actis & ſtatutis Parlamenti appellatur, quod ex Rege & nobilibus & plebeiis conſtabat. Si ad hoc exemplum fuit, iſtud concilium regni ſummum quod appellas, damnatum Regem ab hoc concilio fuiſſe fatebor. Sed ne ſic quidem fateri cogar, jure damnatum à tali concilio, cum per leges regni nullam unquam in Regem ipſum jurisdictionem habuerit, ſed in Pares tantum regni, de quibus & judicare poterat; non vero de Rege, in quo ſummum erat imperium, ut in illo Senatu ſummum conſilium, ſicut infra pluribus docebitur. Numera jam quot falſa ſunt in hac tua defenſione? omnia ſunt. Et hæc tamen ejus principia ſunt & fundamenta, quæ quam infirma ſint, cum facile jam recognoſcas, nihil quod non per ſe ſtatim ruat, ſuperponi his poſſe, ſentis ipſe, ſi bellua ſenſum habet. *Statim,* injicit homo furioſus, *ſe ea dicturum eſſe, quæ ad levandos magna ſuperſtitione hominum animos multum conferant, quo jure,* inquit, *præſertim apud nos judicatum hoc atque peractum ſit.* En mirum artificem tyrannidis, & rebellionis in Reges! cui *ſuperſtitionis* nomine & quidem magnæ venit, quæ omnibus populis, in omnibus ætatibus inſita fuit, & impreſſa, de Regum ſanctitate, & ,ut novo vocabulo dicam, *inviolabilitate*; ſed & Verbo Dei & legibus divinis imperata & ſancita. Non audet tamen, quamvis non ſit multum ſuperſtitioſus, nec admodum meticuloſus, ſed ſumme improbus & audax, idem juris apud omnes conſtitutum eſſe, dicere; *quo jure,* inquit, *præſertim apud nos.* Ergo vos Angli peculiare jus hoc habetis Regum in jus trahendorum, & ſupplicio per carnificem dedendorum. At ubi jus illud ſcriptum ſit, quale ſit, quando in uſu eſſe cœpe-

rit, quibus ex legibus manarit, non doces: nec Parlamenta unquam tui potuerunt id demonſtrare, cum tamen in omnib ſcriptis ſuis Apologeticis, hoc jus ſibi datum eſſe, ſe patriæ l gis auctoritatem ſequutos eſſe paſſim proteſtentur. Sed qua falſo, vel ipſius Miltoni teſtimonio convincam, qui ſub fine defenſionis ſuæ diſerte ſcribit. *Hoc facto, Anglos primos mort lium non dubitaſſe, devictum armis ſuis Regem & dediticium, i clyto judicio judicare, & condemnatum punire.* Ergo nulla gens a tea tale quid unquam in Reges auſa fuit, ne ipſa quidem A glicana. Exemplum hoc itaque primi prodiderunt de Regis c pite judicandi, & ſupplicii ſummi in eum conſtituendi. Hoc j itaque, cujus nuſquam ſimile aliud in ullo populo uſitatu legitur, etiam primi ſtatuere. Non igitur jus gentium pot dici, quod nullæ gentes habuerunt, ne Anglicana quidem an hoc factum. Non jus naturale appellandum, quod ſi è natu fontibus manaſſet, jam pridem & multis nationibus cognitu & uſurpatum foret. Eodem loco ſcribit, *qua duo ſunt maxima hominis vita mala, Tyrannis & ſuperſtitio, iis Deum Anglos prim gentium liberaſſe.* Quaſi vero nullæ olim gentes tyrannide o preſſæ, & ea liberatæ fuerint, & quaſi Rex Carolus primus i ter Reges nomen tyrannidis cum re ipſa in Angliæ regnum i duxerit. Illud etiam videtur velle, omnes, quæ antea cogni fuere, gentes, & quæ nunc ſunt, ipſos etiam Anglos, ante h poſtremum facinus, ita hac opinione, quam iſte furcifer app lat *ſuperſtitionem*, tanquam magno vitio laboraſſe, quod put rint, Reges ob maleficium puniri capite non poſſe. Sed Deu tandem miſericordem, & ex peculiari qua proſequitur gente Anglicanam gratia eos demum utroque malo liberaſſe, tyra nide & ſuperſtitione. Itane, homo ſacerrime, de Deo tibi plac ludere, ut religionem quam ipſe ſanxit ſanctiſſimam, qua R ges populis ſuis reverendos & colendos ſtatuit, non facto, n dicto ullo violandos, pro ſuperſtitione traducas? Ut liberat tyrannide ſuſtineas affirmare, qui de fumo in ignem cecidere, qui pro Rege uno legitimo, quem longa ſucceſſionis ſeries ip dederat, & quem jus regnandi hæreditarium multorum ſæc lorum poſſeſſione in ſolio firmarat, novos & plures tyrann cervicibus ſuis acceperunt? Nonne iſti ſunt, qui ſub ſpecie bertatis regnum everterunt, & nunc, everſa poſtmodum lib tate, imperio ad ſe tranſlato, tyrannice dominantur? Paulo p in hac eadem præfatione laudibus ad cœlum uſq; extollit m jeſtatem populi Anglicani, hoc eſt conjuratæ illius factio parricidarum, qui Regem ſuum ſummo ſcelere trucidarun Operæ pretium eſt fanatici latronis ſtolide declamantis, imn rabioſe latrantis, voces inſanas audire: *Quæ cujus ullius Re alto ſolio ſedentis majeſtas tanta eluxit, quanta tum populi glicani effulgebat, cum, excuſſa illa veteri ſuperſtitione, qua*

invaluerat, ipſum Regem, ſeu potius de Rege hoſtem, qui ſolus mortalium impunitatem ſibi divino jure vindicabat, ſuis legibus irretitum, judicio perfundere, & quo is quemcunque alium ſupplicio affeciſſet, eodem ſontem ipſum afficere non vereretur. Magnum profecto & amplum oportet iſtud ſolium fuiſſe, in quo populus Anglicanus ſedere totus potuerit, & quidem tanta cum majeſtate in eo ſedem eluxerit, quanta nullius unquam Regis alto throno inſidentis potuit ſplendor & magnificentia vel animo concipi. Atqui iſte populus Anglicanus, ne quis erret in poſterum iſta Miltoni loquutione deceptus, Cromwellus eſt, cum ſuis ſatellitibus, & adminiſtris, ducibus, tribunis, & centurionibus rebellis exercitûs. Et notandum heic etiam ab illo vocari *ſuperſtitionem*, ſtultam iſtam opinionem, quæ non vult licitum eſſe Regis tradi carnifici, quam diu dicit invaluiſſe in Anglia, id eſt ab omni ex quo Anglia regnata eſt tempore, uſque ad hoc tempus, quo Cromwellius eam ex animis hominum excutere inſtituit, pulcherrimo facinore à Deo ipſo præſente, & manifeſto numine ſe hominibus oſtendente, mandato & juſſo, inquit, *Regem, ſeu potius de Rege hoſtem.* Certe iidem hoſtes, advocati, teſtes, judices ad Regem capite condemnandum convenerunt. Quod & ipſum nunquam ante id tempus viſum aut auditum fuit. *Legibus ſuis irretitum judicio perfundere.* Quæ ſunt iſtæ leges Regis, quibus eum irretitum fuiſſe contendis, & ſupplicio affectum? Potes memorare ullas unquam leges, vel à Rege ipſo qui necatus eſt, vel ab ullo majorum latas, quæ Regem per carnificem tolli jubeant? Quin è contrario leges omnes Angliæ tam longe judicium omne capitale & carnificem à corpore & capite Regum removent, ut nulla nec criminali, ne civili quidem actione, pulſari poſſe ſanciant, ſi quid ab eo petatur. Vis teſtem, cujus & ipſe teſtimonio uti non dedignaris? En tibi Bractonus de rerum diviſione, cap. 8. *Si autem ab eo petatur, cum Breve non currat contra ipſum, locus erit ſupplicationi, quod factum ſuum corrigat & emendet; quod quidem ſi non fecerit ſatis, ſufficit ei ad pœnam, quod Dominum expectet ultorem. Nemo quidem de factis ſuis præſumat diſputare, multo fortius contra factum ſuum venire.* Nemini licere ait de factis Regis diſputare, multo minus contra factum ejus venire. Nec hoc privilegium fuit Regum Angliæ, ut nemo in eorum regno de his poſſet judicare: ſed jus omnium omnino qui unquam regnarunt, regnant, aut regnaturi ſunt cum poteſtate regali. Hæc enim nota, ita dixerim, regiminis regii eſſentialis ſemper habita eſt, τὸ ἀνυπεύθυνον, ut Græci dicunt, & ἀνυπεύθυνον· hoc eſt, nulli judicio, aut pœnæ ex judicio ſubjectum eſſe eum, qui illud adminiſtrat. Falſum igitur, quod hic ſcribit Miltonus de Rege Angliæ Carolo, *ſolum eum mortalium ſibi impunitatem*

Jure divino vindicaſſe. Nam & omnibus regibus tam jus divinum eam impunitatem attribuit, quam jus naturale, idque omnes gentes ſemper & ubique obſervarunt, ut infra pluribus demonſtrabo. Locum Ciceronis heic tantum afferam ex ea pro Dejotaro, quo id quod dixeram plane evincitur. *Primum,* inquit, *dico pro capite regis, quod ipſum, etſi non iniquum eſt, in tuo duntaxat periculo, tamen eſt ita inuſitatum regem capitis reum eſſe, ut ante hoc tempus non ſit auditum.* Cum nulla ergo lex nec in Anglia fuerit, nec in ulla unquam gente ullo tempore lata aut uſitata, qua lege Rex reus fieri poſſet, nullum etiam jus in eam rem conſtitutum licet dicere. Et proinde falſiſſimum eſt, quod Præſes nefandi judicii Regi reſpondit, cùm ab eo Rex quæreret, qua auctoritate, aut quo jure ad cauſam capitis dicendam ad illud tribunal vocaretur, nempe *populi Anglicani jure, cujus electione in regnum adſcitus erat.* Jus ejusmodi nullum fuiſſe vel inde conſtat, quod illud in electione qua Rex in regnum adſcitus fuerat, poſitum aſſeverat, etenim electione non fieri Reges Angliæ, ſed naſci, juris eſt minime controverſi. Quo magis ſane mirandum eſt non ſolum hic à Miltono ubique quæ manifeſta omnibus ſunt, negari, ſed ab illo tum parricidalis judicii præſide tantam impoſturam coram rege ſuo, & tota corona audiente, pronuntiatam fuiſſe & aſſertam. Atqui ne in illis quidem regnis, quæ non ſucceſſio per hæreditatem confert, ſed per ſuffragia tribuit electio, locum iſtud jus habere poteſt, nec vere unquam habuit, quo Reges cauſam capitis dicere lex ulla coegerit. Nam certe quamdiu Reges in ſtatu manent, non poſſe capitis eos poſtulari pluſquam certum eſt, quia nullum in regno parem habent, qui de his cognoſcere & judicare queat, nedum ſuperiorem. Regno exuti ſi à civibus ſuis fuerint, hoc ipſo ſatis pœnarum paſſi videri poſſunt. Hoſtes vero cum declarati ſunt, ſi ſe armis defendant, & vincantur, tanquam hoſtes tractari debent, non in judicium vocari, aut lege rei agi. An ulla lex eſt, quæ jubeat hoſtem ſub hoſte judice capitis judicio contendere? Sed prius quam ex hoc loco diſcedamus, reſponde, Miltone, ſi tanti id putas, quid ſit quod hic poſuiſti, *ſuis legibus irretitum judicio perfundere?* Ubi hoc mihi explicueris, tum te fatebor non leviter tinctum & perfuſum Latini ſermonis peritia, ſed penitus imbutum: pro cæteris autem tuis factis dictiſque dignum dicam videri, qui pice ardenti, vel oleo fervente, perfundaris, uſque dum animam effles nocentem, & carnifici jam pridem debitam. Impoſuiſſe videtur homini imperito locus ex Oratione Ciceronis pro Roſcio Amerino, mendoſus; in quo vulgo legitur, *judicio perfundere* pro *perfodere*, quod alibi dixit *judicio conficere.* Alii in eam verbis ſcribunt. *judicio peſſundare.* Omnino certe *Perfundere* ibi in vitio cubat. Proprium hoc verbum lavantium

in

in Balneis, qui aquâ in ſolio perfundebantur; unde Παραχύται, vel Περιχύται, quorum hoc munus fuit in Balneis. Sequitur apud Miltonum; *Et quæ is quemcunque alium ſupplicio affeciſſet, eodem ſontem ipſum afficere non vereretur.* Hæc ejus nempe mens eſt, & ratio, non alio jure in quemlibet civem regni ſui Regem uti poſſe, quam in ipſum liceat uſurpare cuilibet è ſubditis ſuis. Quod idem eſt dicere, ac ſi quis contendat paria jura eſſe ſervorum in dominos, & dominorum in ſervos; liberorum in parentes, ac parentum in liberos. Ergo, ſi Rex minimũ de plebe ſibi ſubjectorum, ob aliquod delictũ, curaverit puniendum; eadem pœna & ipſum manebit, à civibus ſuis irroganda, prout erit peccatum, quod commiſerit Rex, verberibus, aut carcere, aut vinculis, vel exilio, aut relegatione, ſi reducantur antiqua ſupplicia, opere, metallo, beſtiis, etiam ſuſpendio, cruce, gladio, vivi-comburio plectetur. Quis Rex hac vellet fieri conditione, ut non plus auctoritatis & poteſtatis in ſubjectos habeat, quam ſubjecti in ipſum? Quæ differentia Regis erit & ſubditorum? Ex tribus formis gubernationis civilis, quæ veteribus ſolæ cognitæ fuere, regalis tota exterminabitur: reliquæ duæ tantum relinquentur, optimatum, & popularis. Nam cur minus habeat juris Rex in ſtatu regali reipublicæ, quam optimates in ea, quæ regitur à paucis, aut populus in ea, cui tanquam Dominus præeſt? Optime Ariſtoteles non eſſe ſpeciem gubernationis civilis aſſerit, in qua Rex legibus ſubjectus eſt: Ὁ μὲν γὰρ κατὰ νόμον λεγόμενος βασιλεὺς, οὐκ ἔστιν εἶδος, καθάπερ εἴπομεν, βασιλείας. Ita ſane nec popularis fuerit dominatus, ubi populus non erit dominus: nec Ἀριστοκρατία dicetur, in qua optimates pares erunt poteſtate, & imperio, reliquis civibus. At æquale imperiũ & dominatũ horum trium reipublicæ generũ rectoribus attribuit idẽ Ariſtoteles, in ſua cuiq; adminiſtratione; Regi nimirum in regali, optimatibus in ſtatu optimate, & populo in populari. Ἀνάγκη δ', inquit, εἶναι κύριον, ἢ ἕνα, ἢ ὀλίγους, ἢ τοὺς πολλούς. *Neceſſe eſt aut unum eſſe Dominum, ſive dominari, aut paucos, aut populum.* At, ſecundum Anglorum fanaticorũ impurã doctrinã, Rex ſolus imperiũ non habebit in regno, ſed populus tantum in populari, optimates in ea, quæ à paucis gubernatur. Immo, ſi recte mentem eorum aſſequimur, ſolius eſt populi poteſtas & imperiũ, in omni ſtatûs & reipublicæ genere. Si prava & fanatica exiſtimanda eſt Anglorũ rebellium doctrina, utpote quæ omnes imperiorũ rerumq; publicarum formas & gubernationes perturbet, confundat, & evertat; multo magis eorumdem impia & perniciosa cenſeri debet opinio, qua Deum omnium flagitiorum & ſcelerum,

quæ

quæ ab hominibus committantur, impulſorem & auctorem eſſe ſtatuunt. Eam non obſcure aſſeruit Miltonus, cum dicit hic, Deum ubique teſtari præſentem ea, quæ perduelles in Anglia fecerunt, qui, quoties ſuæ ſapientiſſimæ menti complacitum eſt, ſuperbos & effrænatos Reges ſolet deturbare. Reges effrænatos quis Latini ſoli inquilinus agnoſceret? Stribiligines loquendi tuas facilius fero, quam impia in Deum verba, nam hæc quis ferat? Cum *populi Anglicani hæc non eſſe facta*; & hoc quidem verum; non enim populus fecit, ſed manus conjurata rebellium, quos quotidie diris devovet populus. Sed quod addis, *non hominum, ſed omnipotentis plane Dei glorioſe & mirabiliter facta*, βλάσφημον eſt & impium. Ut interim hic notem, Latine loqui volentem dictarum fuiſſe, *non ab hominibus, ſed à Deo omnipotente glorioſe & mirabiliter hæc facta*, vel, *facta eſſe non hominum, ſed omnipotentis Dei, glorioſa & mirabilia.* Ubique in ſcriptis tuis certat impuritas linguæ cum mentis improbitate, hæc unco carnificis punienda, illa Grammatici vel ludimagiſtri ferula caſtiganda. Ne quidem gentiles unquam tam impie de diis ſuis ſenſerunt & loquuti ſunt, ut illi eos haberi vellent auctores nefariorum facinorum, quæ homines patrarent. Si quid male aut in ſe aut in alios conſuluiſſe viderentur, id bene evenire ſibi & aliis quod egiſſent optabant, aut in melius verti: vel Deos precabantur, ut id vellent approbare. Nunquam vero mala conſilia, aut pravas actiones quas feciſſent, diis auctoribus attribuebant. Cum Cicero conjurationem Catilinæ detexiſſet & oppreſſiſſet, non opus ſibi videri hoc eſſe humani ingenij, ſed nutu & conſilio deorum immortalium illa fuiſſe à ſe adminiſtrata. Quod ſi Catilina voti compos eſſet factus, & quod animo conceperat affeciſſet, & urbem incendio, & rapinis devaſtaſſet, fana & templa deorum diripuiſſet & diruiſſet; an hoc ipſum, quod Cicero dixit, jactaſſet ſe nutu deorum, manifeſto numine ſuam præſentiam teſtantium, juſſu eorum & mandato præclara illa facinora ſe edidiſſe? Nunquam ſane hoc dixiſſet. Ne latrones quidem qui in ſylvis graſſantur, cum magna præda potiti ſunt, multis viatoribus ſpoliatis & occiſis, gloriari ſolent, id ſe Dei auctoritate & impulſu feciſſe. Solus Mahometes cum vicinos primo populos, deinde & longius diſſitos, injuſtis armis perſequeretur, & ſub poteſtatem ſuam victos redigeret, falſamque domitis religionem inſinuaret, auſus eſt præ ſe ferre, ſe manifeſto Dei præſentis & dictantis numine eam religionem inſtituere; & recipere abnuentibus bellum inferre. Hoc & cum Anglis ſuis rebellibus imitatus eſt, ſummus dux eorum, vel Rex verius, Mahometis ſimius, non ſemiſſis homo, Cromwellius. Hos defendit Miltonus, vix ſembella dignus, qui & ipſe ſimiliter in partem infandi facinoris & ſocietatem

Deum

Deum trahit, immo potius ſceleris ipſum auctorem agnoſcit, quaſi quidquid latrones eo permittente faciunt, id ex ipſius expreſſa voluntate & auctoritate facere videantur. Succeſſuum facilitas hoc illis, ut ita ſentirent, perſuaſit. Eodem argumento & Mahometani uti poſſunt, atque etiam utuntur, ut probent ſe Deo ductore hactenus admiranda facilitate & felicitate majorem orbis partem, armis ſubjugaſſe, & ſubactam nunc poſſidere. In ſequentibus triumphare videtur Miltonus, & nefario parricidio ea gratia exultare, quod ad ejus defenſionem præ cæteris, parricidarum judicio electus ſit, & hoc ſibi ornamento eſſe ducit, quod alio genere armorum poſt ſecurim impactam cervicibus Regis, idem in ejus memoriam vere ſuo edere queat, quam ſtylo atroci & cruento lancinandam ideo ſumpſit. Gratulor ego quoque & ipſi tale ſuper eo judicium perduellium. Non poterant meliorem ad hoc, id eſt, pejorem, optare. Nam ut quis peſſimus, ita ad eam rem optimus. Dignum patella operculum invenit, &, ut Græci proverbio dicunt, ἡ χύτρα ſibi ipſi λαχανεύεται. Mox in Salmaſium Miltonus calces jactat, *quod reipublicæ ſe immiſcere auſus ſit, & quidem alienæ*. Magna hæc ſcilicet audacia. Utinam non major in illis fuiſſet, qui rempublicam, in qua nati & educati fuere, turbare & funditus evertere aggreſſi ſunt, capite ejus occiſo, proceribus regni exterminatis, cædibus & rapinis in omnes ordines graſſati. An hoc levius crimen, quam cujus arguitur Salmaſius ab homine ſcelerato, & flagitiorum quæ perduelles commiſerunt ſocio, conſcio & patrono? Immiſcuit ſe alienæ reipublicæ Salmaſius: Magnum hoc crimen ſcilicet! An non licuit? *Non*, inquit; *quia alienigena, & Grammaticus, quamvis millies neget*. Certe merito negat. Et ipſe Miltonus recte negari fateretur, ſi Latine intelligeret, aut Græce. Sciret quippe Græcos & Romanos non alium Grammatici appellatione noviſſe præter eum, qui publice doceret, ac legeret, poetas & hiſtoricos, eoſque explicaret. Quod utique Salmaſium feciſſe nunquam probaverit. Si tamen eam artem illum exercuiſſe pertendet Miltonus, poſſit Salmaſius meliori jure & majori cum veritate contendere, Miltonum alterum ex duobus larvatis carnificibus fuiſſe, qui Regi caput deſecuerunt. Sed age, demus huic Ludimagiſtro quod vult. Grammaticus ſit Salmaſius. An propterea alienæ reipublicæ geſta litteris mandare non potuit? Quam multos olim Grammaticos in eo campo decurriſſe conſtat, ut Græci Latinas, Romani Græcas hiſtorias conſcriberent! Quod alienigenis & Grammaticis olim licuit, cur non hodie liceat? Hoc vetat Miltonus, poſtquam de pedaneo magiſtro ſecretarius Parlamenti rebellis factus eſt. Dic, Miltone, ſi Salmaſius perduellium cauſam ſuſcipere ac defendere conatus eſſet, numquid eum aliquid feciſſe, quod

nolles,

nolles, argueres, & eo nomine quod egiſſet improbares, quia Grammaticus eſſet, & alienigena? An non tibi venit in mentem, ſi quid habes mentis, cauſam hanc eſſe communem Regum omnium, quam Salmaſius defendit? Poteſtne fieri ut non videas, quamvis cæcus ſis, non ad alienam tantum rempublicam hoc pertinere negotium, cui ſe illum dicis immiſcuiſſe, ſed ad eam quoque, cujus eſt civis? Regem ſuum Salmaſius, ſi neſcis, illo ſcripto etiam defendit, non tantum tuum, licet tuum eſſe nolis: ſed dum tuum & ſuum, etiam omnes. Nonne ii vos eſtis, qui non contenti veſtrum decollaſſe, ſecurim illam ſceleſtam alte elatam univerſis totius orbis civibus regumque ſubjectis oſtentatis, ut exemplum ſequantur? Quinimo palam & aperte omni ſermone jactare non dubitatis, ſi veſter ſtylus ubique valeret, nullum propediem Regem futurum, qua patet orbis Chriſtianus. Quid igitur mali fecit Salmaſius, ſi voluit perfidam illam & parricidalem ſecurim à Regum cervicibus amoliri, quam vos omnibus intentatis, quibus ſatis non eſt viſum ea veſtri Regis caput amputaſſe; niſi carnifices per univerſæ Europæ regna mittendos curetis, Regum ſuppliciis deſtinatos? Vis ſcire, Miltone, & aliam præcipuam cauſam, quæ Salmaſium induxerit, ut ſe dignum duceret hanc defenſionem recipere, præter communem, quæ ad omnes ſpectat? Rogavit ille qui poterat imperare, & cujus maxime intererat extare aliquod ſcriptum, quo jura filii defenderentur in perſona patris contra fas & jus occiſi. Vapula interim, Miltone, cum dicis, *non ea ſtipe contentum eſſe Salmaſium, quam hoc nomine meretur.* Certe ſcio te voluiſſe dicere, *quam hoc nomine meret.* Certe debuiſti. Ne hoc quidem ſatis. Quis meret ſtipem? Datur hæc gratis. At ſtipendium merent,quibus datur pro aliquo munere, vel opera. Hæc levia ſunt, nec tangerem, niſi Miltono placuiſſet pro parricidiis talia objectare: cum in Rege necando verum parricidium commiſiſſe, non tam magnum eſſe vitium exiſtimat, quam ſolœciſmum in ſcribendo feciſſe. Nihil præter arrogantiam & Grammaticam attuliſſe Salmaſium in hanc defenſionem, clamas. Ita eſſe non parvo redemptum velles. In ea certe refutanda, ſi hoc eſſet, non tantopere æſtuares, ureris, & loqueris, miſer homuncule,tantum laboris homo bellus non ſumpſiſſes, ut tam grandem opponeres librum defenſioni Regiæ, ſi nihil in ea deprehendiſſes, quod cauſæ veſtræ vitalia læderet, & jugulum ejus peteret. Excuſas etiam, quod non maturius in hanc arenam deſcenderis, & valetudinem tuam cauſificaris. Non credo iſtuc tibi, ne ſi quidem Jovem lapidem jurare paratus ſis. Te rei difficultas deterrebat, eoque reddebat ad incipiendum tardiorem. Spiſſum ſane opus fuit tot mendacia conquirere & colligere, iiſque veritatis colorem inducere.Ab ea laborioſa & anxia longaque meditatione languorem

etiam videtur contraxiſſe delicatum illud & infirmum corpuſculum tuum. Inde etiam fortaſſe cerebrum tibi nimis inquies in oculis deſtillaverat,eosq; afflixerit. Malo iſto magnam partem tuæ pulchritudinis deperiiſſe, pro eo ac debeo doleo. Nam in oculis maxime viget ac valet formæ decus. Quid Itali nunc dicerent,ſi te viderent cum iſta fœda lippitudine.Non haberent amplius,quod in te laudarent. Non ergo miror,ſi Salmaſium iſtum odiſti, propter quem tantum tibi laboris & oneris impoſitum eſt;unde ægritudo tibi corporis & mentis hæc accidit, & præterea detrimentum tantum priſtini decoris paſſus es: ſed priusquam hunc locum relinquo, dic mihi, Damœta,cujum pecus,anne Latinum? *Tartim tyrannica & fœda, viliſſimo quovis mancipio vix ferenda.* Non,verum Ægonis. Opiliones ſic ruri loquuntur. Multa alia occurrunt in eadem pagina, quæ ſcuticam clamitant. Sed minutias non curamus. Quid enim feſtucæ nos morentur, unde totæ trabes revellendæ ſunt? Dicis, Miltone, *facinora civium tuorum immortalia toto orbe clamaſſe.* Melius dixiſti, quam putaras. Certe, qui facinora committunt,facinoroſi ſunt homines. Sic imprudenti, quia imperito, veritas tibi vel invito ſæpe excidit. Nec mirum, ſi facinora & impia facta ſceleratorũ hominum toto orbe clareſcant: Non enim minus ea differt per ora populorum, & concelebrat fama, quam quæ per virtutem glorioſe acta ſunt. Quis illaudati neſcit Buſiridis aras? Quis templi Epheſini conflagrationem non novit, & nomen ejus incendiarii? Non attingam nova exempla. Vel illud unum,quod primi poſt hominum memoriam prodidiſtis; ſatis memorabile eſt. Et tecum plane ſentio de ejus claritudine. Cujus porro ſectæ ſis, cum tot nimirum impiæ per Angliam veſtram ab his paucis annis efferbuerint,hæc tua verba clare oſtendunt. *Miſerum eſſet, ſi hac ipſa ratio, quo utimur Dei munere, non multo plura ad homines conſervandos, liberandos, &, quantum natura fert, inter ſe æquandos, quam ad opprimendos, & ſub unius imperio male perdendos, argumenta ſuppeditaret.* Apparet ex his te eſſe de illorum numero & factione, quos vulgo vocatis *Levellers*, id eſt *libellarios*, qui omnia,quaſi ad libellam,æquari volunt; ut omnes inter ſe pares ſint,& æquales fortunis & dignitate. Hi ſunt nimirum, qui bonorum omnium & prædiorum ἀναδασμὸν fieri cuperent. Sed fortaſſe, mi homo, mi formoſule homuncio, contraria tibi tua vota ſunt. Nam,ſi hoc fieret,periculum eſſet,ne non tantum tibi jam reſtaret in bonis, quantum accepiſti ob proditum Regem tuum, & ad parricidii cauſam tutandam. Quatuor millia librarum te inde jam in reditu habere ferunt, qui mentiri neſciunt. Sed qua ratione, faciendo rationem maſculam, Priſciano alapam impingis? Si æque doctus eſſem, ut tu es, aut ut tute videris tibi eſſe, dicerem Ariſtarcho hanc te injuriam feciſſe, cum ſcripſiſti, *ſi hac ipſa ratio, quo utimur Dei munere.*

Mirum

Mirum porro, quod hic habes *de conſervandis hominibus, & non perdendis, ſub unius imperio.* Potes dicere ſub cujus imperio Regis, ex quo Anglia per Reges gubernata eſt, tanta hominum multitudo miſerrime perierit, quanta, per varias occaſiones, cædes, & ſupplicia, tam in bello, quam in pace exhauſta eſt, toto tyrannidis veſtræ tempore, ab illo momento, quo Regi bellum inferre cœpiſtis, uſque in hodiernum diem! Et nondum finem videmus. Parum adhuc ſanguinis fuſum eſt, ſi ratio ineatur ejus qui ſupereſt fundendus, quamdiu ſtabit in Anglia hæc latronum tyrannica dominatio. Dicis, *pulcherrimam cauſam hac latum fiducia te aggredi, quod illinc fraus, fallacia, ignorantia, atque barbaria; hinc lux, veritas, ratio, & ſæculorum omnium optimorum ſtudia atque doctrina vobiscum ſtent.* Pulcherrima hęc tibi cauſa videtur, ut ſimiæ ſimioli ſui pulchri ſunt, quibus tamen nihil eſt deformius, nec fœdius. Fiducia autem iſta tua tam certa, qūa lætus es, ſi in contrariam partem converteretur, eſſet longe certiſſima. Potes negare, fraude & fallacia deceptum Regem in laqueos veſtros incidiſſe. Ecquando ille quemquam veſtrûm in fraudem illexit? Barbaries porro quæ fuit in Rege, niſi quod ſe ſivit ſupplicio ſummo mactari? Vos non barbari, qui facinus feciſtis, quod nulla unquam gens tam barbara extitit, quæ commiſerit? Quæ ſunt illa omnia ſæcula optima, quorum ſtudia vobiscum ſtare confidis? De præteritis intelligis, an de futuris? Præterita, uti videtur, in mente habuiſti. Ullane fuerunt, quibus receptum & probatum fuerit, ſubjectos Regum ſuorum colla carnificis ſecuri ſubjicere? Illa optima tibi eſſent, ſi qua eſſent. Non vides, bellua, temetipſum tibi contradicere, cum paulo ante ſcriberes, *inveteratam diu hanc ſuperſtitionem,* de Regibus non violandis, *vos primos hominum animis excuſſiſſe. Vos primos mortalium judicio inclyto Regem veſtrum judicaſſe, & condemnatū puniſſe.* Ergo nulla ſæcula ante hoc, quo id commiſiſtis, fluxere, quæ ſtudium hoc ſtudio ſibi habuerint, Reges ſuos per carnificem tollere. Quod addis & de *doctrina,* hinc colligo à te intelligi, poſteriorum jam inde ab Hildebrando ſæculorum doctrinam, quę Reges deponi poſſe conſtituit. Et hæc tibi eſſe ſæcula, video, quæ vocas optima. Quæ anteceſſerunt, hujus diſciplinę ignorantia, quaſi luminis defectu, in tenebris jacuiſſe. Lucem exinde puriſſimam ab Hildebrando excitatam primum affulſiſſe rebus humanis. Barbariem viguiſſe prioribus Eccleſiæ temporibus, cum ejus Patres, & Paſtores, Apoſtolorum veſtigiis incedentes, pro Regibus etiam profanis orarent, & colendos, etiam qui mali eſſent, qui tyranni, præciperent. Barbaries nempe hæc infelicis ævi fugata eſt, meliorum temporum nova reperta ratione & inſtitutione. Sic veritas, quæ antea, velut profundo puteo demerſa, neſciebatur, patuit in mediū producta: ſic ratio ipſa ſeſe exeruit, quæ haćtenus latuerat oppreſſa. Nonne

hæc

æc mens tua, Miltone, quam & nos ex involucris & ambaibus obſcuri tui ſermonis, in quo deliteſcebat, in apertum rotraximus ? Nobis vero tam ex falſis quæ protuliſti, & quæ ıanifeſto liquet omnium confeſſione eſſe falſa, quam ex veris uæ ipſe confeſſus es, defenſio Salmaſii Regia prorſus adſtruiır, tua tota penitus concidit. Dixiſti, Regem ideo mactatum, uia nullam de ſe materiam melius ſperandi dabat. Hoc eſſe ılſiſſimum, jam ante demonſtravimus. Nam cùm in domo ıferiori poſt multas irritas tractationes de Regis conceſſioniıs diſceptatum eſſet,ea domus,quamvis armatis militibus cirumſtipata, nihil territa minis eorum & ſtrepitu, in eam ſenntiam deſcendit, & ſtatuit *id, quod Rex conceſſiſſet, idoneum eſſe acis per ipſas firmandæ fundamentum.* Hæc ſententia ducentis & mplius ſuffragiis, vix ſexaginta in diverſum diſcedentibus, omprobata eſt. Dixiſti, à ſummo regni concilio Regem judiatum, & condemnatum fuiſſe. Jam tibi ſuper hoc reſponſum atum eſt. Et certum eſt ex veris ipſorum Anglorum relationius, ex magno numero Senatorum, qui domum inferiorem omponebant, cæteris ejectis & fugatis aut relegatis, vix quaragiuta relictos fuiſſe, de fæce Comitiorum omnes,& Cromrellii mancipia, & magnam partem tribunos militum. Ad hos aucos ſicarios, aut ſicariorum fautores, ſummam rerum, & de ege judicandi,& in eum animadvertendi poteſtatem rediiſſe, em legum ferendarum auctoritatem, & reſpublicæ commuındæ arbitrium penes eos manſiſſe. Hoc eſt magnum regni oncilium Miltono, hoc Parlamentum, quod nunquam hanc ppellationem meruit, niſi à Rege ſolemniter convocatum, ſub Lege,& cum Rege, ut capite ſuo, conſiſtens, ex proceribus & eputatis urbium juſſu ejus congregatum. Ex his, quæ ipſe onfitetur, etiam conſtabit, nullo jure fuiſſe condemnatum, um affirmet, ſe primos omnium gentium de Rege capitalem ententiam tuliſſe : ex quo concluditur, falſum eſſe, quod in ıis declarationibus Parlamentarii rebelles poſuerunt, & hic ɔſe Miltonus ubique in hac ſua illorum propugnatione inulcat, modo patrias leges eos ſequutos eſſe, modo legem ıaturæ & Dei. Quæ ſtare pro veris nequeunt, ſi illud verum it, quod aſſerit idem tenebrio, ſe veterem opinionem, quæ ntea invaluerat, de Regibus carnifici non tradendis, èx honinum mentibus evulſiſſe. Et certe nullo ſtatuto Anglicani egni hoc ſancitum, nulla Dei aut naturæ lege id mandatum, ut inſtitutum reperitur. Ne magiſtratus quidem minorum entium, ob adminiſtrationem male geſtam, aliter unquam uniti leguntur, quam abdicatione poteſtatis. Sic hæc omnia lamant, Regem non jure fuiſſe ſupplicio affectum. Primum, uod cauſam nullam dedit ſuis civibus id committendi, utpote ui ea ipſis conceſſerit, quæ Parlamentum ipſum rebellium

magna

magna frequentia judicarit idonea eſſe ad pacem & concordiam inter partes reconciliandam. Deinde, quod illi de eo judicarunt, qui nulla auctoritate id facere potuerunt, manus exigua, ac ne tota quidem domus inferior, emancipata exercitui, & ſui ſuffragii non compos. Poſtremo, quod ne Parlamentum quidem ipſum integrum, ex duabus ſui partibus conſtans, domo ſuperiore nobilium, & inferiore plebeiorum id juris habuit ut faceret. Poteram hic deſinere, ubi præfationem ſuam concludit Miltonus: ſed quoniam Johannes Philippus, id eſt Johannes Lippus, alias Miltonus, in reſponſione ad Apologiam Anonymi, affirmat, arduum hoc fore negotium Salmaſio, reſpondendi Miltono, lubet hic experiri & ſpecimen dare de me ipſo, quam difficile hoc Salmàſio futurum fuerit, ſi dignum reſponſione putaſſet talem nebulonem; cum oſténdero, id ipſum adeo mihi facile fuiſſe, ut aqua de cœlo non proclivius cadat. Atque hoc tanto animoſius ea fiducia præſtiti, quod à parte Regis videam ſtare lucem, veritatem, rationem, probitatem, pietatem, jus, juſtitiam, innocentiam, legum auctoritatem, & legitimam imperii ſucceſſionem: à parte eorum, quos tuendos ſuſcepit Miltonus homo perditiſſimus homines perditiſſimos, fraudem, fallaciam, audaciam, confidentiam, arrogantiam, ſuperbiam, ſcelus, amentiam, perfidiam, perjurium, crudelitatem, improbitatem, impietatem, rebellionem, tyrannidem, parricidium. Cæterum poſtquam ſic ſe ſatis præfatum eſſe profeſſus eſt iſte jam Lippulus, vel cæculus potius, olim bellulus puſio, ut mentis antea ſemper, hunc nuper corporis cæcitatem paſſus, tandem propius, quaſi impete facto, ad invadendam Salmaſii defenſionem irruit. *Et quoniam*, inquit, *ſibi cum Criticis res eſt, tam culti voluminis titulum*, ſe ſumere ait examinandum. Si Criticus eſſes, Miltone, melius tibi res iſta ſucceſſiſſet, certe judicio bono, & rectæ rationi felicius litaſſes. Imprimis videndum ais, quid velit hic titulus, *Defenſio Regia pro Carolo I. ad Carolum II.* Quid eſt, Miltone? Quid critica tua te docuit heic eſſe, quod dignum reprehenſione judicares? *Magnam*, inquit, *rem præſtas, patrem defendis ad filium. Mirum, ni cauſam obtineas.* Quid tibi ipſe vis? An rem magnam præſtare eſt, patrem defendere ad filium? Quid eſt, quod vocas *defendere ad filium*? defenſio patris ad filium, defenſio utique patris eſt filio inſcripta, vel ad filium miſſa. Quæ autem ratio vincit, ut qui patrem defendit, & filio defenſionem patris offert, cauſam obtinere debeat? Quæ iſta tua ratiocinatio? An plus habet rationis, quod quæris? *Sed cur ad Regem filium, defenſio hæc Regia?* Mirum te hoc quærere, quaſi potius debuerit inſcribi Cromwellio? Certe non tantum centum Jacobæos ab eo reportaſſet præmii loco Salmaſius, ſed ſummam (ut veriſimile eſt) longe impenſiorem. Nam qui Regias nunc opes poſſidet,

poſſidet, amplìora in arca habuit ſeſtertia, unde remunerari poſſet defenſionem ſibi dicatam, quam Rex miſerrimus, qui ad ultimam paupertatem, per factionem ejus, & ſcelus, redactus eſt. Niſi fallor tamen, & ſi bene illum novi, pro tali defenſione aliud mercedis ſtatueret ejus auctori, ſi eum in poteſtate ſua haberet. Haud male itaque ſibi conſuluit Salmaſius, qui Regi filio defenſionem patris Regis potius inſcripſerit, quam Cromwellio. Sed protinus rationem tibi ipſi reddis, cur ad Regem filium potius hanc defenſionem Regiam miſerit Salmaſius, quam ad Cromwellium. *Non opus eſt*, ais, *tortore: nam confitentem habemus reum*. Quid? an credidiſti fidiculis opus eſſe, ut à Salmaſio hæc confeſſio extorqueretur, quod Regi filio inſcribere auſus ſit defenſionem pro patre? An crimen aliquod magnum hac dedicatione illum incurriſſe exiſtimaſti, quod vix debuerit ſine tortore confiteri? Sed quæ eſt iſta criminis tam gravis confeſſio? *Sumptibus*, inquit, *Regiis*. Et ſtatim exclamas, *ô te vanalem oratorem & ſumptuoſum*! Immo te inſanum potius advocatum, & ratiocinatorem ineptum! Quæ intemperiæ te agitabant, cum hæc ſcriberes? Quia Typographus adſcripſit editioni defenſionis Regiæ, *ſumptibus Regiis* eam fuiſſe procuratam, an ideo vænalis & ſumptuoſus orator Salmaſius? Quis eſt Latinis ſumptuoſus? ille ſane, qui magnos in rem aliquam ſumptus facit; aut pro quo alius magnam vim pecuniæ impendit. Si ſumptus fecit Rex in illam editionem, & ſua impenſa curavit excudendam, quid inde ad Salmaſium compendium rediit? Quid lucri fecit? Hoc Typographo profecerit, non Salmaſio. An Salmaſius ſuam operam vendidit pro ea pecunia, quam Typographus à Rege loco mercedis accepit? Quæ ſubjicis, non minus hominem mentis ſtatione dejectum tinniunt, quam quæ præceſſerunt; ita ratione carent, & ſenſu qui hominibus à natura datus eſt. *Siccine defenſionem pro Carolo patre, tua ſententia Rege optimo, ad Carolum filium, Regem pauperrimum, noluiſti, niſi ſumptibus Regiis*. Quid illi ſumptus Regii, ô ſtulte, ad Salmaſium? Quæ iſta tua ratiocinatio? *Noluit Salmaſius defenſionem pro Rege optimo ad Carolum filium, niſi ſumptibus Regiis*. Quæ hæc Latinitas? Inſanire hominem oportet, aut imperitum rerum omnium eſſe, qui putet ſumptus, qui fiunt ab aliquo in editionem alicujus operis, ad auctoris emolumentum pertinere, non ad Typographi, vel ejus ipſius, qui ſumptum facit. Quid? ſi ipſe Typographus, aut alius Librarius, quod ſæpe fit, ſuis ſumptibus excuſum librum teſtificatus eſſet, debuitne Salmaſius propterea ipſi Typographo, vel illi Librario defenſionem inſcribere? Ita ſane conſequeretur, ſi valeret argumentum Miltoni. Odi me male, qui cum hoc ſtipite diſputem, quaſi cum animali rationali. Hoc tamen adeo menti ejus amenti inſedit, ut non dubitarit paulo poſt, quaſi pulchrum

aliquid,

aliquid, & ad cauſam pertinens, id repetere. *Te magnum ſcilicet criticum, ſumptibus Regiis conductum, ut defenſionem ſcriberes.* Salmaſiusne conductus iſtis ſumptibus tibi eſt viſus, ô barde, an Bibliopola? Atqui te jam faxo ut ſcias, ſi id ſcire tua putas intereſſe, bipedum mendaciſſime, ne quidem ad Typographum quicquam emolumenti perveniſſe ex illis, quos adſcripſit in prima libri pagina, Regiis ſumptibus. Nam ne teruncio quidem ab illis factus ditior, neque Rex pauperior. Cum metuerit ne editio defenſionis edicto Ordinum ſupprimeretur, perſuaſit ſibi, ſi apponeret impenſis Regis eſſe procuratam, hujus nominis reverentia defenſionem Regiam defendi poſſe à publicationis inhibitione. Ideo & omnibus editionibus, quæ poſt primam à diverſis Librariis curatæ ſunt, hoc idem, quaſi amuletum, adſcriptum fuit. Importunitas hujus belluæ fecit, ut defenſioni pro Salmaſio diutius, quam par fuit, & quam res poſtulabat, inhærerem. Vidit ipſe cœculus, ſi quid videt, hos ſumptus Regios nihil, aut parum facere contra Salmaſium, ideo ad calumniam majoris abollæ confugit, qua confinxit, centenos Jacobæos à Carolo ſecundo ei miſſos pro mercede defenſionis. Quod commentum inſulſo etiam ſale adſpergere voluit his verbis: *Sed veterator etiam haud irridiculus eſſe voluiſti, qui Regiam defenſionem dixeris. Non enim amplius tua, quam vendidiſti, ſed legitime jam Regia defenſio eſt, centenis nimirum Jacobæis empta, ingenti pretio, ab egentiſſimo Rege.* Quis riſum tenere poſſit hæc legens? Non tu ſane veteratorie, ſed ridicule & pueriliter, ô funginum caput, hæc effutiſti. Non Regia ergo tuo judicio dici debuit defenſio, quæ pro Rege ſcripta ſit, ſed auctoris nomine Salmaſiana? Quid, ô cerebrum cucurbitæ, an defenſio Regis non bene diceretur Regia, niſi pretio eſſet à Rege empta? Atqui, fatue, non dicta eſt Regia, ab illo Rege, quem dediſſe vis hos Jacobæos, ſed ab illo, quem nefarie trucidaſtis; cujus, & pro quo hæc defenſio eſt. Ab altero mundo is ſcilicet ideo reverſus eſt ut Jacobæos iſtos centenos afferret, & Salmaſio dandos, ut curaret hanc eo pretio adductus defenſionem pro ſe elaboraret, atque ea proinde non amplius eſſet Salmaſii, qui vendidiſſet, ſed ipſius, qui emiſſet. Ut me miſeret tui, pudetque, miſer homuncio, quia te nihil pudet ea dicere, quæ non tantum calumnioſa ſunt, ſed etiam micam intelligentiæ communis non habent. Non ignota tamen loqui te affirmas, & projicis ampullas, ut probes nobis, te olim rhetoricam didiciſſe. *Novimus,* inquit, *qui illos aureos domum attulit tuam, qui crumenam illam teſſellis vitreis variatam, novimus, qui te avaras manus porrigentem vidit.* Ut video, tu multa noſti, quæ in rerum natura nunquam fuere, & quæ nemo vidit, & quæ nemo facta ſcivit præter te, qui tenes etiam quod non eſt, nec fuit. Si noviſti illum, qui hæc omnia vicit, & illum, qui aureos attulit, &

illum,qui crumenam,cur non eos tibi nominare libuit? Adeone tu pudens, ac verecundus, ut eorum nomini parçere volueris? Separatim etiam, ut videtur, aurei dati ſunt ſine crumena, & crumena rurſus ſeparatim ſine aureis. Ita enim loqueris: *Novimus,qui illos aureos domum tuam attulit, qui crumenam teſſellis variatam.* An alius aureos attulit, alius crumenam. An idem aureos, & crumenam; ſed ſeorſim dedit primum aureos, deinde crumenam. Cur non in crumena aurei fuere? Ut enim iſta ſeparaſti, non videtur crumena aureos habuiſſe. Fortaſſean etiam numerati ſunt illi aurei in manu Salmaſii: unde enim tam exacte ſciſſet ille, qui hæc vidit, centenos fuiſſe? Salmaſius forſitan hoc illi dixit, an ille, qui attulit? Potes etiam dicere, quem nihil horum, ita curioſus es, potuit latere, quando iſti aurei cum iſta crumena deportati ſint domum ad Salmaſium: utrum antequam edita foret iſta defenſio, an poſt ejus editionem abſolutam? Si ante, non provide ſatis, nec ſapienter Rex fecerit, qui pretium numerari juſſerit pro merce, quam nondum viderat, quæ nondum nata erat, & quam adeo ſcire non poterat, qualis eſſet futura, & an tam impenſo pretio æſtimanda. Si poſt viſam demum editionem Rex pro ea dinumerandam mercedem mandavit, certe non Regia ideo à Salmaſio appellata eſt, quod jam Regis eſſet propria facta, utpote ei vendita. Cum enim titulum hunc ei fecit, ignorabat, an eam Rex egentiſſimus,ut dicis,tam carè tot nummis, nempe aureis, præſtinaturus eſſet. Quis enim poterat ſuſpicari in tanta eum mendicitate tam liberalem, immo tam prodigum futurum? Hoc nos ſane reſciſcere oportuit. Cur id nos, homo aſtute, celaſti? cum tot alia de eadem re,non magis ſcitu digna,nos docueris. Ut & illud,quod ſequitur. *Novimus,qui te avaras manus porrigentem vidit, in ſpeciem quidem,ut Sacellanum Regis,miſſum cum munere, revera ut ipſum munus, amplecterere.* De Sacellano miſſo non mentiris, de munere mendacium tuum eſt, & calumnia. Si ſaltem poſſes mentiri cum aliqua veriſimilitudine, facile tibi ignoſcerem; ſed adeo bardus es, & fabularum inficetus fictor, ut nihil dicas, quod cohæreat. Quid? an ille Sacellanus, cum ad Salmaſium acceſſit, in propatulo portabat illam crumenam, & manu ſonantem quatiebat, ut Salmaſius ſtatim, ea viſa, manum protenderit, in ſpeciem quidem ad ſalutandum Sacellanum, ſed revera, ut ipſum munus amplecteretur. Avarum ſane & avidum hominem narras, ſi quidem verum eſt,quod prædicas, ut conſpectam in manibus Sacellani crumenam ſtatim invaſerit, &, vel priuſquam eum ſalutaret, protinus in amplexum crumenæ rueret, & de manu Sacellani eam per vim eriperet. Id enim neceſſe fuit conſequi. Quid interim factum illis aureis, qui, ut ex tua narratione apparet, ſeparati erant à crumena? Sacellanus, ut videtur, eos altera manu geſtabat,

altera

altera crumenam. Sed prius Salmaſius in crumenam involavit pulchritudine ejus invitatus. Et ſane egregii operis fuit,& rari, teſſellis utpote vitreis variata. Superabat ergo ipſum pretium & æſtimationem Jacobæorum, atque ita continens contento pretioſius erat. Sed poteſne nominare, quis ille fuerit, qui tum præſens fuit,cum Sacellanus ingreſſus eſt domum Salmaſii cum tanto munere? Intravitne cum Sacellano, an tunc aderat Salmaſio? cum Sacellanus ad eum venit? Si hoc, & ſi Salmaſii ille amicus fuit, cur tam ſiniſtre de eo judicavit? Immo, cur id, quod non vidit, nec videre potuit, ſe vidiſſe teſtatus eſt? Si cum Sacellano introiit, cur non edis ejus nomen, nec nomen Sacellani? At jam eum tibi, quis fuerit, indicabo. Guilelmus Morlæus fuit, qui litteras Regis Salmaſio attulit, quibus Rex ipſi gratias agit pro navata defenſionis opera. De Jacobæis ſomnia, quod & ipſe vir Reverendus Morlæus teſtabitur, qui in his locis vivit, & paratus eſt omnibus, qui de hac re eum interrogabunt, quid in rei veritate ſit, declarare. Litteræ ipſius Regis, quas tunc attulit, de hoc ipſo fidem publicatæ facient. Hæc tam longi ſubſellii diſcuſſionem non mereri videbantur, ſed oſtendere libuit, quantus eſſet nebulo, & quantus mendaciorum & calumniarum fabricator, hic rebellionis Anglicanæ defenſor. Quod autem & Regi paupertatem ubique exprobrat, quam adeo exaggerat, ut vel centum Jacobæi ærarium ejus potuerint exhaurire, pro cæteris ſuis factis homo nequiſſimus hoc facit. Haud ſecus eſt, ac ſi prædones viatori à ſe ſpoliato, cum ſarcaſmo inſultarent, quod pecuniam non haberet, cum ipſi abundarent. Quis Carolum ſecundum ad egeſtatis terminos redegit? certe parricidæ illi,quos defendis. Cum egentiſſimum eum dicis, tanto improbiores latrones facis, qui eum hæreditario regno & avito patrimonio devolverunt. A calumniis ad maledicta tranſis. Et primo hiſtrionem Salmaſium appellas. Hoc tibi nomen unicè convenit, & tuis auctoribus.Tu comicus quidem,vel mimicus potius ſcurra, vernili & ſcenica promptus dicacitate, quæ te ridiculum reddit: illi vero hiſtriones Tragici, qui eam Tragœdiam deſultarunt, cujus ſimili nulla unquam in omnibus ſæculis ac gentibus theatra perſonarunt. Eunuchum deinde vocas. Vir eſto ſane; ſed, ſi Eunuchi omnes fuiſſent, qui domum tuam frequentabant, uxorem fortaſſe non repudiaſſes. Tu, quem olim Itali pro fœmina habuerunt, cuiquam audeas, quod parum vir ſit, objicere? Scripſerat Salmaſius, *horribilem nuntium aures hominum, ſed magis mentes atroci vulnere perculiſſe, de parricidio in perſona Regis apud Anglos commiſſo.* Heic tu, Vervex, facetum te facere dignatus es. Sed unde, quæſo, tantum ſalis traxiſti? Nam Angli tui ſæpe inſulſi. Nec nimium bonas ſe ſalivas habere oſtenderunt Hollandi illi, qui tuam urbanitatem ſtulte

mirati ſunt. Nihil enim frigidius iſto tuo ſcommate. *Profecto,* inquis, *nuntius iſte horribilis aut gladium multo longiorem eo, quem ſtrinxit Petrus, habuerit; oportet, aut aures iſta auritiſſima fuerint, quas tam longinquo vulnere perculerit.* In paucis verbis, quæ aliquo ſale condire voluiſti, multa puerilia errata committis putida & pudenda, quæ ut ludibrium debeas eruditis faciunt. Primum, tu nuntium heic horribilem de homine accipis, cum de rumore Salmaſius poſuerit, vel *fama nuntia*, ut Poeta appellat, vel *rumore nuntio*, ut vocat Cicero. Sed nullo gladio opus habuit ad vulnerandas de longinquo aures, & mentes hominum. An putas, nuntium illum graviorem apud Poëtam, à quo metuit Evander ne aures ſuæ vulnerarentur, gladium habuiſſe? - -*gravior ne nuntius aures Vulneret.* Si gladium habere debuit, quo tale vulnus auribus Evandri infligeret, certe prælongum & illum fuiſſe oportet: ô mirabilem & miſerabilem homuncionis ineptiam! Mirificum tamen hoc inſulſis Batavis viſum eſt acumen ſalis, & urbanitatis Anglicanæ. Præterea, Miltone, non magis capio quæ ſint *aurita aures*, vel *auritiſſima*, quam ſi dicantur *oculi oculatiſſimi.* Qua ſignificatione aures auritas heic poſueris, quod ſubiungis, indicat, cum dicis, *Nam aures non ſtolidas ne offendiſſe quidem potuit.* Ergo tibi aures auritæ ſunt ſtolidæ, & aſininæ, quæ in longum ſpatium ſcilicet protrahantur. Tibi vero mentem aſininam eſſe oportet & ſtolidam, qui ſic ſentias. Novi ſtolidos homines multos, & teipſum quidem ſupra omnes, qui tales ſunt, ſtolidiſſimum, ſed quæ ſint aures ſtolidæ, neſcio. An quæ tarde audiunt & obtuſæ ſunt? ita ſtolidi oculi dicerentur, qui parum vident, qui luſcitioſi ſunt, quales tuos eſſe, qui te norunt, narrant. Si aures auritæ ſic etiam appellantur, nihil etiam vetabit, quin eadem ratione oculos dicamus oculatos, qui cœcutiunt. Atqui *auritum* Latine dici putabam, qui aures habet, non qui malas, & ad ſenſum audiendi parum apertas. Inde *aurita quercus* Poëtis, quibus ſenſum aurium lyra Orphei addiderat. Hoc modo & *oculatum* dixere Latini, qui oculos habet, & qui videt. Unde *oculata manus*. Ergo *aures auritas* ſecundum hæc illas intelligi oportet, quæ acute audiunt, & *oculos oculatos*, qui acute cernunt. Abi, ſtolide & aurite Aſine, idemque male oculate, cui facilius eſt parricidas quoquo modo defendere, quam id quod verum eſt, & rectum, cogitare, & dicere. Sed nihil eſt parricidium, quod Angli latrones in perſona Regis commiſere, præ illo, quod à Salmaſio perpetratum arguit auritiſſimus Miltonus, id eſt, ut ipſe interpretabitur, ſtolidiſſimus. Etiam ſe de Salmaſio *horribilem habere* jactat *quem apportet nuntium, quique omnium Grammaticorum & Criticorum aures, modo teretes habent & doctas, atrociori vulnere ſi non perculerit, mirabor, de parricidio apud Hollandos, in perſona Ariſtarchi,*

nefaria

nefaria Salmaſij audacia, admiſſo. Hæſi, fateor, primo adſpectu cum hæc legerem, & quærebam mecum tacitus, quinam ille eſſet Ariſtarchus, quem horribili parricidio in Hollandia Salmaſius necaſſet. Oſtendi locum nonnullis etiam amicis, qui non minus hæſitarunt. Quidam ex illis ſubito exclamavit, puto me jam reperiſſe, quis ille ſit Ariſtarchus. Sine dubio Heinſius eſt, qui ſcripſit Ariſtarchum, & quem Salmaſius apud Hollandos fama perdidit. Riſi, cum hæc audirem. Mox, altera pagina perlecta, incidi in hæc verba, *Quoscunque infandum hic parricidalis nimirum barbariſmi Salmaſiani rumor attigit.* Tum ecce, inquii converſus ad illum, Miltoni ineptum interpretem, habeo jam, ex quo fatearis me melius mentem percepiſſe fanatici hominis, quàm te. Ipſe ſe nimirum interpretatus eſt. Vide hunc *parricidalem* Salmaſij *Barbariſmum,* & compara cum illo *parricidio in perſona Ariſtarchi à Salmaſio admiſſo,* jam tibi inde manifeſtum fiet, Salmaſium grandem Barbariſmum feciſſe, qui ſit inſtar parricidij in Ariſtarchi Grammatici perſona admiſſi. Cum ille adhuc perplexum & dubium animi ſe oſtenderet, lege, inquam, quæ ſequuntur apud Miltonum, & dubitationis deſines. *Quid enim, quaſo, eſt, parricidium in perſona Regis committere? Quid in perſona Regis? Qua unquam Latinitas ſic loquuta eſt? Niſi aliquem nobis forte Pſeudophilippum narras, qui, perſonam Regis indutus, neſcio quid parricidii apud Anglos commiſerit.* Jam vides, & non rides acumen auritæ & oculatæ beſtiæ? Negat *perſonam* Latinum eſſe, niſi pro larva. *Qua,* inquit, *Latinitas unquam ſic loquuta eſt?* Credebam auctores ſolos Latine loqui, heic me docet Latinitatem etiam ipſam ſermocinari. Apparet porro quantum temporis triverit in ſcriptoribus Romanis verſandis, apud quos nihil frequentius, quam *perſonam* legere eſt eo ſenſu, quo heic ponitur Salmaſio. Sed Latinitatis, Latine loquentis, optimus auctor Miltonus ſuas Juriſconſultis *perſonales* actiones, quæ in perſonam ſunt, eripiet, & ſolas, quæ in rem ſunt, relinquet. Larvales enim illas eſſe dixerit, & contra larvas à prætore dari ſolitas. *Splendida perſona* in Celſo occurrit, pro homine ſplendidæ dignitatis. Hęc larva etiam erit ſplendida. Qui dixit, *parcere perſonis, dicere de vitiis,* parci larvis ſcilicet voluit, ſi larvæ iſti credimus. *Perſonam Imperatoris,* ſi bene memini, Æmilius Probus dixit. Juriſconſultis familiare eſt, *perſonam pupilli, perſonam tutoris* paſſim appellare. *Mea* & *Tua perſona,* pro *Ego* & *Tu,* tralatitia ſunt Latinis. Rhetores Latini ita paſſim loquuntur. Auctor ad Herennium: *Item à noſtra, ab adverſariorum, ab auditorum perſona, à rebus ipſis.* Et paulo poſt, *à noſtra perſona benevolentiam contrahemus, ſi officium noſtrum ſine arrogantia laudabimus.* Cicero in Topicis, *Non qualiscunque perſona teſtimonii pondus habet.* In foris, & judiciis Græciæ, πρόσωπα, id eſt, perſonæ eo-

dem ſignificatu ſumebantur, pro litigantium partibus, perſona rei, perſona actoris, τὰ πρόσωπα. Nec plura neceſſe eſt allegare, cum ſcriptores ejusmodi loquutionum pleni ſint. Sed pergit Miltonus, & ait, *prima hac ſtatim clauſula Salmaſium riſum pene legentibus multiplici Barbariſmo concitaſſe*. Qui ſunt illi legentes, quibus pene riſum concitavit? Hi Hollandi, ſi fortè aliqui, qui totam ætatem contriverunt in Claudiano, & Ovidio evolvendo, & nihil præterea bonorum auctorum légerunt. Non illi tamen plene riſerunt, nec plane, ſed pene, quaſi tu dicas, ſemihiante labello. Ego vero, Miltone, diſſutis prorſus malis rideo te, ita es ineptus, & indoctus. Ubi ille multiplex Barbariſmus in hac loquutione, non ſimplex? Fortaſſean, quod non dixerit Salmaſius *in perſonam Regis admiſſum parricidium*, ſed *in perſona*? Hoccine voluiſti? O barde, ad Ludimagiſtrum veterem redi, & officium tuum novum relinque, ut diſcas quid ſit Latine loqui. *In perſona errare*, pro circa perſonam, *in aliqua puella pallere*, vel *pallidum eſſe*, Poëtis frequens. Simile & illud Virgilianum,

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles,
Talis in hoſte fuit Priamo.

Non abſimilis loquutio, *in perſona Regis*, vel *in Rege parricidium admittere*. Contra, Latini veteres ſæpe dicunt, *in civitatem*, pro *in civitate*, & ſimilia. Quod eruditis notum eſt. Hoc Galliciſmum vocas, & hujusmodi noxis Gallico-Latinis ſcatere librum Salmaſii prædicas. Unam nominaſti, quæ non eſt: ſi cæteræ ad hoc exemplum ſunt, quas ſupprimis, væ tibi, Miltone! ſive taceas, ſive loquaris, ex æquo ubique, & ſemper imperitus, & maledicus. Hæ tibi noxæ, totidem ſunt parricidia. Væ tibi iterum! Nam, ſi verum dicis, nihil culleorum ſatis eſt in toto orbe puniendis tuis parricidiis. In eadem ſemipagina tria commiſiſti. *Modo aures teretes habent, & doctas*, pro *Modo habeant. Quæ ſic Latinitas unquam ſic loquuta eſt*. Tertius non Gallicismus eſt, ſed merus barbariſmus, & quidem, ut tute ipſe tibi intriviſti, parricidalis, pro quo ego te vapulare jubeo, & Salmaſio verberandum relinquo, quem ipſe Grammatiſtis deridendum, *& vapulandum* proxime voluiſti. Quid illi tui Grammatiſtæ de te dicturi ſunt, ô parricida, tam peregrinæ, id eſt Latinæ, Patriæ, qui linguam ejus violas; quàm propriæ, id eſt Anglicanæ, dum Regis ejus percuſſores tueris. Quomodo, inquam, iſtud apud illos defendes, & obtinebis, ne habearis pro pecude ignorantiſſima, & *Multonis*, ſive Vervecis, nomine digniſſima. Ariſtarchum putaſti eſſe Grammaticum Latinum, & ideo maximam illi & atrociſſimam injuriam factam, necemque in ejus perſona, parricidii

cidii affinem, commiſſam ab eo, qui *perſonam Regis* dixiſſet pro Rege. Nimirum homo Græcus vindicabit hunc barbariſmum in Latino ſolo commiſſum. Expecto, ut, cum Salmaſius barbariſmum, vel ſolæciſmum in Græco ſermone, ſi forte aliquando fecerit, eo nomine ad Priſciani tribunal eum devoces, ibique puniendum pro parricida cures. Judicent interim lectores, quale ſit hoc hominum genus, quàm impudens, & nefarium, ac truculentum, barbarumque, qui barbariſmum in loquendo parricidium eſſe velint, & verum parricidium commiſiſſe, Parente patriæ occiſo, non tantum id eſſe peccatum exiſtiment, quam ſolæciſmum feciſſe. Qui *perſonam* Regis Latine dici poſſe negat niſi pro larva Regis, *hoc vere Salmaſii ore excidiſſe de Carolo primo* Rege aſſerit; *quia,* inquit, *Tyrannus, quaſi hiſtrionalis quidam Rex, larva tantum, & perſona Regis, non verus Rex eſt.* Itane vero? Tyranni, hiſtrionales tibi ſunt Reges? larvæ, & perſonæ Regum, non Reges veri? Ratio ubique te fugit, nihil ſentis, nihil ſapis, nihil intelligis. Vel heic quantum aberras à mente communi? Quid ergo Regem veſtrum, quaſi tyrannum, occidiſtis? Quid ille Rex hiſtrionalis, & larva Regis, vel perſona potius, quam Rex, vobis tantum mali facere potuit, aut fecit unquam, ut quaſi proditorem, & homicidam, capitis illum condemnare neceſſe habueritis? Cujus homicidij rei, cujus proditionis poſſunt inſimulari Reges tales, qui nihil plus poſſunt, vel ad bonum, vel ad malum peragendum, quam illi hiſtriones Tragici, qui Regis perſonam induti in theatro ſe oſtendunt? Falleris, homo fatue, tyranni vel plusquam Reges ſunt, nimis Reges ſunt, abnormes Reges ſunt. Poteſtatem Regis intendunt, & exaugent ſupra modum, dum ultra jus & fas eam exerunt, nec eam patiuntur intra legitimos ſuos fines conſiſtere. Vis ſcire quinam revera fuerint olim hiſtrionales Reges? De prima ſtirpe, quæ apud Francos in Gallia regnavit, degeneres, & ignavi quidam Reges, qui ſemel in anno in publicum prodibant, & domi ſemper inter pellices & concubinas deſidebant, relicta omni Regni adminiſtratione *Majoribus Palatii,* id eſt, aulæ præfectis. Sardanapalus talis etiam fuit, Aſſyriorum Rex ultimus, hiſtrionalis & theatralis plane Rex, non re, ſed nomine, larva Regis, & umbra, non Rex verus. In crimen deinde Salmaſium vocas, quod *ſacrilegorum hominum conſpirationem* vocaverit, quæ apud vos Regem ſupplicio addixit. Poſſisne aliter nominare, ſi vere velis? *A ſummis magiſtratibus veſtris illud ſupplicium in Regem conſtitutum fuiſſe contendis.* Impudentiſſime nebulo, totus orbis ſcit te mentiri. Tu ſupremos Angliæ magiſtratus appellabis, quadraginta nebulones ejuſdem tecum farinæ, ſive furfuris potius, ad arbitrium & libidinem lectos ducis exercitûs rebellium? Quæ ab his in necem Regis ſui, in patriæ perniciem, & regni everſionem ſtatuta fuerint, *acta, & conſulta* nominabis, *potentiſſi-*

mi nuper regni, nunc Reipublicæ eo potentioris. Tu *Rempublicam* hanc vocabis, cujus ipſemet, qualis nunc ſtatûs ſit, ignorari confiteris? Utrum popularis ſit, an optimatum, an paucorum hominum dominationi ſubjectus? Et ſane nemo poteſt dicere, mas ſit, an fœmina, an hermaphroditus, iſta veſtra Reſpublica; cujus & formam nondum bene conſtitutam eſſe agnoſcis ipſe? Hoc unum conſtat, militare eſſe, & tyrannicum regendi genus. Et tu ejus potentiam prædicabis, & extolles, & quidem majorem, quàm quando ſub Regibus fuit? cum, te ipſo fatente, tot factionibus diviſa, talis Reſpublica laboret, cum & in mille ſectas Eccleſia ejus ipſa ſciſſa ſit? Quando regnum fuit, uſque ad luxum, & delicias, florentiſſimum, & ditiſſimum, quis eſt, qui fuiſſe neſciat? Quando erit, ut tale videri queat, harpyis illud tenentibus, quæ ad ſua commoda omnia revocant, &, boni publici ſecuræ, de ſuo tantum cogitant, avaris manibus correptum, & inter ſe diviſum, Regis patrimonium poſſidentes, cum omnibus Epiſcoporum, & Procerum, fortunis, quas uncis unguibus invaſerunt. Et tamen audent iſti Fanatici totius orbis dominatum ſibi promittere, & imperii limites, ultra Garamantas, & Indos, extendere, ſomniabundi minantur, ultra anni, Solisque, vices. Terrorem hinc ſe Romæ, inde Conſtantinopoli incutere jactantes, Papam, Turcamque brevi debellaturi. Unde & Magiſter quidam Hugo Poni, bipedum nequiſſimus, Regis, ut fama eſt, carnifex, Anglorum nunc perduellium propheta, belli tuba, patriæ ſuæ deſertor, & Erinnys alienæ, intra biennii ſpatium media Roma ſe concionaturum pollicetur. Sed prius eſt, ut Hollandos, qui in limine ſunt, ſub jugum mittant, ne quid in vicinia ſua relinquant, quod obſtare poſſit tantis, ac tam vaſtis eorum conatibus. In eo nunc ſunt, &, ea de cauſa, nullum fœdus cum his voluere, niſi ſubjectionem, & deditionem, offerentibus. Hac una conditione ſe adduci poſſe; ut paciſcantur cum populo vicino, ab omni tempore amico, & confœderato, quando Regibus parebant. *De eorum factis*, inquit Miltonus, *ne Rex quidem ullus, ut quicquam gravius pronuntiaret, aut ſcriptum ederet, adduci adhuc potuit.* Sed quæro à te, hominum ſtultiſſime, an videris ſcriptum aliquod à quoquam Rege edi, & publicari, juſſum; quo factum iſtud impium latronum veſtrorum, quaſi pium laudaretur, & civibus ſuis, tanquam facinus egregium, commendaretur? Tune tam fatuum ullum Regem eorum, qui nunc regnant, exiſtimaſti poſſe reperiri, qui ſecurim ſibi, à rebellibus ſubditis, in cervicem, manu carnificis, immitti

aliquando

aliquando gauderet? Quod utique facerent, ſi exemplum, quod primi gentium inſtituiſtis, Regum in patibulo mactandorum, probare in animum inducerent. Si aliqui ex his fœdera vobiſcum junxerunt, non ex eo inferre poſſis, adprobaſſe illos quod feciſtis. Commoda ſua ſpectarunt, atque ita vobiſcum pacem, & amicitiam, colunt; ut alii cum piratis, alii cum Turcis, quod ita reipublicæ ſuæ rationes poſtulare crederent, ſocietatem inierunt. Quod & ipſum tamen peſſimum factum videtur, & Chriſtianis Regibus indignum, cum Reges, & Respublicæ, ſcelus, & parricidium, à pluribus unius regni rebellibus commiſſum, haud minus improbare, & deteſtari, teneantur, quàm privatus in privato id ferre, ſi alicujus flagitii, aut probri, crimen incurrerit. Omitte vero de Hollandis argutari, quaſi eorum factum ſimile veſtri ſit. Nihil æque diſſimile, aut diſpar. Libertatem illi civibus ſuis reddiderunt: vos ſervitutem Anglis impoſuiſtis. Regem illi nullum ſuum necarunt: vos veſtrum. Religionem illi puriorem, ut ſemel reſtituerunt, ſartam, tectamque, etiam nunc conſervant: vos eam, quæ ſola erat vera, obruiſtis mille ſectis; quarum aliquæ Chriſtum negant, & Scripturam abdicant, receptis. Nullam poſtremo cauſam habent Hollandi, cur è finibus ſuis ejicere extorrem velint Salmaſium, quaſi Reipublicæ hoſtem; quod ſciunt utique verum non eſſe, cum nemo apud eos vivat, libertatis omnis, & boni publici Batavorum ſtudioſior. Tu, ſi in his locis viveres, protinus exterminandus hinc longe, & perdendus merito fores, rebellionis fautor, perduellium patronus, parricidii defenſor, & omnium bonorum virorum, & rerum laudandarum inimicus. Quæ de principe Auriaco, nuper defuncto, ſubjungis, quàm falſa ſint, ipſi norunt Hollandi. Sed quid tibi, Ardelio, rerum alienarum curatio eſt, & quæ ad te nihil pertinent? Tu Salmaſium hoc nomine paulo ante incilabas, quod ſe alienæ reipublicæ immiſceret. Cur nunc hoc facis. Utinam, porro, ille Princeps vitales auras carperet? Quem ſi fata vivum ſervaſſent, & veſtro hodie malo, & Batavicæ Reipublicæ bono, viveret. Eum ſi qui vivum oderunt, nunc caſſum lumine lugent. Quàm aliena porro eſt tibi Hollandia, tàm in alieno, & peregrino ſolo verſaris, cum de Phyſicis agere vis. Apparet te hoſpitem in illis eſſe, cum tamen fingas te rerum naturæ cauſas, & arcana, optime ſcire. His, qui repentino, & inopinato nuntio de Regis ſupplicio percuſſi fuiſſent, & quaſi attoniti, dixit Salmaſius, verſu Virgiliano, *arrectas horrere comas, &*

 vocem

vocem faucibus haſiſſe. Miltonus, naturæ & veri ſummus auctor, novitate hujus rei perculſus, ipſe quoque & velut attonitus exclamat, hoc nunc primum auditum diſcant Phyſici, *Comas fulmine arrectas.* Quid, Miltone? nunquamne antea id audiveras, in ſtuporem aliquem & horrorem ex metu improviſo datis comas arrigi? Quis autem unquam dixit, comas fulmine arrigi, quod heic Salmaſio objicis? ubi ille ſic loquutus eſt? Monſtra ipſe tibi facias, quæ oppugnes. Aliud eſt fulmine afflatis comas arrigi, quod nec ipſum Salmaſius dixit, aliud fulmine id fieri. Omnibus, qui fulmine tanguntur, hoc non ſolet accidere. Fulmen eſt quoddam, quod adurit, & necat. Genus eſt fulminis, quod ſolum attonitos homines afflatu reddit, & obſtupefactos. In illo, quod interficit, prius homines expirant, quàm ſe percuſſos ſentiant. In iſto, pavore & horrore tentantur. Nec id fit ſine comarum arrectioue. Nam, in omni magno metu & inopinato, ſtupor & horror perterrefactos corripit, & comarum erectio conſequitur. Cum utrumque eveniat fulmine afflatis, quis Phyſicus negare poſſit hoc ſenſu comas fulminis vento arrigi? Ipſe poëta, qui comas Æneæ horrore arrectas in quarto dixit, ſequenti verſu attonitum fuiſſe ſcribit. *Attonitus tali monitu, imperióque Deorum.* Ubi *attonitos* Latine dici Servius obſervat, *juxta quos fulmen cadit.* Hi ſunt, quos etiam *fulmine afflari* dicebant. Et iidem ſunt etiam, quibus poëta comas horrore arrigi, & vocem faucibus hærere ait? Sed eſto, ſit tam doctus in rebus naturalibus Miltonus, ut hoc ei vel injurato credere debeamus, attonitos, quos ἐμβροντήτυς Græci appellant, comarum arrectione non affici; hoc nuntio horribili perculſos, & obſtupefactos haud ſecus, ac ſi fulmine afflati eſſent, Salmaſius intellexit, iiſque comas horrore erectas. De illis, qui vere fulmine afflati eſſent, non eſt loquutus. Sed comparationem ſtuporis & horroris ab illis ſumpſit, quos fulminis afflatus attigit, ut paſſim mos eſt Poetis & Oratoribus. Inde illud Ovidij de Triſtibus,

Haud aliter ſtupui, quàm qui Jovis ignibus ictus
Vivit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.

Inde etiam eſt, quod in communi ſermone *attonitos* dicimus, quacunque re repentina & inopinata obſtupefactos & perterrefactos: quod & Romani in uſu loquendi habuerunt. Certe nemo fulmine afflatur, quin tonitru etiam ipſum in ſtuporem det & horrorem. Qui toto autem corpore perhorreſcunt, hi etiam pilos ſibi arrigi per totum corpus ſentiunt. Et hoc ipſum *horror* proprie ſignificat. Muti etiam metu redduntur, tam tonitru perterrefacti, quàm alia re qualibet pavorem repentinum incutiente. Unde & faucibus vocem hærentem ex horrore cum

arrectione

arrectione comarum conjunxit magnus Poeta. Certe tonitrûs murmura ipſa homines terrificant, & longe magis quos fulmen afflaverit, & juxta quos deciderit. In omni autem ſtupore, pavore, & terrificatione, quacunque ex cauſa veniat, horripilatio conſequitur, & obmuteſcentia. Sed paulo poſt Salmaſius ſcripſit, *neminem non diras imprecatum eſſe tanti facinoris auctoribus*. Quomodo hoc fieri potuit, ingerit Miltonus, ſi vox faucibus hæſerat? Heic ſane Salmaſius hærebit, & pœnas dabit Miltono. Quaſi vero ſemper illi muti manſerint. Primo ictu horribilis nuntii terrifico attoniti vocem amiſerunt, ſed poſt paulo ſoluta lingua, & voce expedita, diras imprecati ſunt parricidis. Quid habes jam, quod tinnias, Miltone? Immo habes, & ad ſolitas tibi ineptias iterum redis, ut totus ex inficetiis conflatus es; cũ frigida adnominatione dicis in ſequentibus, *Salmaſium* in *Salmacidem* converſum. Sed quis alter præter te pro Salmacide haberi queat, qui Italis, cum apud eos viveres, culcita fuiſti, & quem pro fœmina habuerunt, quia te virum eſſe non crediderunt. Illi certe te ob formæ decus commendarunt, & Angelum etiam futurum, non Anglum cecinerunt, ſi pietas in te pulchritudini reſponderet. Quis nomen Salmacidis magis meretur, quam ille, qui, quod eſt fœminarum, ſibi arrogat, & de ſolo formæ bono gloriatur, qui etiam ſculptori ſuo verſibus editis in vulgus maledixit, quod ſe minus formoſum, quàm revera ſe eſſe putaret, pinxerit. Non dubito, quin ea feſtiva & faceta viſa ſit te multo etiam ineptioribus quibusdam Hollandis. In te etiam, alio nemine, hæc *Salmacidis* effœminatio convenit, qui parvo ſtipendio conductus maluiſti cerdonũ & militũ rebellium eſſe mancipium, quàm legitimo tuo Regi fidelis manere. Non mollicelli vero & belluli catamiti illa verba ſunt, quæ ſubjeciſti, ſed audacis & nefarii Alaſtoris, infandi impoſtoris, & rebellionis doctoris & parricidarum advocati confidentiſſimi & impudentiſſimi. *Ad quoscunque ſupplicii de Rege ſumpti fama pervenit, neminem ibi repertum in libero præſertim populo fuiſſe, qui vos dicto læderet, aut factum veſtrûm crimini daret, immo pòtius omnes omnia bona dixiſſe, quin etiam Deo gratias egiſſe, qui exemplum tam illuſtre & excelſum juſtitiæ ediderit, quodque tum cæteris Regibus jam ſalutari documento eſſe poſſet.* O hominem impurum, & ſceleſtum! ô ferream hominis, ſi modo homo eſt, frontem! Cum hæc ſcriberes, non puduiſſe te, non potuiſſe præſentire te convictum iri ob omnibus, qui id lecturi eſſent, mendacii, & impoſturæ non ferendæ? Si teſtimonia gentium petantur, an ulla gens poteſt hodie nominari, quæ non execrata ſit & deteſtata tam impium facinus? Ne veſtra quidem tota aliter ſenſit, aliter loquuta eſt, exceptis nefandæ rebellionis conjuratis & ſociis. Scotia tota, Hibernia tota, & voluere impedire ne fieret, & factum deteſtatione ſumma proſequutæ ſunt. Non aliud judicium

Anglorum

Anglorum fuit, præterquam illorum, qui factum probare debuerunt, quia fecerunt. Quis enim latro, vel ſicarius, ſe male unquam hoc feciſſe fatetur, niſi cum tortor præſto eſt, aut carnifex? Multi etiam tortorem ſuum & carnificem intus geſtant, quibus eorum conſcientia cruciatur. Et conſtat, nonnullos ex ſceleratis illis, qui in Regis necem conſpirarunt, pœnitentia ductos, aut intra annum, aut non longe poſt annum à ſupplicio Regis, laqueo ſemetipſos ſuffocaſſe, & de infami trabe pependiſſe. Tu etiam illo ſupplicio, *exemplum juſtitiæ à Deo editum, illuſtre & excelſum fuiſſe* audes, homo ſceleratiſſime, & in Deum blaſpheme, affirmare, quo nullum unquám injuſtius & iniquius ab omni ſæculorum memoria editum fuiſſe conſtat. Quod ſine jure, ſine lege, ſine auctoritate factum liquet? In quo hoſtes accuſatores, teſtes judices iidem fuere, hoc juſtitiæ divinæ excelſum exemplum pronuntiare non vereris? Vin' ſcire de me, & audire, quod exemplum excelſum juſtitiæ Dei futurum revera fuerit? En hoc eſt, ſi tu nempe, pro iſta tua in Regem & in Deum impietate, ex altiſſima furca ſuſpenſus hominibus documento eſſes, non placere Deo perjuros, & parricidas: aut, ſi caput tuum, longiſſimæ haſtæ affixum, in faſtigio turris Londinenſis ſpectandum è longinquo præberetur. Hoc vero *excelſum* eſſet *exemplum juſtitiæ divinæ*. Tu dicis, homo impurate, Salmaſium *ſuperbia & faſtidio turgere*, cum fortean velles *faſtu* dicere. Faſtidium quidem & inſolentiam alicubi conjunxit Cicero, ſed aliud eſt *faſtus*, aliud *faſtidium*: faſtus eſt τῦφος, quod ἔπαρσιν Græci interpretantur, & elationem animi, & inflationem; ſed faſtidium eſt, quo aliquem, aut aliquid, faſtidimus, & contemnimus. Ego vero fateor me adeo faſtidio & tædio laborare, dum tuas partim ineptias, partim improbe dicta, & facta, excutio, ut bono ſtomacho opus ſit ad ea omnia concoquenda. Sed jam in eum locum progreſſi ſumus, in quo criminatione longe maxima & importuniſſima Salmaſium pulſaſti, & in flagranti quaſi facinore te eum deprehendiſſe tibi perſuaſiſti. Priuſquam eam diluam, obiter quod hic ingeris etiam purgabo, & de eo quomodo tecum ipſe pugnes, & parum tibi conſtes, ut ſolet ſæpe uſu venire mendaciloquis, oſtendam. Heic, inquam, dicis, Salmaſium *ab exulibus veſtris pretio redemptum* contra vos ſcripſiſſe. Pagina priore poſuiſti, *Principem Auriacum illum ad ſcribendum impuliſſe*. Alio loco, *ab uxore rogatum, quæ imperium pluſquam Regium in eum haberet*, hanc defenſionem ſuſcepiſſe. Nihil horum eſſe verum alibi oſtendam, tantum abeſt, ut tria ſimul concurrerint. Nunc ad illud grande, & grave crimen deſcendamus, quod impingit Salmaſio Miltonus. De Epiſcopis eſt. Eos Salmaſius de Eccleſia tollendos, in Apparatu ad Primatum

Papæ,

Papæ, multis contendit. Ecce nunc idem Salmaſius tanta vanitate eſt, & impudentia, ut Parlamentum Angliæ graviter incuſare iſto nomine audeat in defenſione Regia, *quod Epiſcopatum non ſolum Senatu ejiciendum, ſed etiam penitus abjiciendum cenſuerim.* Quin immo, quod majus eſt etiam crimen, addidit, *neceſſarios eſſe Epiſcopos, & omnino retinendos, ne mille peſtiferæ ſectæ & hæreſes in Anglia pullularent.* Salmaſius inde vafer, verſipellis, in ſacris deſultor, *cui religio non ſit quidlibet ſcribere, verum, an falſum, pium, an impium.* Sed age, Salmaſium defendamus, qui Reges defendit. Non ſimplici vice poteſt excuſari. Immo ne excuſari quidem velit, quem accuſare ob hanc rem nemo jure queat. Audi tamen quomodo, per me, ſe immunem peccati probare intendat. In libro de Primatu, ex ſua perſona loquutus eſt, & in genere tollendum ab Eccleſia Epiſcopatum cenſuit; quia per ejus varios gradus & ordines ad illud faſtigium tyrannidis, quam nunc poſſidet Epiſcopus Romanus, ambitio Epiſcopalis aſcenderit. In defenſione Regia non ex ſua, ſed ex Regis perſona, ita jam mihi loqui liceat cum bona venia Miltoni, ſcripſit ſibi videri retinendum. Advocatum hic agebat Regium. Pro quo ſcribebat, an debuit contra eum dicere, & damnare ejus ſententiam de Epiſcopis? ſemper ille optimus Rex in ea opinione perſtitit, non poſſe eos à ſe removeri, quia, cum ad regnum venit, illum ordinem invenit, & juravit, ſe omnia in eodem ſtatu, quem reperiſſet, eſſe conſervaturum. Non potuit Salmaſius reticere de Epiſcopis, cum magna pars fuiſſent illius tumultûs, qui in Anglia concitatus fuerat. Non potuit etiam, qui ore ipſius Regis quaſi loqueretur, quin mentē certe illius omnino exprimeret, eos abjiciendos pronuntiare; cum id eſſet Regem contra ſe perorantem inducere. Quæcumque Rex ipſe dixiſſet, ſi cauſam ipſe ſuam defendiſſet, hoc Salmaſius in ea defenſione dicere ex officio coactus eſt. Præterea ne quidem Salmaſius, vel ex animi ſententia loquens, potuit probare quod actum eſt à rebellibus: qui, ſi ejiciendi omnino fuerunt Epiſcopi, nullum tamen ipſi jus eorum abjiciendorum ex Senatu, vel ex Eccleſia habuere. A Parlamento ſolemniter convocato, conſentiente utroque ordine, nobilium & plebeiorum, & Rege auctoritatem præbente & aſſenſum, ſine quo nihil ſtatui in eo conventu poteſt, quod firmum ſit ac ratum, vimque ac vigorem legis habeat, id fieri debuiſſe, nemo legum & juris Anglicani peritus inficias iverit. Nullum quippe ſine Rege Parlamentum, nullum ſine nobilibus, qui præcipuam & principalem partem faciebant hujus ſupremi concilii. Synodum etiam ſuper ea re ex tota Anglia generalem ac nationalem congregatam oportuit. Alia præterea ratio eſt, qua Salmaſius tueri poteſt, quod ſic de Epiſcopis ſcripſit. Ut dies ſequens magiſter eſt prioris, experientia certe docuit, regimen Epiſcopale in Anglicana

glicana Eccleſia longe præferendum eſſe Independentiæ, quæ hoc tempore obtinet, & ἀναρχίᾳ. Presbyteriani omnes hoc jam confitentur, & agnoſcunt. Enimvero vel ipſa res hoc eſſe veriſſimum teſtatur, & tantum non clamat. Nam ab Epiſcopatûs abolitione conſequuta eſt horrenda confuſio & perturbatio religionis, ſectis innumerabilibus, quæ antea, velut Orco damnatæ, in tenebris deliteſcebant, derepente, quà data porta, undequaq; in lucem erumpentibus, metu videlicet Epiſcoporum ſublato, à quibus antea reprimebantur. Atque ut imaginoſa eſt Anglicana natio, & ad Enthuſiaſmum prona, miriſque in religione viſionibus obnoxia, ſi ſuo arbitrio & libertati permittantur homines, nihil tam novum, inauditum, mirum, & abſurdum, quod non inde loci homines & cerebro ſuo concipere, & conceptum in auras emittere velint, & audeant. Independentię præcipue licentia hoc perfectum eſt, ut hodie centum & quinquaginta, & amplius ſectæ monſtruoſæ, & antea inuſitatæ ibi, nunc vigeant. Quod nunquam fuiſſet, ſi Epiſcopi Eccleſias regerent, ut olim rexerunt. Poſtremo Salmaſius in hac ipſa defenſione ſcripſit Epiſcopos non fuiſſe tollendos, ſed in ordinem cogendos. In ordinem porro coacti, id quod in ipſis vituperabatur, amiſiſſent, faſtum nempe, & faſtigium potentiæ Eccleſiaſticæ, ac nomen tantum cum moderata gubernatione retinuiſſent. Quid? an negare poſſunt Presbyteriani & Independentes nomen Epiſcoporum cognitum fuiſſe primæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ? Quid, ſi Presbyteri hodie Epiſcoporum appellatione donarentur, ut olim ſub Apoſtolis vocatos conſtat ab officio & munere, quod in Eccleſia habebant, an hoc reprehenderent? An non ergo potuit Salmaſius, hac experientia edoctus, ſententiam mutare, & Epiſcopos in Anglia præſertim retinendos pronunciare, cum tot mala ſubſequuta eſſe eorum everſionem videamus? Retractationes Auguſtini quis ignorat? Falſum eſt autem, quod hic ſubjicit parricidarum Advocatus, *cum regni ordines, Eccleſia ad exemplum cæterarum reformandæ ſtudio flagrantes, Epiſcopatum funditus tollere ſtatuiſſent, primo Regem interceſſiſſe, deinde bellum Angliæ ea potiſſimum de cauſa intuliſſe, quod ipſi tandem in perniciem vertit.* Mentitur ſolens, ut in omnibus. Primum omnibus manifeſtum eſt, ordines regni reformandæ Eccleſiæ ad cæterarum exemplum nulla fuiſſe unquam cura ſollicitatos. Quod vel inde conſtare poteſt, quod Independentia, & ἀναρχία, apud eos hoc tempore prævalet, & ſub ejus umbra, quas numero comprehendere non eſt, prodigioſæ ſectæ, tutæ tectæque latitant, quarum nonnullæ reformatas Eccleſias, quales ſunt in Gallia, & apud Helvetios, pro Antichriſtianis habent, quin immo & vel pejores Papiſtica ipſa religione aſſerere non verentur. Deinde & illud falſiſſimum, cum ordines regni vellent

Epiſcoporum nomen funditus delere, Regem interceſſiſſe, & ea potiſſimum de cauſa bellum civibus ſuis intuliſſe. Primam quippe ille cauſam habuit armorum ſumendorum,dignitatis & auctoritatis ſuæ conſervationem : cujus vindicandæ juſtam ei dediſſe viſum eſt & rationem & occaſionem Hothami, præfecti Hullæ oppidi,factum,qui portas ejus urbis ipſi venienti occluſit, juſſu & mandato domûs Communium. Hæc prima, ut omnes ſciunt,mali labes; & certum eſt,non antea Regem de armis capiendis cogitaſſe, quàm ſibi ultro à ſuis ſubditis bellum aperte denuntiatum & illatum cognovit. Poſtea quidem,venit rebellibus in mentem Epiſcopatum de Eccleſia,& de domo ſuperiore Parlamenti tollere, non ullo ſtudio & affectu benemerendi de Eccleſia, aut ejus reformandæ cupidine, ſed ut, libertate ex eo & licentia omnibus fanaticis conceſſa, hanc quoque populi partem ſuæ factioni adjungerent, atque ut ægre Rege facerent, & ſic omnem reconciliationis ſpem ei adimerent, quòdq; majus eſt, ut ad illius ſceleris nefandi, quod diu ante præmeditati fuerant, effectum & optatum finem tanto facilius pervenirent. Nemo proinde tam cœcus eſt, etiamſi ſit Miltono cœcior, qui non videat, ſublatis Epiſcopis, Eccleſiam penitus à fanaticis rebellibus fuiſſe everſam: ſicut & Rempublicam, Rege extincto, & regali ſtatu cum eo abolito, funditus peſſumdedere. Quin & ipſe hoc in loco fateri id cogitur perduellium patronus,veritatis vi hoc ab eo fine fidiculis extorquente, formam reipublicę, qualis hodie eſt apud Anglos, non eſſe recte, uti decuit, conſtitutam, *nec talem, qualis eſſet optanda, ſed qualem obſtinata improborum civium diſcordia eſſe patitur.* Qui ſunt iſti improbi cives, dic matula rebellium, qui non patiuntur diſcordia ſua optimum ſtatum in Anglia conſtitui ? Illi ſunt nimirum, qui optimum jam olim conſtitutum, & à tot ſæculis ſtabilitum permanere non ſunt paſſi. Illi ſunt, qui totum exercitum veſtrum componunt, qui Parlamentum ipſum,qui Concilium, ut vocant, ſtatûs. Tu unus illorum quoque es, Miltone, improborum civium, &, ſi dicere fas, etiam omnium improbiſſimus. Omnes autem improbi ; quia rebelles, quia parricidæ, quia tyranni. Hi, factionibus inter ſe diviſi,tam in exercitu, quam in Parlamento, & in Concilio ſtatûs, non ſinunt diſcordiis ſuis pacem in regno hærere, & forma reipublicæ, qualis optima videretur, quo melius vel inſtitui poſſit,vel reſtitui impediunt. Alii popularem ſtatum volunt, alii inter omnes exæquationem bonorum & dignitatum fieri, alii paucorum regimen optant, aliis placeret totam Angliam in tot reſpublicas, quot ſunt Comitatus, diſpartiri, quales ſunt in Fœderato Belgio Provinciæ, aut apud Helvetios pagi, quos *Cantones* vocant. Interim belle facis , & pro ingenui viri officio, qui rempublicam veſtram factionibus laborare non taceas. Deus faxit, ut diu, ac graviter laboret.

laboret, ut ſic, tædio præſentium, tanto citius ad priſtinum ſtatum redire queat. Noli autem putare tam ignarum rerum veſtrarum fuiſſe Salmaſium; ut neſcierit, quid *Concilii ſupremi* nomine Angli, dum felices erant, intellexerint. Sed tu ipſe hoſpes in patria tua, & legum, conſuetudinumq; Anglicani regni parum peritum te eſſe oſtendis, dum omnia, quæ nunc ſunt, ita ſemper fuiſſe ipſe tibi perſuades, aut aliis perſuadere conaris. Primum omnium ſciri debet, *Concilium* aliud *ſupremum* ſub Regibus nullum unquam fuiſſe, nec appellatum eſſe, niſi ipſum Parlamentum. Quod ut *Parlamentum Regis* paſſim in Anglorum veterum Juriſconſultorum, & *Juſtitiariorum* ſcriptis vocatur, & in ipſis etiam ſtylis, & Statutis Parlamentorum tuorum Anglicanorum, ita & *ſupremum Regis concilium*, & *ſuprema curia Regis*. Huic Rex præſidebat, cujus & cogendi, diſſolvendique, ſolus poteſtatem habuit. Rege ſublato, Cromwellius, qui in Regis locum tyrannus, cum ſuis aſſeclis, ſurrexit, hoc ipſum concilium, ſive Parlamentum, nutu ſuo, & arbitrio regere cœpit. De eo igitur intellexit Sålmaſius, cum *Præſidem* eum *ſupremi concilii* appellavit,quæ olim Regis partes fuere.Parlamentum iſtud poſtea intra domum inferiorem ſolam conſiſtere cœpit,& ad numerum quadraginta nebulonum è luto, & fæce populi,redactum tum fuit, cum reſcidit ſententiam ducentorum ſenatorum; qua ſtatuerunt, ſibi videri Regem omnia conceſſiſſe populo ſuo, & Senatui,quæ facere poſſent ad pacem,& concordiam, regno reſtituendam, ac ſtabiliendam. Hoc idem conciliabulum erexit curiam novam, quæ *Suprema curia juſtitiæ* dicta eſt, ad hoc ſolum, ut Rex capitis in ea condemnaretur, ex centum & quinquaginta ſcilicet latronibus compoſitam,magna ex parte tribunis militum, Regi ſuo rebellibus, & ex membris inferioris domûs, nomini Regio infenſiſſimis. Reliqui adſciti fuere ex civitatis Londinenſis minuta plebecula, inter quos unus calceolarius ſutor fuit, alii aliarum ſellulariarum artium & mechanicarum opifices,aurifabri, cerviſiæ coctores,decoctores in his multi,& ſcortatores noti; quæ tamen omnes *Sanctorum* nomine Diva Independentia vivos ſacravit. Hæc curia novi fuit inſtituti, ut & illud *Concilium ſtatûs*, quod nunc dicitur, de quo Salmaſius non intellexit,& quod optime ſcivit non eſſe nunc ſupremum, nec ita dici, cum & illud non neſciverit, tale concilium, ut nunc eſt, incognitum fuiſſe ſub Regibus, quamvis id aſſerat, Sanctæ Laverne, alias Divæ Independentię antiſtes. Sed quis tibi vervecino ſincipiti, ſine teſte,ſine auctore, ſine ratione loquenti fidem arbitrari ſuſtineat? *Semper*, inquis, *hoc uſitatiſſimum fuit; ut Parlamentum, qui noſter Senatus eſt, delectos ex ſuorum numero pauciores, quales viſum erat, conſtitueret, iis unum in locum ubique conveniendi, & veluti cujuſdam minoris Senatûs habendi poteſtas data eſt; iiſdem ſæpe res graviſſimæ,*

quæ

quo celerius, & majore cum ſilentio, tranſigerentur, commiſſa, atque credita, claſsis, exercitûs, ærarii cura, aut procuratio, quævis denique pacis, aut belli munia. Oportet te inſigniter impudentem eſſe, qui tam aperte de rebus adeo in contrarium manifeſtis mentiri audeas. Ubi, aut quando, hoc factum, quod dicis? Qua ex domo Parlamenti illi pauci ſeligebantur, qui Senatum illum minorem conſtituebant? Domus ſuperior, an inferior eos eligere ſolebat, an utraque ſimul? Nullamne partem Rex in iis nominandis habuit? Quot numero ſumebantur ut plurimum, aut quod ad tempus? An uſque ad ſequentis Parlamenti conventum? An ſemel nominati, & electi, nunquam poſtea mutabantur? *Quo celerius*, inquis, *& majori cum ſilentio, negotia tranſigerentur.* Quid opus ſilentio in rebus, quæ in notitiam omnium, ubi ſemel judicatæ, & conſtitutæ forent, venire debebant? Sed jam heic te captum teneo, quamvis anguilla ſis, miſer homuncule, ut elabi non poſſis. Quod nomen iſti fuit Senatulo, vel conventiculo, ex corpore Parlamenti detracto, ad res tanti momenti cognoſcendas, & dirimendas, quæ ad claſſem, ad exercitum, ad ærarium, ad quælibet denique belli, aut pacis, munia pertinebant? Si res antiqua fuit, fuerit etiam, oportet, cum aliquo nomine, præcipue, cum tam lata juriſdictio, & poteſtas hujus minoris Senatûs eſſet. *Hoc*, inquit, *ſive Concilium nominetur, ſive quid aliud, verbo forte novum, re antiquum eſt.* Ita hebes es, & ſtupidus, ut quid dicas neſcias. Nec ſemuncia ſensûs communis in te reſidet. De re tanquam certiſſima & antiqua loqui inſtitueras, nunc, ne quidem quo nomine olim vocata ſit, ſcire profiteris. Dubitas, utrum novum vocabulum ſit, an vetus, rem ipſam tamen antiquam eſſe affirmare non vereris. Si verum eſſet, quod dicis, Senatulum iſtud, de Senatu decerptum, majoris eſſet auctoritatis, & de majoribus negotiis cognoſceret, quàm ipſum Parlamentum. Nam ampliſſimam illam poteſtatem eſſe neceſſe eſt, quæ ærarii procurationem habeat, & pacis ſimul, belliqne adminiſtrationem. Si hæc munia Parlamento demas, & des huic Parlamentulo, nihil reliquum erit, alicujus ſaltem momenti, quod ad cognitionem Senatûs referri poſſe videatur. Cæterum quis ignorat belli, & pacis, negotia ad Conſtabularium pertinuiſſe, cujus ampliſſimum munus fuit, non ſolum in bello, ſed etiam in pace. Non ille creabatur à Parlamento, ſed à Rege, ad quem militia pertinebat. Ærarii quoque cura penès Theſaurarium fuit, & alios judices, qui in curia Scaccarii ſedebant, quem Rex quoque creabat. Vide aſtutiam hominis aliàs bardi, ſtolidique. Non auſus es, ô frutex, nominare *Concilium ſtatûs*, ut nunc iſti concilio nomen eſt, quod Parlamentum ex ſui corporis hominibus ſelectis conſtituit, cui & illam quam dicis, poteſtatem & procurationem concedit, ne ex te ſcilicet quæreretur, ubinam mentio, aut veſtigium

extaret

extaret ſub Regibus iſtius concilii ſtatûs ex Parlamento deſumpti, & Parlamenti auctoritate & electione conſtituti. Dubitare etiam te fateris, ô funge, quod nomen antiquitus habuerit, cum tamen res antiqua ſit. Enimvero, ſi ullum tale corpuſculum ex corpore Parlamenti decerptum Regum tempore extitiſſet, per Regem id fuiſſet formatum, non per Parlamentum. Nam & ipſe Rex, cum quæſtio erat de capite unius Parium, de quo ſoli Pares poterant judicare, conſueverat certo numero Pares ex domo procerum ſeligere, qui cum Seneſchallo ſuo cauſam ejus cognoſcerent. Minor numerus non poterat eſſe, quàm duodecim. Plures nominari licuit, quos, & quot Regi viſum eſſet. Die dicta magnus Seneſchallus, qui vices gerebat capitalis & ſummi Angliæ Juſticiarii, ſervientem ſuum, ſive ſtatorem Latine dixeris, mittebat ad illos Pares, quos huic cauſæ diſceptandæ Rex nominatim deſtinaverat, ut ſe præſentes ſiſterent ad eum locum, ubi ipſe judicium eſſet habiturus, & mandatum, quod à Rege acceperat de tali judicio habendo, *commiſſionem* vulgo appellant, oſtendi illis, & legi curabat. Hoc locum habuit, cum aliquis Parium majeſtatis, aut feloniæ eſſet accuſatus. Si ullum tunc concilium ſtatûs cognitum aut auditum fuit, Regis ipſius erat, & à Rege conſtitui ſolebat, ut omnes curiæ, quæ qualemcunque jurisdictionem & quacumque de re habuere, ne quidem Parlamento ipſo excepto, quod *Regis Parlamentum* in antiquis ſtatutis, & actis Parlamentorum ipſorum, ſemper appellatur. Fleta, lib. II. cap. II. de differentiis curiarum: *Habet Rex Curiam ſuam, in concilio ſuo, in Parlamentis ſuis, præſentibus Prælatis, Baronibus, proceribus & aliis viris peritis, ubi terminatæ ſunt dubitationes judiciorum, & novis injuriis emerſis nova conſtituuntur remedia, & unicuique juſtitia, prout meruit, retribuitur ibidem.* Hæ ſunt duæ primariæ & ſummæ curiæ, concilium ipſum proprium, & Parlamentum. Sequitur enumeratio toto capite judicialium omnium Angliæ conventuum, in quibus Rex ſuam curiam habere dicitur, æque ut in concilio ſuo, & Parlamentis. *Habet etiam curiam ſuam coram Seneſchallo ſuo in aula ſua.* Item, *Habet etiam curiam ſuam in Cancellaria ſua.* Sequuntur aliæ plures, in Scaccario, in Banco, & aliis, item in Provinciis, in quolibet Comitatu, in Hundredis, in Civitatibus & Burgis, ut in Haſtingenſi, Londinenſi, Lincolnienſi, Wintonenſi, & Eboracenſi. *Et alibi in libertatibus, in quibus locis Barones, cives, & ſectatores curiam habent.* Hæ ſunt minimæ Curiæ, ut maximæ Concilium Regis, & Parlamentum. Nullo in loco, nulla de re, à nullo judice jus reddebatur, quin ibi Curia Regis diceretur eſſe & intelligeretur. Concilium porro illud Regis, quod primo loco nominatur ab Fleta, fuit *concilium privatum*, ut vulgo loquuntur. Ita appellatur in oratione Regis ad utramque domum, cum aſſen-
ſum

ſuum præberet Billis, uni *ad auferendum ſupremæ commiſsionis tribunal*, alteri *ad tollendam cameram ſtellatam, & reformandam menſam privati Concilii*. *V. Julii*, cIↄ Iↄ cxli. David Jenkinſius hoc concilium Regis appellat *concilium ſtatûs*, in libello, cui titulus *Lex Terræ*. Cum non eſt Parlamentum, Rex habet *judices legis*, quorum nempe conſilio uti poteſt, *numero duodecim, duodecim magiſtros Cancellariæ, concilium ſuum ſtatûs, conſiſtens è quibusdam magnis Prælatis, aliis magnis perſonis verſatis in negotiis ſtatûs, cum pauciſsimi ſint, numero duodecim*. Nuſquam apud antiquos Angliæ ſcriptores, & juriſconſultos, *concilium ſtatûs* nominatum invenio, ſed ſimpliciter concilium Regis. Apud Bractonum,& alios, etiam *Curia Regis* appellatur. Hoc eſt igitur *concilium ſtatûs*,quod mendaciſſimus & impudentiſſimus nebulo, antiquitus fuiſſe ex Parlamento, & Parlamenti auctoritate ſumptum, quaſi minus Parlamentum, mentitur, cum tamen ſe neſcire fateatur, utrum ſit vetus, an recens nomen rei antiquæ. Non quærendus eſt, qui ipſum refellat, ipſe ſe ſatis ore ſuo refutat. In hoc ſanctiore Regis concilio, ut ab aliis vocatur, graviſſimæ cauſæ tractabantur, & maxima regni negotia, circa legationes Regum & Principum, & alia ejusmodi. Et cum ipſius Regis eſſet concilium, etiam ſupremum, ut ſic cum vulgo loquar, eſſe debuit, quia ab eo provocatio non dabatur ad Parlamentum, & conſtabat ex Prælatis, nobilibus, & Baronibus, quos Rex eligebat, & qui etiam in Parlamento ſedendi jus habebant, cum Rex eos litteris ſuis, ut Parlamento intereſſent, evocabat, non vero ex Parlamento ſumebantur, qui huic concilio intereſſent, niſi per Regem ipſum. Hoc ſemel quidem factum fuit ſub Richardo II. procurante quidem ipſo & conſenſu Parlamenti extorto, ut certę perſonæ tam Dominorum quam communium è corpore ipſius Parlamenti ſelectæ conſiderent, cum eadem poteſtate & imperio, quale penès Parlamentum eſſet, ad quasdam petitiones decidendas, quę oblatæ Parlamento fuerant, ſed non determinatæ. Hi ſub hoc prætextu ad res alias majoris momenti expediendas auctoritatem ſuam extendebant, & ſic majeſtatem Parlamenti comminuebant. Quod inſtitutum à Richardo ferunt ad auctoritatem Senatûs abolendam, & populum opprimendum, ideoque hoc ipſi inter crimina objectum, & propter quæ depoſitus fuit. Perſonæ illæ, in quibus Parlamenti poteſtas reſidebat, ipſo jam dimiſſo, à Rege ad hoc deligi ſolebant. Tale hodie concilium ſtatûs ſibi rebelles conſtituerunt, è quadraginta capitibus compoſitum, & ex Parlamento ſumi ſolitum. Quorum vicena in ſingulos annos exeunt, & totidem ſemper ſubrogantur ex ipſo Parlamenti numero, Præſides ipſi mutantur in menſes, & novi eſſe inſtituti hunç conſeſſum ne ipſe quidē Miltonus, qui omnia ſolet manifeſta nega-

negare, non poteſt, quantumvis velit, diffiteri. Paulo poſt idem Advocatus prædonum, uno verbo nobis expedire volens, quo jure, aut qua lege, Rex capitis condemnatus ſit, & ſecuri per carnificem publice percuſſus. *Ea lege*, inquit, *quam Deus & natura ſanxit, ut omnia, quæ saluti Reipublicæ eſſent, legitima, & juſta haberentur.* Ad hæc pauca non poteſt paucis reſponderi, niſi quis dixerit, naturam moloſſorum aliam eſſe, quàm hominum at: cum iſti Angli ſuis moloſſis ferociores ſint, naturæ ſuæ convenienter tale facinus videntur commiſiſſe. Certe ut aliam ſe naturam habere hoc facto oſtendunt Anglici parricidæ, quàm cęteræ gentes humanæ, videntur quoque & alium Deum agnoſcere, qui fuerit incognitus Judæis, & nunc ſit omnibus Chriſtianis: cum nec Pagani quidem talem Deum cognoverint, qui hanc legem ſanxerit, ut omne, quod cuique, vel rebus publicis, vel privato, commodum videatur & ſalutare, idem etiam juſtum habeatur, ac legitimum. Sic lata porta aperiretur omni iniquitati, & injuſtitiæ, ut & violentiæ, fraudibus, & rapinis omnium; ſi utilitas, ſalus, & commoditas cujusque, vel privatim, vel publice, regula juſti & æqui ſtatueretur. Filius decoctor, cujus nepotinis ſumptibus durus & deparcus pater pecuniam ſuppeditarę renuerit, ejus tollendi de medio conſilium capiet, & quidem jure, quia hoc utile, & ſalutare rebus ſuis, & inopiæ præſenti, judicat. Obærata plebs in populo ſeditionem adversus divites concitabit, & contra magiſtratum etiam rebellabit, omnium poſſeſſionum & bonorum exæquationem flagitabit, quia jam non poteſt vivere, niſi hoc fiat. Tu unus es, Miltone, ex illis peræquatoribus: ea de re non placet tibi forma Reipublicæ Anglicanæ, qualis nunc eſt, quæ paucis paret tyrannis, & quæ parum æqualiter partitas divitias patitur. Similiter ære alieno obruti, & ſumptibus exhauſti, & egentes, proceres idem quoque jure merito tentabunt, quia nulla ſalus illis poteſt eſſe, niſi in everſione Reipublicæ. Juſte ergo fecerit Catilina, & alii ejus ſimiles, qui ſaluti ſuæ ut conſulerent, rempublicam evertere conati ſunt. Sed quis vobis conceſſerit, hoc, quod vos feciſtis, carnifici tradendo Regem veſtrum, in ſalutem Reipublicæ ceſſiſſe? Contrarium jam omnibus apparet. An felicior nunc & fortunatior ejus ſtatus videtur, quàm fuit ſub Regibus? Immo omnium confeſſione, vel maximæ Anglorum partis, longe infelicior, & miſerior. Libertas minor eſt, quàm fuit, tributa graviora, metus rapinarum ſemper imminens à barbaro & importuno milite, cujus præſidiis novam potentiam ſuam tueri debent, qui per vim nunc dominantur. Timor belli tum inteſtini ex factionibus contrariis, tum externi ab illis, qui jus ſuum repetere poſſunt, ſemper exercitos & ſollicitos habet. Non alia commemorabo, quæ ipſi cives Angliæ melius vident, &

ſentiunt. Sed eſto, debuerit tolli Rex, ut ſalutis ratio conſtaret Reipublicæ, Cur carnifici traditus? Etiam qui maxime Regio nomini, & imperio, infenſos ſe eſſe oſtenderunt, doctrinæ parricidalis auctores, & Hildebrandinæ, non ultra proceſſere, quàm ut deponendos eſſe pronuntiarint Reges malos. Qui peſſimi inter illos, ſi placide deponi, vel vi extingui non quirent, veneno rem peragi poſſe ſcripſerunt. Nemo tam crudelitate belluinus, tam ab omni humanitate averſus, tam legibus divinis contrarius, tam à natura ipſa humana & ratione derelictus unquam repertus eſt, qui ad ſupplicium rapiendos, & carnificis ſecuri immolandos cenſuerit. Ipſi Romani inimicos Reges hoſtes declaratos, & bello victos, quamvis omnia hoſtilia ab his perpeſſi eſſent, & infinita in variis præliis detrimenta ac clades accepiſſent, non tamen neci dabant. Cicero, ad Herennium lib. 4. *Bene majores noſtri hoc comparaverunt, ut neminem Regem, quem armis cepiſſent, vita privarent.* Tu, homo impius & nefarius in Deum & homines, ad Deum & naturam nos vocabis, ut probes jure à civibus ſuis Regem legitimum, & avitum poſſidentem regnum longiſſima ſucceſſione ad ſe devolutum, ſub carnifice morti addictum fuiſſe? Ubi Deus hanc legem ſanxit? in Veteri, an in Novo Teſtamento? ſed apud vos parvus hujus, vel illius fœderis, reſpectus, nec iſto genere argumenti jugulandi eſtis. Deus tamen præſens, & manifeſto numine viſus, & auditus, oraculo ſuo vobis mandavit, Regem ut veſtrum non tantum vita privaretis, ſed etiam per carnificem id faceretis. Deus ille mitis, & miſericors, & vere Deus, an Spiritus nequam, qui vos ad omnia ſcelera, & flagitia, flando, & reflando, ſolet impellere? Naturam etiam pro vobis facere contenditis, quia nimirum ſatis non erat, quod Deus præſens hoc fieri imperaſſet, niſi etiam naturam ad partes vocaretis, quæ vos quoque ad idem ſcelus ſuſcipiendum adhortata eſt. Non poteratis ſane majoribus auctoribus peccare, quàm Deo, & natura. Sed cur iſtam divinam & naturalem legem, quæ jubet Reges excarnificari, nulla gens tam fera fuit & barbara, nulla tam humana aut erudita, quæ intellexerit, quæ habuerit, quæ in uſum converterit? Vos eſſe primos ipſe gloriaris, qui hoc tetrum, crudele, barbarum, impium facinus facere auſi eſtis. Et quaſi præclariſſimum factum jure divino & naturali munitum defendis. Jus ſane omne ex his partibus fere conſtat, natura, lege, conſuetudine, judicato, æquo, & bono. Natura jubet parentes venerari & colere etiam malos, etiam duros, etiam ſeveriores juſto. Reges quoque, qui loco parentum ſunt, quamvis tyrannice imperent, tolerari vult, & coli. Oportet itaque peculiarem naturam Anglorum eſſe, quandoquidem ea, quę communis eſt cæterorum hominum, cenſeri nolunt. Legis ullius auctoritate id ſe feciſſe, probare non poſſunt; quia nulla lex apud

apud Anglos extat, quæ jubeat, aut permittat nomen Regis deferri, aut eum capite puniri, cum è contrario lex fundamentalis regni, & communis lex terræ, ut vocant, & communis uſus ſemper aliud ſtatuerit. Ne actione quidem civili eum pulſari fas fuit. Ne villicus quidem ejus, ipſo præſente, poterat prehendi: nam preſentia Regis eum protegebat. Conſuetudine recepta & inveterata adducti non dicent id à ſe factum, cum nulla talis conſuetudo in uſu apud Anglos fuerit. Quod & ipſi ſatis agnoſcunt, cum ſe primos ex omnibus gentibus id tentaſſe ſe jactent. Judicatæ jam rei in ſimili caſu auctoritas ad id eos non perpulit, cum ſimile judicium in Anglia poſt hominum memoriam factum non reperiatur. Æqui & boni ratione permotos ſi hoc ſe feciſſe defenderint, nullo pari colore prætexi poteſt hæc defenſio. Æqui bonique ratio pertinet ad ſalutem, & utilitatem publicam. Nihil ex eo nefando facto utilitatis in rempublicam redundaſſe, poſſunt oſtendere, cujus ſtatum in pejus ruiſſe res ipſa arguit, cum cædibus, rapinis, legum violatione, libertatis everſione, nobilitatis exterminatione, litterarum exitio, omnium rerum confuſione, tot familiarum internecione, Eccleſiæ quoque ſubverſione, & religionis corruptione, hæc reipublicæ commutatio conſtiterit. Nec aliter conſtare hujuſmodi populorum vel principum in Regem ſuum rebelliones, exemplum hodie dat luculentum miſera Gallia, quæ plus detrimenti paſſa eſt domi & foris uno hoc anno, quo furiali & plus quam civili bello vexata eſt, quàm ſi per decem adhuc annos, volente Rege, res regni adminiſtraſſet ille, quem tanto ſtudio, & tanta contentione, tantoque animorum æſtu, odioque tanto, extorrem è Galliæ finibus præcipitari populus rebellis, rebellibus adhærens principibus, efflagitabat. Eant nunc, & dicant per patronum ſuum, crudeliſſimum Regis ſui carnificem, ſe jure vitæ ejus parricidales & ſacrilegas manus intuliſſe. Si Rex totam illam catervam ſceleratorum civium, Puritanorum, Bruniſtarum, & Independentium, mature extinxiſſet, & in ipſo conatu oppreſſiſſet; tum ſane nemo foret, qui non fateretur, omni jure & ratione id ab eo factum. Tum enim omnia concurrerent in unum, per quæ aliquid jure quàm optimo fieri poſſe & factum fuiſſe, omnes una voce conſentirent, Deus, Natura, lex, conſuetudo, judicatum, æquum & bonum. Nunc perſpiciamus, an Eccleſiam & religionem melius tractarint, quàm Regem & rempublicam. Ipſius patroni eorum confeſſione patebit, non æquiores Deo fuiſſe, quam Regi, cujus imaginem in terris Rex refert, quia Regem tollendo, religionemque violando, utroque facto adæque impietatem ſuam erga Deum oſtenderunt. Salmaſius eos accuſaverat, quod colluviem omnium ſectarum recepiſſent. *Quidni*, reſpondet Miltonus, *recipiant*? Si pro cæteris ſuis

factis

factis & dictis ſibi ſimilis hac etiam in parte eſſe voluiſſet, poterat hoc negare. Nam multa alia negavit, non minus manifeſta & confeſſa. Sed putavit heic quoque rem pręclaram & laudandam egiſſe novæ Reipublicæ dominos, quæ & ultro proinde à ſe agnoſci & verbis decorari debuerit. Et rationem addit. Ad Eccleſiam pertinere è cœtu fidelium eos ejicere, non magiſtratuum è civitate pellere, ſi quidem in leges civiles non peccent. Ergo te judice, hæreſeon non minus, quàm rebellionum patrono, quilibet hæretici, & ſectarii, etiamſi Chriſtum negēt, non debent à magiſtratu exilio vel morte damnari, modo nihil agant, quo violentur, aut ſolvantur leges civiles. Hinc apparet te eſſe unum ex illo ſectariorum grege, quos Anglia ſinu ſuo fovet, & qui tolerantur à magiſtratu, quorum doctrinæ ſumma eſt. *Hanc eſſe voluntatem Dei, ut inde ab adventu Filii ejus, ſit permiſſio Pagana, Judaica, Turcica, Antichriſtiana religionis, nec niſi verbo Dei contra eas pugnandum, & peccatum ſine comparatione maximum eſſe in magiſtratu uti coercitiva poteſtate contra conſcientias. Magiſtratum ne quidem ob blaſphemias, etiamſi Deus & ſcriptura negarentur, quemquam punire poſſe.* Secta etiam eſt in eadem Anglia, quæ magiſtratum, coercentem novarum & impiarum religionum auctores, pro Antichriſto habet. Nec tu ſolum in iſta opinione verſaris, perfide Miltone: ſed omnes veſtri Parlamentarii, quod re ipſa comprobarunt, cum, ſublato Epiſcopatu, nullum certum Eccleſiæ regimen conſtituerunt, ſed vaga & ſoluta omnia reliquerunt, cum licentia unicuique credendi quod vellet, & nihil credendi ſi vellet, qui & liberum eſſe omnibus voluerunt cujuſcumque generis, conditionis, ſexûs, ætatis, docere, concionari, Sacramenta adminiſtrare, & in ſumma id ſolum, quod cuique probare rectum videretur. Inde origo & principium tot hæreſeon & ſectarum, quæ Angliam nunc pede vago & ſecuro perambulant, quas omnes eſſe, & quidem etiam bene eſſe publice patitur egregium rebellium Parlamentum. Qui Atheïſmum profitentur, hoc illis etiam per eos, qui nunc regnant, licet. Ait Lavernionum Advocatus in Eccleſiæ poteſtate eſſe eos à cœtu fidelium ejicere. Sed quæ Eccleſia, dic mihi, eos ejiciet? Certe unaquæque ſecta & hęreſis Eccleſiam habet propriam, & locum precibus deſtinatum, ad quem conveniant. Per leges autem & diſciplinam veſtræ divinæ Independentiæ, ſingulæ Eccleſiæ, etiam ſi ex numero tantum ſeptem perſonarum conſtent, non ab aliqua altera Eccleſia dependent, ſed ſui juris, arbitrii, & ſententiæ ſunt. Ne illæ quidem Eccleſiæ, ſi plures ſint, quæ in unitate doctrinæ conveniant, jus habent cenſuræ, altera in alteram. Quid ergo fiet? Antinomi qui dicuntur, exempli gratia, hæretici, quomodo è cœtu fidelium pelli poterunt, auctoritate, & ſententia Eccleſiæ? Quæ Eccleſia id faciet?

apud Anglos extat, quæ jubeat, aut permittat nomen deferri, aut eum capite puniri, cum è contrario lex funda talis regni, & communis lex terræ, ut vocant, & com uſus ſemper aliud ſtatuerit. Ne actione quidem civili pulſari fas fuit. Ne villicus quidem ejus, ipſo præſente, p prehendi: nam preſentia Regis eum protegebat. Conſue ne recepta & inveterata adducti non dicent id à ſe fa cum nulla talis conſuetudo in uſu apud Anglos fuerit. & ipſi ſatis agnoſcunt, cum ſe primos ex omnibus gentib tentaſſe ſe jactent. Judicatæ jam rei in ſimili caſu auctorit id eos non perpulit, cum ſimile judicium in Anglia poſt minum memoriam factum non reperiatur. Æqui & ratione permotos ſi hoc ſe feciſſe defenderint, nullo colore prætexi poteſt hæc defenſio. Æqui bonique ratio tinet ad ſalutem, & utilitatem publicam. Nihil ex eo neſa facto utilitatis in rempublicam redundaſſe, poſſuntque oſtend cujus ſtatum in pejus ruiſſe res ipſa arguit, cum cædibus, pinis, legum violatione, libertatis everſione, nobilitatis terminatione, litterarum exitio, omnium rerum confuſio tot familiarum internecione, Eccleſiæ quoque ſubverſione, religionis corruptione, hæc reipublicæ commutatio conſti tit. Nec aliter conſtare hujuſmodi populorum vel princip in Regem ſuum rebelliones, exemplum hodie dat luculentu miſera Gallia, quæ plus detrimenti paſſa eſt domi & foris u hoc anno, quo furiali & plus quam civili bello vexata eſt, quà ſi per decem adhuc annos, volente Rege, res regni adminiſtra ſet ille, quem tanto ſtudio, & tanta contentione, tantoque an morum æſtu, odioque tanto, extorrem è Galliæ finibus præc pitari populus rebellis, rebellibus adhærens principibus, eff gitabat. Eant nunc, & dicant per patronum ſuum, crudeliſſi mum Regis ſui carnificem, ſe jure vitæ ejus parricidales & ſa crilegas manus intuliſſe. Si Rex totam illam catervam ſcelera torum civium, Puritanorum, Bruniſtarum, & Independentium mature extinxiſſet, & in ipſo conatu oppreſſiſſet; tum ſane nemo foret, qui non fateretur, omni jure & ratione id ab eo factum. Tum enim omnia concurrerent in unum, per quæ aliquid jure quàm optimo fieri poſſe & factum fuiſſe, omnes una voce conſentirent, Deus, Natura, lex, conſuetudo, judicatum, æquum & bonum. Nunc perſpiciamus, an Eccleſiam & religionem melius tractarint, quàm Regem & rempublicam. Ipſius patroni eorum confeſſione patebit, non æquiores Deo fuiſſe, quam Regi, cujus imaginem in terris Rex refert, quia Regem tollendo, religionemque violando, utroque facto adæque impietatem ſuam erga Deum oſtenderunt. Salmaſius eos accuſaverat, quod colluviem omnium ſectarum recepiſſent. *Quidni*, reſpondet Miltonus, *recipiant*? Si pro cæteris ſuis

factis

factis & dictis ſibi ſimilis hac etiam in parte eſſe voluiſſet, poterat hoc negare. Nam multa alia negavit, non minus manifeſta & confeſſa. Sed putavit heic quoque rem præclaram & laudandam egiſſe novæ Reipublicæ dominos, quæ & ultro proinde à ſe agnoſci & verbis decorari debuerit. Et rationem addit. Ad Eccleſiam pertinere è cœtu fidelium eos ejicere, non magiſtratuum è civitate pellere, ſi quidem in leges civiles non peccent. Ergo te judice, hæreſeon non minus, quàm rebellionum patrono, quilibet hæretici, & ſectarii, etiamſi Chriſtum negēt, non debent à magiſtratu exilio vel morte damnari, modo nihil agant, quo violentur, aut ſolvantur leges civiles. Hinc apparet te eſſe unum ex illo ſectariorum grege, quos Anglia ſinu ſuo fovet, & qui tolerantur à magiſtratu, quorum doctrinæ ſumma eſt. *Hanc eſſe voluntatem Dei, ut inde ab adventu Filii ejus, ſit permiſſio Pagana, Judaica, Turcica, Antichriſtiana religionis, nec niſi verbo Dei contra eas pugnandum, & peccatum ſine comparatione maximum eſſe in magiſtratu uti coercitiva poteſtate contra conſcientias. Magiſtratum ne quidem ob blaſphemias, etiamſi Deus & ſcriptura negarentur, quemquam punire poſſe.* Secta etiam eſt in eadem Anglia, quæ magiſtratum, coercentem novarum & impiarum religionum auctores, pro Antichriſto habet. Nec tu ſolum in iſta opinione verſaris, perfide Miltone: ſed omnes veſtri Parlamentarii, quod re ipſa comprobarunt, cum, ſublato Epiſcopatu, nullum certum Eccleſiæ regimen conſtituerunt, ſed vaga & ſoluta omnia reliquerunt, cum licentia unicuique credendi quod vellet, & nihil credendi ſi vellet, qui & liberum eſſe omnibus voluerunt cujuſcumque generis, conditionis, ſexûs, ætatis, docere, concionari, Sacramenta adminiſtrare, & in ſumma id ſolum, quod cuique probare rectum videretur.. Inde origo & principium tot hæreſeon & ſectarum, quæ Angliam nunc pede vago & ſecuro perambulant, quas omnes eſſe, & quidem etiam bene eſſe publice patitur egregium rebellium Parlamentum. Qui Atheïſmum profitentur, hoc illis etiam per eos, qui nunc regnant, licet. Ait Lavernionum Advocatus in Eccleſiæ poteſtate eſſe eos à cœtu fidelium ejicere. Sed quæ Eccleſia, dic mihi, eos ejiciet? Certe unaquæque ſecta & hæreſis Eccleſiam habet propriam, & locum precibus deſtinatum, ad quem conveniant. Per leges autem & diſciplinam veſtræ divinæ Independentiæ, ſingulæ Eccleſiæ, etiam ſi ex numero tantum ſeptem perſonarum conſtent, non ab aliqua altera Eccleſia dependent, ſed ſui juris, arbitrii, & ſententiæ ſunt. Ne illæ quidem Eccleſiæ, ſi plures ſint, quæ in unitate doctrinæ conveniant, jus habent cenſuræ, altera in alteram. Quid ergo fiet? Antinomi qui dicuntur, exempli gratia, hæretici, quomodo è cœtu fidelium pelli poterunt, auctoritate, & ſententia Eccleſiæ? Quæ Eccleſia id

faciet?

faciet? Certe non Antinomos ſua Eccleſia expellet. Eccleſia Independentium nulla erit, quæ id ſibi juris ſumere audeat; utpote cum ſit nulla, quin velit ipſa omnes Eccleſias liberas eſſe, ita ut alteram alteri eſſe ſubjectam. Sic hæreticorum omnium, & ſchiſmaticorum, nutricula audiet Anglia, & veræ religionis dicetur noverca. Magiſtratus quippe jus non habet eos è regno pellendi. Eccleſia, ad quam pertineret hoc facere, alia ratione id exequi prohibetur, quam diximus. Inter tot peſtiferas, & Dei inimicas, Deumque ipſum negantes doctrinas, non magis veræ ac puræ religioni locus eſſe poteſt, quàm bona ſementis inter lolium, ſpinas, tribulos, urticas, & alias herbas malas, læta provenire. *Homines*, inquit Miltonus, *primo, ut tuto, ac libere, ſine vi, & injuriis, vitam agerent, convenere in civitatem: ut ſancte, & religiòſe, in Eccleſiam.* Ergo, ſecundum tuam hanc ſententiam omnes illæ ſectæ, quarum colluviem vos recipere dixit Salmaſius, ſancte, & religioſe vivere cenſentur; & hæc tua de illis eſt opinio. Ideo nec eſſe è civitate ejiciendas exiſtimas, quamdiu nihil peccati committent contra leges civiles. Atqui nonnullæ ex illis ſunt, quę Chriſtum negant; aliæ, quæ ſcripturam. Antinomi decem præcepta tollunt. Quærentes totam ſcripturam. Non heic dicam quot monſtra opinionum plerique ſectariorum teneant, & publice etiam, Parlamento non connivente tantum, ſed etiam quaſi applaudente, certe approbante, doceant, & profiteantur. Hoc tantum heic verbo explicabo, prodigii inſtar videri, quod iſti homines crimen grande Regi eo nomine impegerunt, quod Pontificios toleraret; cum Parlamentum omnes ſectas & hæreſes recipiat, una excepta Pontificia, quaſi ſit deterior illis, qui credunt, *omnia mendacia eſſe ex ore Dei; Deum eſſe auctorem peccati, quatenus eſt* ἀνομία, & ἀταξία, *Deum æqualiter diligere bufonem, & ranam, ut hominem; Deum non pluris facere, nec magis amare homines, qui non peccant, quàm qui peccant.* Omitto qui Chriſtum, ut ante dixi, quoquo modo negant, & meritum paſſionis ejus deſtruunt. Portentoſis his ſectis longe pejor apud illos habetur Papiſtica. Quod nec ipſe diffitetur Miltonus, non aliam ob cauſam, quàm quia illius Eccleſia ſummus Epiſcopus in rempublicam aliquid ſibi juris & poteſtatis arrogat. *Quapropter & Papiſticam minime toleramus*, inquit; *neque enim eam tam eſſe religionem intelligimus, quàm, obtentu religionis, tyrannidem Pontificiam civilis potentiæ ſpoliis ornatam, quæ contra ipſum Chriſti inſtitutum ad ſe rapuit.* Quæcumque ergo ſecta, hæreſis, vel ſuperſtitio, quæ magiſtratui non ſe opponet, quæ in leges civiles non peccabit, tametſi Chriſtum penitus abneget, ut Turcica, & Judæa, tolerabilior erit Papiſtica, quia civilis potentiæ ſpolia ad ſe rapuit, contra Chriſti inſtitutum. Mira profecto iſta ratio, levius eſſe facinus, &

minorem impietatem, Chriſtum totum iterum cum Judæis crucifigere, & tollere, ac duo inſtrumenta veteris, & novi, Fœderis, una quaſi litura delere, & expungere, ut faciunt pleræq; ſectæ ex iis, quæ in Anglia, hoc tempore vigent; quàm Pontifici Romano adhærere: & hanc hujus rei rationem afferre, quod Tyrannidem, regnum, & imperium ſupra Reges ſibi vindicat, contra Chriſti præceptum. An, quæſo te, iſti parricidæ magis inſtitutum Chriſti obſervarunt, cum Regem ſuum carnifici tradiderunt? Certe miror, non melius ipſis convenire cum Papa, cum eamdem doctrinam teneant, de Regibus deponendis,& occidendis. Ergo magis cum venia peccabunt,qui Regi caput amputaverint, aut eum jugulaverint, quàm qui contra legem ipſius aliquam venerint, eique ulla in re dicto audientes non fuerint. Simile huic certe eſt,& gemellum,quod Papam,& ejus religionem, prorſus repudiant, & à ſe rejiciunt; quia, contra Chriſti inſtitutum, poteſtatem ſummam in republica ſibi arrogat: illos vero, qui Chriſtum è medio tollunt, Chriſtianamque religionem è republica exterminant, ipſi tolerant. Sunt enim ſectæ in Anglia, quæ docent, atque aſſerunt, Chriſtum non *fuiſſe ſanctiorem, quam nos, dum in corpore eſſet. Æque peccato obnoxium fuiſſe, ac nos.* Alii tenent, *Chriſtum nihil aliud egiſſe in hoc ſæculo, niſi quod XXXII. annos vixerit.* Hi omnes Miltono recipiendi videntur; ſoli rejiciendi Papiſtę, quia, contra Chriſti inſtitutum, eorum Eccleſiæ Pontifex etiam civilem dominationem affectet. Nuper tamen heic conſtans fama ferebat, omnium antea Regum edicta, quæ libertatem Pontificiis adimebant in Anglia conſiſtendi,& publici exercitii ſuæ religionis habendi, ab hoc Parlamento fuiſſe antiquata, & pari jure, jam, & licentia,frui Papiſtas in illa inſula,qua gauderent reliqui omnes Sectarii. Hoc ſi fecere, propediem etiam ſpero Muhammedanis ſimilem libertatem eſſe indulturos. Quidquid horum ſit, dic aliquem, ſi potes, Miltone, colorem, quo perſuadeas nobis minus Parlamentarios tuos in pervertenda religione laboraſſe, quam in republica evertenda. Niſi,ſi hoc diſcriminis inter utrumque poni placeat, quod omni modo religionem corrumpi ſiverunt, omnem autem laborem conſumpſerunt, & omnia fecerunt, quo Rempublicam perderent. Pergit Miltonus, atque, ut video, haud male heic vaticinatur; cum dixit Salmaſium *id agere, ut Regum omnium, & Monarcharum, non ſolum invidiam, ſed etiam bellum atrociſſimum, in Anglos parricidas, concitet.* Hoc ſane etiam mihi apparet: ut tibi, profecto, ita videtur debuiſſe facere. Nam in ea re, non ſolum cauſa Caroli Regis, ſed omnium Regum commune periculum agitur;cui ab omnibus occurrendum eſt,&,tanquam ad aliquod incendium publicum, ut reſtinguatur, concurrendum. Sed in uno tamen peccavit Miltonus, & minus dixit, quam Salmaſius

fecit. Nam non ſolum Reges in animo ille habuit concitare, ſed etiam omnes Reſpublicas ad arma vocare. Non enim magis iſti rebelles regibus bellum videntur indixiſſe, quam ſummis magiſtratibus qui rebus præſident publicis quibuscumque. Enimvero ut Cromwellius dux rebellium in regno tyrannidem affectavit, ſublato Rege, & ſtirpe Regia omni exterminata, ita ſi idem vixiſſet in republica, an cuiquam dubium eſt, quin in ea regnum affectaſſet, deturbato magiſtratu ſummo, & libertate civium everſa? Idem porro feciſſe heic ait Salmaſium Miltonus adverſus Anglos, quod Mithridates factitavit adverſus Romanos, quamvis cauſa diſſimili, cum omnes Reges in Romanos concitabat, eadem calumniatus. Placet ſimilitudo, & examuſſim reſpondet. Ut enim Mithridates non calumniabatur Romanos, cum dicebat, *Illis conſilium eſſe omnia regna ſubvertere, iis nulla humana & divina obſtare; à principio nihil niſi partium arma habere, latrones, regnorum maxime hoſtes.* Ut, inquam, hæc omnia veriſſime de Romanis dixit Mithridates, nonne eadem de Anglis rebellibus ſine calumnia dicere potuit Salmaſius? Nonne palam, & aperte, & ſæpius, & coram pluribus Cromwellius jactavit, ſi decem ſibi vitam per annos ſupereſſe vellet Deus, ſe facturum, ut nullus Rex in Europa eſſet? Scires hoc eum habere ex diſciplina Anabaptiſtarum, qui poſt Chriſti adventum negant locum ulli Regi in terra ad regnandum eſſe, quia ſolus deberet regnare. Non hac tamen ille ratione impulſus, nec ullius religionis præſcripto, cum nullam habeat, permotus, in hanc cogitationem incidit, de omnibus regnis per totam Europam & Aſiam exſcindendis: ſed effrænata & infinita ambitione ductus, qua ſperare audet ſe rempublicam æque latam, & amplam, ac potentem, ac Romana fuit, eſſe formaturum. Hinc Papam, inde Turcam non terminaturos ejus victorias, ſed in Orientem transgreſſum, Perſis imperium erepturum, Magni Mogoli, etiam Sinarum Regis, ac Tartarum thronos dejecturum. Quoniam autem, Miltone, *Salmaſium infantiſsime rhetoricari*, heic blatteras, ego faxo ubi hæc legeris, ut ipſe ῥητορικωτάτως obmuteſcas. Quæ de exedra Salmaſii heic garris, de rancidulo & exili ejus ore, nugatoria ſunt, & inepta, ac falſa. Apparet te eum loquentẽ nunquã audiviſſe, & hominibus credidiſſe, qui nunquam eum viderunt. Sed feſtivum eſt, quod ais de Ranis & Muribus Homericis, quibus nec idoneum buccinatorem fore Salmaſiũ canis. Arridet hæc mihi facetia, & eam perſequar. Fabulam enim abſolvam, & ei addam ἐπιμύθιον. Vide an ridicule faciã, qui vos Anglos muribus illis aſſimilem, & noſtros Hollandos Ranis. Hi ſane in paludibus ætatem degunt, ut ranæ, nec minus in terra, quam in aqua valent. Cum muribus vos eſtis comparandi, qui multa damna inferunt do-

mibus,

mibus, quæ eos alunt; qui, rapto & furtis vivere non contenti, etiam plurima, quæ ſibi ad victum non ſunt apta, dentibus ſuis corroſa corrumpunt, & perdunt, nequiſſimæ beſtiolæ. In quibusdam regionibus ferrum arrodunt: in aliis ramentas auri furantur, & in ventrem condunt. Ideo eas aurifices occiſas diſſecant, ut res ſuas repetant. Ut mures autem, in ludicro Homeri poëmate, bellum ranis ſine cauſa denuntiarunt, ſub frivolo prætextu muſculi in aqua ſuffocati, dum regnum ranarum inviſere cupit: ita vos, veri mures, omnium corroſores, prędones, ac piratæ bellum intuliſtis Hollandis, innocentibus ranunculis, nulla de cauſa; prætexentes cædem, neſcio cujus Dorislai, hominis nefarii, nulla Hollandorum culpa occiſi: Alios etiam Anglos, olim in Amboina ſupplicio affectos, in cauſam belli rapitis. Sed videte ne, idem vos exitus maneat hujus belli, quem poëta finxit in ſua Βατραχομυομαχίᾳ; Ranis auxilio venerunt cancri, qui, caudas muribus amputantes, eos victos fugere coëgerunt. Sic Hollandis vicini Reges, & Principes, ſuppetias mittent, qui facilem illis de vobis victoriam dabunt. Ecquid tibi placet, Miltone, hæc fabularis alluſio, & comparatio, in quam me, nihil tale aliàs cogitaturum, ridiculis tuis ſalibus induxiſti? Video tibi non allubeſcere argumenta Salmaſii, quibus Reges ad bellum contra vos incitat. Ea puerilia vocas, & inſulſam quandam & rabidam facundiam redolere. Ego vero vix videre me fateor, quomodo rabida & inſulſa facundia ſimul habitent. Dixerat Salmaſius, *vos capita Regum quaſi pilas habere, de coronis Regum quaſi trocho ludere, ſceptra Imperialia non pluris facere, quam bacula morionum capitata.* Hæc ſunt, quæ notas tanquam inſulſa, rabida, & puerilia argumenta. Non hæc inepte pro argumentis poſuit, ſed quod in re eſt, & veritate de vobis dixit. Nega eſſe vera ſi potes, tum inſulſa & puerilia eſſe dicito. Alias vero rationes & quidem validas attulit, quibus ad hoc bellum ſuaderi aut incitari Reges & Principes poſſent. Jam vero tibi oſtendam, & omnibus ſimul planum faciã te optimi Oratoris officio functũ eſſe, qui recte ſupprimis, quod alius inepte vulgaſſet. Et merito quę videbas te non poſſe defendere, diſſimulaſti, & intacta præteriiſti. Nullum poſſe cum his fœdifragis fœdus jungi, dixit Salmaſius, qui toties fidem pactam fefellerunt, toties perfida Sacramenta dixerunt, qui tot perjuriis ſe obligarunt. Cur non ab his criminibus purgare eos conatus es? Quia non potuiſti. Quia conſcius ipſe tibi es, tales eſſe, quales heic exhibuit Salmaſius, non ſimplici vice fraudulentos, perfidioſos, perjuros, calumniatores, & ſycophantas. Hæccine tibi viſa ſunt argumenta puerilia, & objectiones frivolæ & nugatoriæ, quas diluere noluiſti, quia te non poſſe id facere ſentires. Jam criminatio grandis & gravis in Salmaſium à te vibratur, quod *Hibernorum etiam conſceleratam*

illam, ac barbaram colluviem, Regiis partibus in auxilium vocet. Quid? Hibernos conſceleratos eſſe exiſtimas? Num magis, quam tuos Anglos? Immo minus. Saltē illi fidem Regi ſuo ſervarunt. At illi multa hominum millia letho dederunt. Quid veſtri? An puras ſanguinis manus habuerunt? An nihili facis tot Regios exercitus internecione cæſos? tot Proceres ſupplicio mactatos, quod Regis partes ſequuti eſſent? Quot denique urbes direptæ? quot hominum millia in iis deprehenſorum, quia pro Rege ſteterant, partim necatorum fame, ferro, aliis ſuppliciis, partim etiam pretio venditorum? In ipſa Hibernia quas etiam ſtrages edidiſtis? Quantū ſanguinis fudiſtis ante, & poſt Regis necem? non Anglorum tantum, ſed & Scotorum? Penès quos culpa, & crimen, hæret tot cædium, niſi penès vos, qui, ut regnum, & vitam Regi veſtro eriperetis, totam Angliam, cum duobus regnis contiguis, & ſub unum dominatum conjunctis, jam aliquot annos, cruore civium innocentiſſimorum inundare non ceſſatis? Jam illud Regis ſupplicium, quem vos manu carnificis trucidaſtis, quale exiſtimandum eſt? Nonne, ſi vel hoc ſolo ſcelere manus veſtras mentesque contaminaſſetis, magis eo ipſo ſcelerati duci deberetis, quam Hiberni tot hominum, quos narras, occiſione? Nam in illo ſcelere uno quot ſcelera admiſſa? quot alia poſt illud commiſſa? Enimvero vel illa ſola Regis mors plus detrimenti, & cladis, Angliæ attulit, quam innumera illa millia per Hiberniam interfecta. Finem habuit illa laniena Hibernica. Nondum finis apparet malorum, quæ Regis trucidationem in poſterum ſequentur, præter illa, quæ jam ſequuta ſunt, & quæ vidimus. Hibernos Salmaſius contra vos ſuſcitavit? Cur non, cum & Anglos, & Scotos? Cum trium regnorum Rex, à paucorum hominum unius regni factione, nefarie letho datus eſſet: nonne debuit ad hoc facinus vindicandum inclamare reliquorum duorum regnorum populos, qui non conſpiraverant in mortem ſui Regis: & partem majorem innocentē tertii, quæ hoc ſcelus deteſtata eſt? Cum Anglos, & Scotos, vocaret, an potuit prætermittere Hibernos? Utinam vero illa Hibernica laniena cecidiſſet in ſola capita Anglorum, qui Regem ſuum capite truncarunt? ô bonum factum, & ſæculorum memoria digniſſimum, ſi tot nefaria capita, & impia, Orco per Hibernos demiſſa fuiſſent? Nunc Rex viveret, ſumma res in Anglia floreret, & libera ipſa foret, & exonerata innumera impiorum, & ſceleratorum ſectariorum, ſicariorumque, & perduellium colluvie; qua nunc laborat, ſub qua gemit, & quam vix poteſt ſuſtinere. Facetum porro eſt, quod Lavernæ defenſor illam Hibernorum crudelitatem, & perfidiam, ut vocat, Salmaſio crimini dat, quaſi auctor ejus eſſet, vel fautor. Sed operæ pretium eſt inſpicere, quibus verbis hoc exprimat. Sic de Rege loquitur. *Et quam ille perfidiam, quam ille crudelitatem occultare,*

quantum

quantum potuit, atque ab ſe amovere, ſummo ſtudio contendit, eam tu, bipedum nequiſſime, quo munus ultro, & palam, ſuſcipias, neque Deum, neque homines vereris. Quid eſt paratragœdiari, ſi hoc non eſt? Interim, homo ſtultiſſime, & amentiſſime, potes mihi dicere quid ſit, *crudelitatem, & perfidiam ſuſcipere?* An Salmaſium vis illius crudelitatis, & perfidiæ, auctorem fuiſſe; qui, ne quidem, ejus ſe probatorem eſſe oſtendit, nec laudatorem? Laudarem ipſe tamen, & probarem impenſe, ſi edita in Anglos ſicarios, & Regis ſui carnifices, fuiſſet. Dixerat Salmaſius: *Agetur hac cauſa, toto orbe audiente, & quaſi ad judicandum ſedente.* Accipit Miltonus conditionem; modo detur ipſis adverſarius cordatus, & intelligens. Sane dabitur. Sed, ſi totus orbis judex in ea cauſa conſidebit, unde, aut quomodo adverſarium, & accuſatorem, ipſi dare poterimus, qualem optat? Quicumq; præterea offeretur; niſi ſit ex numero perduellium, quaſi *cerebroſum* eum ſemper, & *imperitum* rejicient. Quid ergo faciendum? Ipſi cauſam ſuam agant ſine accuſatore. Certus ſum tamen, nullum fore in toto orbe, modo cordatus ſit, & intelligens, qui, vel auditis omnibus, quæ pro ſe dicent, non eos ſit condemnaturus. Non victuram Salmaſii pro Rege defenſionẽ vaticinatur Miltonus; ut iſtud genus omne fanaticorum ἐνθουσιαστικὸν eſt: ſed *proximam ætatẽ oblivioni eam mandaturam* prædivinat. Remedium tamen proponit, quo fieri poſſit, ne ex hominum manibus deponatur, nec ex memoria oblitteretur; Reſponſum nempe hoc ſuum, cui hoc debitura eſt, ut neglecta jam, & conſopita, iterum in manus reſumatur. Quo fiat id commodius, ait *ſe petiturum ab Illuſtriſsimis Hollandiæ Ordinibus; ut eam, è fiſco protinus dimiſſam, neque enim Theſaurum eſſe, pervagari, quo velit, ſinant.* Homo ridiculoſiſſime, & omnium ineptiſſime, jam faxo, ut libereris hac moleſtia, & hoc onere ſupplicandi Ordinibus Hollandiæ. Primum, ut nunc res ſunt, non ita gratioſus eſſes; ut id poſſes impetrare. Præterea ſuperflua hæc foret petitio tua. Narro enim tibi, quoniam neſcire videris, nullum iſtius defenſionis exemplar in fiſco ſervari. Plus adhuc dico, nullum omnino fuiſſe unquam in fiſcum redactum. Notum heic omnibus lippis, & tonſoribus, primam editionem totam fuiſſe divenditam, intra trium ſeptimanarum ſpatium, vel priuſquam publicatio ejus decreto Ordinum inhiberetur. Poſtea quinque editiones in minori forma prodierunt, quæ & ipſæ omnes jam pridem vænierunt. Tres ejuſdem verſiones Hollandicæ, impreſſæ eodem ferme tempore, prodierunt, diverſis auctoribus. Nuper & nova exiit editio ante menſem, cum auctoris nomine. Hæc volui, neſcius ne eſſes. Ad omnia minimo maxima reſpondi, quæ in tua præfatione poſuiſti. Nihil prætermiſi, & in eo plus æque diligentem, & ſcrupuloſum, me

fateor fuiſſe, & magis etiam, quam oportuit eum, qui, hoc nomine, ne reprehenſionem multorum incurreret, merito vereri debuiſſe videtur. Quid enim, dicent, opus erat ineptiis & nugis Miltoni refellendis, & ridiculis ejus dicteriis deridendis, tamdiu immorari? Melius poterant bonæ horæ collocari, nec hominis putidiſſimi, ſtultiſſimi, & fatuiſſimi, væcordia hanc curam merebatur. Confiteor vera illos dicere. Quid facerem? Conſilii hoc mihi fuit, Miltone, ut non ſolum te deguſtandum hominibus præberem, ſed etiam, ut te totum deformarem, & delinearem, graphiceque depingerem, à calce uſque ad ſummum capillum,&.extimos unguiculos: ut ſcirent omnes qualis tu ſis doctrina, ſcriptione, ſtylo, genio, moribus, ingenio, ſcurrilitate, mentiendi libidine, impoſtura, improbitate, impietate, quæ paſſim in ſcripto tuo emicant. Ex uno plerumque dicto aliquo, inficeto, vel improbo, ſi opportune retrudatur, magis dilucet,& patet imperiti & impii hominis natura, quam ex longa qualibet oratione. Præterea cum talem eſſe hunc nebulonem, ut coloribus ſuis eum graphice depinxi, oſtendero, eo ipſo planum etiam fecero, quales ſint illi, qui hanc ei provinciam demandarunt, ut revera ſimiles lactucas labra invenerint. Impium,& nefarium facinus non poterat niſi impio homini,ab impiis, & ſceleratis, defendendum mandari. Græcum eſt dictum, τὰ ἄθλια δι' ἀθλίων πρὸς ἄθλιον. Sic fere totum te, Miltone, non nævo aliquo, aut alia macula genitiva, ſed corpore omni cognoſcendum omnibus libuit dare. Et ſequentibus vero melius etiam faxo cognoſcaris, quia totus in his expreſſus, intus,& in cute, per nos ſpectandus patebis.

CAPUT I.

QUidam Batavus, adhuc juvenis, in Epiſtola ad amicum ſcripſit, & ipſum Batavum, *Miltonum peſſimam cauſam optime egiſſe*. Prius concedo, non item poſterius. Nam de peſſima cauſa nihil verius. Quod optime autem acta ſit, dari non poteſt. Et tantum abeſt, ut id verum ſit, optime defenſam videri, ut ne bene quidem putem potuiſſe, vel ab optimo & præſtantiſſimo quolibet patrono, cauſam utpote ita, ut hæc eſt, omnium judicio perditam, profligatam & deploratam.Nedum à Miltono hoc potuerit præſtari, homine inſulſo, inepto, fatuo, & ſenſûs in omnibus fere communis, & vulgaris intelligentiæ experte. Si quæram ex illo Batavo quod adjumentum firmiſſimum ad hanc defenſionem attuliſſe Miltonum exiſtimaverit, quid mihi reſpondebit? An dicet,pondera rationum,argumen-

tationes

tationes validas, veritatem aſſertionum in ejus ſcripto vigere? Si negavero, unde quod aſſerit, probabit? Ea ſolet paſſim affirmare, & pro veris ponere, quæ negata ſimpliciter, omnibus apparent eſſe veriſſima. Deus dux nobis, inquit, & auctor hujus facti. Si regeſſero, diaboli potius eſſe, impulſoris: quomodo mihi confirmabit quod de Deo poſuit? Ex facilitate patrati facinoris & felicitate ſucceſsûs ſi id demonſtrare paratus ſit, tum paratiorem inveniet adverſarium, ad hoc refutandum, exemplo pluriũ ejusmodi ſucceſſuum, quorum ipſe negare non poſſit diabolum incentorẽ & promotorem. Niſi ſi velit nobis perſuadere, Mahometem, in omnibus, quæ molitus eſt, proſperitate uſum, non per ſe modo, ſed per ſuos etiam ſucceſſores pari fortuna comitatos, maximam partem orbis Chriſtiani armis occupaſſe, & etiamnũ tenere. Cur in bona cauſa Pompeius & Cato victi ſunt, & tyrannus rerum eſt potitus? Cur quotidie videmus, rebellium res ad votum ipſis fluere, & legitimorum Principum retro ſublapſas ferri? Quot mercatores, terra marique, à latronibus, piratis, & prædonibus ſpoliari, jugulari, ſubmergi, fando quotidie accipimus? Ipſe Mahometes Deo ſe quoque, & quidem præſente, monente, & quaſi manu ducente, ſe facere prædicabat quidquid faceret. Pro oraculis divinis tradidit ſequacibus ſuis, quæ in Alcorano deblatteravit. Nonne eadem diſciplina & ſecta Independentium? Pari modo defendit Miltonus quod illi egerunt. Pulcherrimum hoc factum, & ſæculorum memoria digniſſimum, omnibus paginis ad ravim uſque declamitat. Quis heic illi aſſentietur, præter eos, qui eodem implicantur facinore? Qui crimen, quod eſt manifeſtum, negare non poſſunt, jure ſaltem id ſe feciſſe defendunt. Ut Oreſtes, matrem occidiſſe fateor. Ergo parricidium commiſiſti, & in parricidas conſtituto ſupplicio dignus es. At, inquit, jure feci, quia patrem ante occiderat. Quid iſti? Jure quoque ſe parricidium in perſona Regis admiſiſſe contendunt. Sed quo jure cum ab ipſis quæritur, muti ſunt. Quod enim Miltonus allegat de Deo & Natura, tale eſt, ut oſtendat defenſionem parricidii longe eſſe difficiliorem, quam ipſum parricidium. Sunt quidam rei capitalis rei, qui cum nec factum diffiteri, nec jure factum poſſint defendere, ad illud confugiunt, ut ſe exemplo tueantur. Hoc alii fecere. Ne iſta quidem defenſione uti licet, quamvis miſerabili, parricidis Anglis. Nam fatentur ipſi, in perſona ſui advocati, ſe id commiſiſſe, quod nunquam antea fuerit à quoquam vel audaciſſimo & ſceleratiſſimo commiſſum. Qua igitur in re Miltonus Batavo iſti viſus eſt, optime patrocinari cauſæ iniquiſſimæ? Profecto, ſi Natura eſſet in toto, & in partibus ſuis omnibus, immutata, ſi rerũ vices inverſæ eſſent, ſi ignis foret calidus, terra levis, aër gravis, dies & nox invicem ſtationes ſuas & curſus permutaſſent, ut credit pater illius Batavi, de quo dico; facile Milto-

nus cauſam obtineret: ſed æque ſtultos auditores, ut ipſe eſt fatuus, deberet quoque invenire, qui aures patulas præberent, & credulas, ejus aſſertionibus; cum dicit, *Parlamentum Angliæ à populo fuiſſe inſtitutum, ab eo jurisdictionem in Regem derivatam, eum eſſe miniſtrum Parlamenti, & ad hoc tantum creatum à Parlamento, ut juſſa ejus capeſſat, & exequutioni mandet: regnum Angliæ non fuiſſe hæreditarium.* Si hæc illi omnia credere vellemus, tum ſane poſſet videri egregiam operam dediſſe huic advocationi, quam ſuſcepit, & omnium ſuffragiis vinceret, nedum juvenis Batavi. Sed jam propemodum videor conjectura aſſequi, quid maxime placuerit Leydenſi Scholaſtico in illa defenſione Miltoni, illud nempe, quod ubique convitiatur, & maledicit Salmaſio. Hæc illi ſtulto maxima lætitia eſt, & iſta unica illi ratio fuit, quare ſibi perſuaſerit, optime Miltonum egiſſe cauſam peſſimam. Maximum ſane, & validiſſimum iſte defenſor perduellium ſibi armamentarium fecit ex calumniis, & convitiis, & ſcommatibus ſcurrilibus, quæ in Salmaſium jaceret, quaſi jaculis, & ſagittis inde depromptis. Hæc pulcherrima ipſi, quando alia non ſuppetebat, viſa eſt talis cauſæ defendendæ ratio. Putavit non futuros, nec eſſe dicendos fanaticos, perduelles, ſicarios, parricidas, & carnifices eos, quos defendit, ſi Salmaſius perpetua ejus oratione pro furcifero, maſtigia, verberone, Satana, diabolo traduceretur. Quaſi ad cauſam, quam agebat, hoc pertineret, qualis deſcriberetur Salmaſius, non qualia diceret contra eos, quos ſuſcepiſſet Miltonus protegendos. At vero ad rem inſigniter pertinuit, quod dixit Salmaſius, cum eos appellavit perduelles, impios, nefarios, ſceleratos, parricidas. Nam de hoc erat quæſtio, an non eſſent tales, & Salmaſius multis, & invincibilibus, argumentationibus tales eſſe probavit: Quibus nihil repoſuit Miltonus, præter convitia, & calumnias, in Salmaſium; mendacia autem, & falſas defenſiones, pro parricidis ſuis. An, Bataviſce, optima tibi via viſa eſt defendendi populi Anglicani, & peſſimæ cauſſæ bene agendæ, qua Miltonus utitur, cum loca auctorũ mala fide citat, truncata producit, in alium ſenſum detorquet, & contrariam his mentem affingit? Vis exempla? Ut probet ex Philone, Reges non tantum imperare, ſed & parere, πείθειν apud eum in parendi ſignificatione accipit. In libro Joſuæ votum ſubjectorum populorum pro imperante, de imperandi conditione interpretatur. In ſcriptis Jurisconſultorum Anglorũ, qui Regẽ ſuper omnes jurisdictionem habere ſcribunt, *omnes* pro *ſingulis* accipiendos eſſe docet. Talia infinita committit, quæ ſuo loco monſtrabuntur; ut Bataviſco ſaltem rubor inde in os erumpat, quantumlibet improbum habeat. In eadem Epiſtola idem Batavus ſcripſerat, optimam cauſam peſſime egiſſe Salmaſium.

Hoc

Hoc omnino conſequi fuit neceſſe, ab illa prima ejus propoſitione. Nam, ſi Miltonus peſſimam optime, certe Salmaſius optimam peſſime. Quod utrumque in hac fortaſſe verum erit, cum in prima alterum tantum fuerit indubitatum. Quin optima illa cauſa ſit, nemini certe dubium poteſt eſſe, quin nec Batavus hoc negat. An peſſime acta ſit à Salmaſio, exquiramus. Profecto oportet valde infantem eſſe, & rerum imperitum, Salmaſium ſuum, qui tam bonam cauſam non ſolum male defenderit, ſed etiam peſſime tractaverit. Atqui putaſſem vix aliter fieri poſſe, quin vel mediocriter difertus eam rem pro dignitate exequeretur, præſertim in tanta cauſæ æquitate, & juſtitia, quæ pro ſe ipſa loqui videtur, ut, vel tenuiter à quovis explicata, ſatis eo ipſo defenſa videri queat. Qua igitur in re peccavit ejus defenſor? utrum prævaricatus eſt? an imprudens contra eum aliquid ſcripſit, pro quo voluit dicere? Num negotium læſit, aut proſtravit, alia ſupprimendo, quæ taceri non debuerant, alia dicendo, quæ reticenda fuerant? Stylus fortaſſe non ipſi probatur, ut minus Latinus, nec ſatis elegans. Ita enim audio. Sed meminerit pulchellus puer, non cuilibet licere eſſe, tam Latino, & diſerto, ut ipſe eſt. An etiam hoc illi diſplicuit, quod nimis inclementer, & atrociter, in parricidas invehitur? Hoc voluiſſe illos jam primo intelligat, qui Salmaſio id muneris injunxere. Quid igitur aliud eſt, quod ſtomachum ei movit, & bilē in ejus naſum concivit? An inimicitiæ, quas cum Salmaſio pater ejus, & ipſe, exercent, non potuere ab ipſo impetrare, ut probaret quod ſcripſit inimicus? Fortaſſe hinc illæ lacrymæ. Sed ferendum eſt, quod fortuna fert. Satis eſſe debet defenſori, quod ſatisfecit illis, qui hoc illi onus impoſuerunt. Si veſtem, qua ſum indutus, belle factam, & corpori meo aptam, ſatiſque concinnam, judicavero: qui tibi libebit, Batave nugator, cum veſtifice rixari, quod veſtimentum meum non ex arte, quæ tibi probari poſſet, confecerit? Si ita judices, peſſime in ea cauſa, quæ optima erat, agenda verſatum eſſe Salmaſium; age, ſi quid agis, experiaris ipſe licet in eo vires tuas, & nervos omnes ingenii contendas, ut melius eam & ornatius perores. Age, inquam, exurge, erige te, enitere, oſtende qui vir ſis, palma eſt publica. Rem præterea gratam feceris tuis Hollandis, ut nunc res ſunt, & magnam, ab ipſo Rege, gratiam iniveris; ſi patrem ejus illo modo, quo defendendum eſſe exiſtimas, defendas, id eſt optimo. Hoc ſi incipis, faxo ſane intelligas, aliud eſſe epiſtolium aliquod Latine velle perpolire, aut notulas Criticas, & Grammaticales, in Claudianum ſcribere aut verſiculos, modo bonos, modo malos, fundere, & tantæ defenſionis onus ſuſtinere. Sed vis etiam ſtemus adverſariorum ipſorū judicio, ut ſciamus bene, an male, hoc penſum Salmaſius detexuerit? Cum illi tanto ſtudio quæſiverunt aliquem, qui defenſioni Regiæ poſſet reſpondere, annon

hoc tibi magnum ſignum videtur, quod ejus autorem non contempſerunt? Quod ille, qui tandem repertus eſt, tanto calore, tanto æſtu, tanta vi, & tanta animi contentione eam rem aggreſſus eſt; nonne & hoc tibi alterum argumentum eſt, æque, atque illud prius, validum, credidiſſe illum rem ſibi eſſe cum eo homine, quocum eſſet totis ingenii viribus depugnandum? Cur etiam præterea ex omnibus, qui contra rebellionẽ Anglicanã, Latine, aut Anglice, aut Gallice, ſcripſerunt, eum ſolum arripuerunt; cujus rationem aliquam habendam ſtatuerent, & quem ſcripto refelli dignum judicarent? Cur poſtremo ipſe, eorum advocatus, tantopere æſtuat, frendet, ringitur, inſpumat, convitiatur, invehitur, calumniatur? Non contemnendum nimirum, etſi diſſimulare id ſerio conatur, ſe habere adverſarium, eo ipſo, oſtendit. Sic Catullus, cum Lesbia multis eum maledictis, irata, adſpergebat, tum ſe maxime ab ea amari putabat. *Uritur*, inquiebat, *& loquitur*. At, è contrario, quanto magis iſti Salmaſium ſe odiſſe profitentur, & convitiis atrociſſimis eum lapidant; tanto ſignis evidentioribus indicant, Defenſionem illam ipſos urere, & fumum hunc eſſe in eorum oculis, & quidem ex lignis viridibus excitatũ. Si ægre illis fecit ea defenſio, quis eſt, excepto Batavo adoleſcente; qui non inde concludat, vel optimam eſſe defenſionem, cum tam moleſta, & importuna, acciderit illis, contra quos ſuſcepta eſt? tam grata autem, & accepta illis, quibus data eſt? Sed ille ipſe Miltonus, quamvis acerrimus videatur hoſtis Salmaſii, & merito quidem ſit, æquiorem ſe tamen in Salmaſium multis rebus oſtendit, quam Batavus juvenis. Quodam loco ſcripſit, *Utcunque Latine ſcripſiſſe* Regiæ Defenſionis auctorem. Alibi dixit, *Neminem litteratius rudere*. Nonne hæc magna ejus æquitatis teſtimonia videri debent? Quis hoc ab hoſte expectaſſet? Quid dicere potuit amicus favorabilius; cum inimicus profeſſus tam ingenuam commendationem Salmaſii ediderit? Sed non poſſum ferre (quamvis & hoc quoque ſit in laudem Salmaſii) quod aliquo loco poſuit, fuiſſe tempus, cum Salmaſius non eſſet nebulo, eo nempe tempore, quo librũ de primatu Papæ conſcripſit. Ergo nebulo tum demum cœpit eſſe, quando contra rebelles Angliæ calamum ſtringere aggreſſus eſt. Apage, Miltone, neſcis quid ſit Oratorem eſſe, & peſſima cauſa quomodo optime agenda eſſet, non vidiſti. Quod tibi tamen Batavus juvenis attribuit. Oratoris definitio nunc alia eſt, quam olim fuit. Vir enim improbus eſſe debet, quiſquis eſt apud vos Orator, & maledicendi peritus. Illud etiam teneas, oportet, quod omnes dicunt, Quicumque improbus vult eſſe, dimidiatum improbum eum eſſe non oportere. Qui tibi malam in mentem venit dicere, aliquando Salmaſium non fuiſſe nebulonem? Si hoc cauſæ tuæ conducere exiſtimabas, ut quam maxime malus, & nequam, per te in omnium opinione evaderet

Salmaſi-

Salmaſius; parum oratorie heic confeſſus es, eum aliqua honeſtum, & bonum, virum fuiſſe. Nam quis tibi credet, e repente factum nebulonem; poſtquam contra perduelles ſtrates hiſcere auſus eſt? Immo, tanto honeſtiorem inde evaſi & meliorem, multi, & quidem non ſine ratione, dicturi ſunt, vobis non favent. Debuiſti igitur, & feciſſem ipſe, ſi meus ſt fuiſſet, in Defenſione tua ponere; Non mirum videri, ſi Sal ſius, infamibus natus parentibus, & educatus in luſtris, gan alea, vino, & qui vitam probroſam, & omnibus flagitiis coop tam, ſemper egiſſet, quique nunc eſſet potator, ſcortator, adulter notiſſimus, ex talibus initiis naturæ, inſtitutionis, & tæ, ad extremum in hoc nefas eruperit; ut ſanctos Angliæ va criminibus appetere veritus non ſit. Hæc quidem cum dixiſ ſane mentitus eſſes impudentiſſime. Sed quæ tibi religio m dacia proferre, ſi cauſæ, quam defendis, utilia ea putabas? ſane ita eſſe indicaſti. Nec ſunt veriora alia, quæ paſſim Sal ſio objicis, & quæ in uxorem ejus, totamq; domũ, tela jacis, lumniæ venenata. Cur timidior in aliis fuiſti, ubi fortem a mum te præſtare decebat? Quàm nollem incauto, & imprude ti illud tibi excidiſſe de Salmaſio, quod non fuerit nebulo, n poſtquam contra vos dentes acuere cœpit! Atq; equidem ſa hoc mirari non poſſum. Nam certe poteras melius cauſæ t conſulere. Quid enim? Hoc eodem argumento omnes Holla di, qui antea non erant nebulones, nunc tuo judicio tales e ſtent; quandoquidem contra vos jam arma ſumere, quod pl eſt, quam ſcribere, & vobis, bellum ultro inferentibus, reſiſte decreverunt; quia non amplius pati poſſunt, ſe à vobis proc cari, & conteri, & prædas de ſuis agi mercimoniis, & navib Nunc, Miltone, deſcendamus in arenam tecum de facto, qu Rex ſupplicio à vobis affectus eſt, & videamus, quomodo ill defendas. Judicio quidem Batavi, Grammatici ſimul, & Poët optime; ſed meo, peſſime. Initio hujus primi capitis ais, *Salm ſium magnos ſpiritus ſumere, quod Rex Britanniæ defenſor fidei. Ipſe vero defenſor Regis.* Bonum principium dediſti, ſ cætera ſimiliter ſequantur. Euge! Sed quæ ſubjicis, bono ſe vacua ſunt, & ratione infirma nituntur. *Ego,* inquis, *& ill Regi titulum, & hunc tibi, jure pari, & merito concedam:* c *ſane Rex fidem, tu Regem ſic defenderis; ut cauſam uterque ſu evertiſſe videantur.* Tu ipſe non videris mihi ſanus fuiſſe, c hæc ſcriberes. Quid heic ſimile? Rex fidei defenſor tam m eam defendit, ut occubuerit: Salmaſius ſimiliter cauſam Re ſic male egit, ut everterit. Ut non diſſimiles videantur Regis Salmaſii, Defenſiones; etiam exitus Defenſionum pares uti debent eſſe. Ergo, ut cauſam ſuam Salmaſius, male agendo, p didit; ſic Rex fidem, male eã defendendo, afflixit. Homo ſtu ſi quid hominis habes, numquid fides periit, quam Rex de

de

debat, ipſo mortuo? Immo, quamdiu vixit, eam defendit: ne diutius hoc poſſet facere, vos vetuiſtis, qui vitam ipſi nefarie eripuiſtis. An male fidem defendit, qui eam ſartam tectam conſervavit ab impuritate innumerabiliũ ſectarum, quæ nunc eam opprimunt, & obruunt? An illi, qui hodie imperant, defenſores fidei magis appellandi, qui tot, fidei contrarias, hæreſes tuentur, & protegunt; quarum nulla caput exerere auſa eſt, quamdiu Rex regnavit, ſed in tenebris ſuis, & gurguſtiis, ſepultæ deliteſcebant. Ex pluribus, & quidem portentoſis omnibus, religionibus, quas tolerant, unam certiſſimam, qua ſola cenſentur, irreligionem fecerunt. Et ſic ſane ſunto ipſi non religionis, ſicut revera Rex fuit, ſed irreligionis propugnatores. Non me præterit, quo conſilio volueris negare titulum fidei defenſoris Carolo primo; ne ſcilicet Defenſorem fidei videamini carnifici tradidiſſe, ſecuri feriendum. Nunquam tamen efficies, ne omnes boni, qui ubicumque ſunt, uno ore, & animo, dicant, & ſentiant, vos & fidem ipſam, & fidei Defenſorẽ, uno Regis ſupplicio, peſſumdediſſe. Nugaris etiam, cum dicis cauſam, quam ſuſcepit Salmaſius, evertiſſe. Quis hoc tecum dicit? An Batavus ille? Jubeo vos plorare, & laqueum ſimul vobis oſtendo. Id te promittis oſtenſurum hoc ipſo capite. Hoc igitur videndum. Reprehendis primo, quod Salmaſius ſcripſerat in Præfatione, *ſe rem, ut geſta ſit, ſimpliciter narraturum; quia Rhetoricis pigmentis ornari tam bona cauſa non deberet.* Non ſtetiſſe eum promiſſis arguis; ſed toto hoc capite eam conatum eſſe, quam maximis poſſet, ornamentis decorare. Inde concludis, *Si Salmaſii judicio ſtandum ſit, cauſam Regiam neque juſtam, neque bonam eſſe.* Bona conſequentia, & Miltono digna. Quid heic dices, Batave? Probabis? Salmaſius promiſit, ſe cauſam Regis non eſſe ornate defenſurum? quia bonitas ejus, & juſtitia, ejusmodi colores, & fucos Rhetoricos, non deſideraret; & tamen contra promiſſum eam ornare contendit, ejusmodi pigmentis. O fatuum hominem, & ſtolidum! Tu neſcis igitur hoc in more eſſe poſitum Oratoribus; ut, cũ maxime præ ſe ferunt, ſe ſimpliciter, & inornate, rem acturos eſſe, tum maximo artificio uti ſolere! Sic ſæpe advocati, poſtquam ſe cauſam breviter demonſtraturos eſſe polliciti ſunt, eam in longas producunt Iliadas, citra necem litis. Plena ſunt exemplorum hujusmodi antiqua, & recentia, Oratorum ſcripta. Unum modo occurrebat, apud Ciceronẽ, in quinta Verrina, huic Salmaſiano facie plane gemellum. Ibi Cicero de quodam Ganio narrat, qui ſe civem Romanum eſſe dicebat, à Verre verberato, & in crucem acto. Hic in medio ſe rem ait ponere, quia tantum habeat gravitatis, ut neque ſua, neque cujusquam, eloquentia requiratur ad Judices inflammandos. Et tamẽ poſtea eam rem ita amplificat verbis, & exaggerat; ut nulla pars ſit artis Oratoriæ, quam non impendat, ad judicũ animos atrocitate

citate facti commovendos. Sed quid facies hoc homine, cui nullus eſt communis intelligentiæ, neque naturalis, neque comparatæ, ſenſus? Profeſſus eſt Salmaſius, ſe ſimpliciter, & ſine calamiſtris, cauſam Regis eſſe defenſurum: calamiſtris eam inuſſit; ergo cauſa cadere debet, ergo eam evertiſſe vitio ſuo cenſendus eſt. Abi, abi, ſtultiſſime homuncule, ſolus dignus es, qui rebellionis cauſam agas, quæ nulla tanta arte Oratoria poteſt excoli, ut pulchra, & bona, inde probetur. Sed jam tuo te ipſum gladio jugulabo. Pigmenta Rhetorica cauſæ Regiæ ſe non adhibiturum promiſit Salmaſius, nec fecit, ſimpliciter narravit; quia tam juſta cauſa aliter tractari non debuit. Ergo bona eſt, & juſta. Te ipſum teſtem appello, an Salmaſius Rhetorice eam defenſionem pinxerit. Negas aperte, cum ais, *non debere hoc ſibi ſumere Salmaſium, quod dat nemo, ut poſſit quicquam Rhetorice narrare.* Ergo ſimpliciter eam expoſuit, nulla arte comptam Oratoria. Atqui id promiſerat. Non momentum tecum eſſe potes, ſed tecum ipſe pugnas, omnibus locis. Salmaſius, in principio hujus capitis, ſcripſit, *ſe, de facto dicturum, tot novitatum monſtris ſe circumdari, & terreri, animadvertere; ut quid primo exequeretur, quid deinde, quid poſtremum neſciret.* Hoccine eſt, inquis, ſimpliciter narrare? Immo eſt. Et ratio te fugit, inepte, qui putes omnes res eodem modo commemorari poſſe, quamvis ſimpliciter explicandæ ſumantur. Multa ſunt facta, quæ uno verbo expediri poſſunt. Alia adeo multiplici varietate conſtant; ut pluribus verbis, & longis ambagibus, opus ſit ad ea, quamvis ſimpliciter, exponenda. Si Rex ſtatim, ut captus fuit, & ad vos delatus, in carcere interfectus fuiſſet, longa narratio, & varia, ſuperflua fuiſſet. Totidem pene verbis, quot heic poſui, poterat id explicari. Tot vero caſus, & tam multiplices, tot accidentia mira, & nova, in hac morte Regis intervenerunt, tot res admirabiles, inopinatæ, incredibiles, tot præterea eorum, qui eum occidi juſſerunt, ſtrophæ, doli, fraudes, perfidiæ interpoſitæ ſunt; ut non potuerit in earum expoſitionem Salmaſius ingredi, niſi cum præfatione terroris, quo ſe affici revera ſenſit, cum ea exponere auſpicatus eſt, quamvis quam ſimpliciſſime facere id voluerit. Qui uſque ad centum millia, & millium millia, ſummam numerare vult, plus operis, & laboris, ſumere habet neceſſe, quã qui ab uno ad decem uſque conſtituit computare; quamvis æque ſimpliciter major ſumma in calculos veniat, aut digitos, ac brevis. Præterea non ſolum, quod factum eſt, poni debuit, ſed quomodo factum ſit, enarrari: & multa non omittenda etiam, quæ factum anteceſſere, & conſequuta ſunt. Sed vereor, ne inſanior videar ipſo Miltono, qui hæc cum illo, quaſi opus ſit, tam operoſe diſputem. Sane, Miltone, ego jocos tuos malo, quantũvis frigidos, & inſulſos, quam ſecures, & carnificem tuorum. De frigore defenſionis noli argutari. Frigus non eſt, ut video

in

in veſtro carnificino foro, quod vos conſueviſtis nimium excalfacere. Utinam tandem aliquando pro te caleat, & pro illis, qui illud hactenus frigidum manere paſſi non ſunt. Sed audebiſne à me hanc gratiam inire, ut mihi explices jocorum iſtorum tuorum mentem. Nam, præter frigus, etiam multum habent obſcuritatis. Non poſſum autem in iſtis tuis verba conſtruere, neque idoneum ſenſum ex illis conficere. Vide, ſi placet: *Solem autem iterum atque iterum repetas licebit, id tu quidem prudenter feceris, quod non noſtra flagitia, ſed defenſionis tuæ frigus vehementiſſime poſtulabit.* Certe veſtra flagitia talia ſunt, ut frigus non poſtulent, ſed ardorem vivi-comburii. Hac ſola pœna poteſtis ſanguinem Caroli, quem per carnificem effudiſtis, luere. Scripſerat Defenſor; *Regum origo cum Sole novo cœpit.* Quid heic habes, cui dentem infringas? Salmaſii verba ſic citas, cum ille ſcripſerit, *cum primo homine & Sole novo.* Malus es, & ſceleſtus cum ſolo iſta ſolo, unde captas occaſionem ſcurrilis dicti: quod ego non intelligo, niſi ipſe interpreteris. Sic habet; *Dii te, Damaſippe, Deæque Solſtitio donent, quo te calfacias, qui ne pedem ſine Sole, ne quis fortaſſe te umbraticum doctorem eſſe dicat.* Tales ſunt omnes tui ſales, quos tamen Batavus ille juvenis miratus eſt, ſine ſapore, & ſine acumine. In tenebris ais nos eſſe, quia jus patrium à Regio non diſtinguamus. Ubi hoc in Defenſione? Ipſe tu ſane, tenebroſe vides, ſi id ibi te videre putaſti. Sed utrum lippitudine labores, an cœcitate, nihil ad nos. Illud etiam falſum, & à te confictum, quod addis: *Et cum Regem patriæ patrem nominaveris, ea ſtatim metaphora perſuaſiſſe credis, ut quidquid de patre non negaverim, id continuo de Rege verum eſſe concedam.* Legatur Defenſio, alia omnia loquitur. Tu vero improbus es, & imperitus, qui Regem, *patriæ patrem*, per metaphoram tantum dici affirmas. Paulo poſt magnam rem nos doces & novam, quam æternum neſciremus, niſi tu demonſtraſſes. *patrem & Regem diverſiſſima eſſe.* Quis tibi dixit, eoſdem eſſe? Explicas differentiam, quaſi tu ſolus hoc non ignorares. *Pater*, inquis, *nos genuit: at non Rex nos, ſed nos Regem creavimus.* Itane verus pater te genuit! ſed vide, ne is quo te genitum credis, non te genuerit, ſed alius, de quo ideo ſuſpicari non potes, quia nihil de eo mater tua tibi dixit. Quiſquis ille fuerit, haud potuit pejus in vita facinus facere, quam quod te tale monſtrum oculis & mente cœcum progenuit. *Sed nos Regem creavimus.* Qui vos? Quem Regem? Vos ſane veſtrum Regem necaviſtis, non creaviſtis. Jus legitimum ſucceſſionis, & hæreditas avitum illi Regnum dederat, non vos. Quod natura ipſi dederat, vos illi ſcelerate & nefarie eripuiſtis. Dedit ei vitam cum regno, utrumque abſtuliſtis. *Patrem natura dedit populo.* Ergo omnis pater, populi pater. Non enim aliter hæc poſſunt ſumi. Veriore intellectu natura patrem dederat populo, id eſt Regem,

patriæ

patriæ patrem, populo Anglicano, jure ſucceſſionis, quem vos vita ſimul privaſtis, & regno, utroque naturæ dono. *Regem ipſi populus dedit ſibi.* Demus hoc tibi. Quid tum? an Regem, quem ſibi dedit, poſtea carnifici debuit dedere? Furioſum, & amentem hunc populum eſſe oportet, qui quem ipſe elegit, quem diligere & colere debuit, capitali ſupplicio affecerit. Inde concludis: *Non ergo propter Regem populus, ſed propter populum Rex.* Certe. Sic nec propter paſtorem oves, ſed propter oves paſtor. An ideo ſequitur, ut oves ſint ſupra paſtorem? Tondet eas paſtor, ſæpe immolat, & deglubit; nunquam oves paſtorem. *Ferimus*, inquit, *patrem, moroſum etiam & durum, ferimus & Regem, ſed ne patrem quidem ferimus tyrannum.* Quid ergo? Si patrem haberes tyrannum, eum occideres? Hoc videris velle: & facile tibi credo, hoc te eſſe facturum. Nullum enim tam immane eſt facinus, nullum ſcelus tam dirum & nefarium, quod tu non poſſes ſuſcipere, modo aliquid ex eo commodi & quæſtûs tibi obveniret. Nec de te tantum id affirmas, ſed idem pro omnibus illis reſpondes, quos defendis. Sic enim loqueris, ut eorum mentem etiam probe cognitam & perſpectam habere videaris. Pergis, & nos te ſequimur: *Pater, ſi filium interficiat, capite pœnas dabit.* Quid ſi filius patrem interficiat, annon pœnas dabit? Tanto ſane magis. Nam & patria poteſtas dicitur in filium, non filialis in patrem. *Cur non*, inquis, *Rex item eadem juſtiſſima lege tenebitur, ſi populum, id eſt filios ſuos, perdiderit?* Quid vero fiet, ſi populus, id eſt filii ſui, Regem, patriæ patrem, trucidaverint? an impunitum hoc ſcelus illis abire debet? Tanto ſane juſtius plectentur, quod id in Regem auſi ſunt, quod ſine ſummo ſcelere & furore à filiis in patrem non poteſt attentari. Cur vero de patre filium necante, de Rege populum perdente verba facis, ne mu quidem Lucillianum dicis de populo Regem ſuum immolante, & de filio patri ſuo violentas manus afferente? An ideo caviſti quicquam de his dicere, quia populo vis impune eſſe, & filiis, ſi patrem, & Regem ſuum interfecerint? non item patri & Regi citra noxam & pœnam fore, ſi filium ille morte affecerit, populum iſte perdiderit? Ita tu quidem ſentire omnino mihi videris. Nunc videamus, quomodo tibi poſſit procedere comparatio tua. *Pater*, inquis, *ſi filium interfecit, capite pœnas dabit. Rex quoque eadem pœna affici debet, ſi filios ſuos, id eſt populum, perdiderit.* Quid iſtud ſibi vult *Perdere*? An interficere eſt? Quomodo Rex poteſt univerſum ſuum populum occidere? Facile poſſet, ſi omnes unam cervicem haberent. Similitudo eſt in patre familiâs & in Rege, qui pater eſt patriæ. Pater propter filii cædem punitur; Rex, patriæ pater, propter necem populi. Non, inquis, ſed perditionem. Quæ eſt iſta perditio? ſi Rex æque puniendus eſt, ac pater, qui filium necavit, oportet ambo ejuſdem criminis reos eſſe, quod eam-

dem

dem pœnam mereri videatur, id eſt, ut filios quoque ſuos, populum ſuum, morte affecerit. Oſtende igitur ſic vos perdidiſſe Regem veſtrum, ut vos illum perdidiſtis, ut probes, ideo meritiſſimo ſupplicio id luiſſe, quod vos perdidit. Quid ſi ille vos omnes, qui parricidalem hunc animum adversùs eum gerebatis, præveniſſet, & in furcam tolli curaviſſet, juſtam profecto vobis pœnam infliziſſet, & nunc optimus Princeps, pacato, & florente regno, beatus, & copiis omnibus florens, frueretur? Tu vero nunc vivis, & ſcribis, Miltone, & manes Regis mortui calamo laceras; quoniam vivo non potes amplius nocere. Vivunt etiam, & regnant parricidæ, quos defendis. Quomodo ergo Rex veſter vos perdidit? Quomodo illos, qui regnum ejus, & patrimonium, per vim, & fraudem invaſerunt, & utrumq; nunc poſſident? An illos vero perdidit, qui ſub veſtra tyrannide ſuſpirant? Qui Regem ſuum ſibi reſtitutum vellent, ſi poſſet à morte revocari? Qui votis omnibus expoſcunt ſibi Regem dari, quem regni ſui reliquit hæredem? An hæres iſte, Regis filius, vos etiam perdidit; quem vos, regni jure exutum, ut patrem regno, ſi in poteſtate veſtra haberetis, vita, haud ſecus ac patrem, privaretis? Videris igitur, Miltone, cum tuis, quomodo populum perdiderit, quem populus perditorem ſuum deſiderat, & qui paucorum ex populo ſceleratorum impia factione oppreſſus eſt, ac proſtratus: non perdidit, fortaſſean reſponſurus eſt, ſed perdere voluit. Quis unquam vidit, aut audivit, pro homicida, aut adultero condemnatum, qui cædem facere, aut ſtuprum inferre, cogitaſſet tantum, non etiam feciſſet? Quis, tanquam parricida, culleo inſutus eſt, aut igne combuſtus, qui patrem non occiderit, ſed de occidendo tantum deliberaverit? At feciſſet, niſi cives eum ſui prohibuiſſent. Ne quidem ſupplicio quemquam capitis affectum fuiſſe legimus patrem, qui cum filium necare deſtinaſſet, & in eum hoc conſilio impetum feciſſet, ſed impeditus ſervis accurrentibus fuiſſet. In ſolo crimine majeſtatis voluntas, non facti compos, punitur. Et, cum ei impune ſit filio, cui, patrem interficere paranti, res aliqua, vel perſona, obſtiterit. Non ſine pœna ſolet abire, vel ipſis Angliæ legibus, qui Regem ſuum, Patriæ Parentem, occidere cogitavit; ſive ſcelus hoc meditatum intra ſe compreſſerit, ſi alicui hoc ſe in animo habuiſſe ſignificavit, ſive manum facinori admovere conanti aliquis ſe oppoſuerit. Scelerum graviſſimum, & teterrimum nempe, hoc illis viſum, & quod, vel ſola mente conceptum, non etiam patratum, capite luendum fuerit. Sed eſto. Angli Regem ſuum, ne quid in ſe mali moliretur, prohibere voluerint, an etiam mactare ſummo ſupplicio debuerunt? Quod idem fecerunt, ac ſi ſervi dominum ſuum, homini ex ſe nato manus afferre tentantem, non impedire contenti, etiam interficerent. Quid ſupplicii meruiſſe viderentur iſti ſervi? crucem. Eamdem pœnam

Anglis

Anglis, qui idem fecere; deberi, quis non fateatur? Ratio vero imprimis mirifica eſt, quam allegas, cur Rex malus citius plecti debeat, quam pater malus. *Præſertim*, inquis, *cum pater, ut ne pater ſit, efficere non poſſit, Rex facile poſſit, ut neque pater ſit, neque Rex.* Pudet me res tam leves perſequi, & refellere, cum te non pudeat eas afferre, tanquam firmiſſima improbabilis cauſæ ſtatumina. Primo facile pater efficere poteſt, ne ſit pater, filium necando. Filio quippe ſublato, nullus pater. Quamdiu in vivis filius, pater, qui eum genuit, dicitur: mortua etiam filia in matrimonio, ſi unica ſit hæc patri, tria ſimul nomina pereunt, patris, ſoceri, & generi. At Rex nullo modo facere poteſt, ut non ſit Rex; quia ſubditos ſuos non poteſt ita omnes exterminare, ut non aliqui remaneant ſuperſtites. Quamdiu vel pauci ſupererunt, Rex eorum dicetur, & pater. Rex ejuſmodi præcipue, ad quem, hæreditate, & ſucceſſione, regnum pervenit, non fit, ſed naſcitur: ideo à natura datum titulum non poteſt perdere; niſi illi, quorum Rex eſt, & pater, de medio tollantur, uſque ad unum univerſi. Si contra eum cives ſui rebellent, & ab ejus imperio ſe ſubducant, manet tamen titulo Rex, ſi re minus poteſt. Sic pater non deſinit pater eſſe, etiamſi filius ejus, domo patris profugus, ab ejus præſentia, in exteras terras ſe ſubtraxerit. Qualis autem iſta argumentatio Miltoni, & quo tendit? Pater non poteſt non pater eſſe; ergo non poteſt interfici. Atqui dicis etiam poſſe tolli, ſi tyrannus ſit. Quid ergo ei proderit, quod patris nomine, & jure, non queat excidere; ſi vita etiam, quando erit tyrannus, haud minus ei poteſt eripi, quam Regi tyranno? Rex vero, & Rex, & pater non eſſe cum poſſit, tanto citius, & juſtius, interfici debet, ſi tyrannice regnet. Quæ ratio id evincit? Præterea utrumque alio reſpectu etiam falſum. Nam pater, quamvis bonus, pater eſſe deſinit, ſi filium amiſerit. At Rex, quantumvis malus, Rex nihilo ſecius manebit, ſed Rex malus, & Pater Patriæ malus, appellabitur; ut etiam patri, quem natura facit, hoc nomen adhærebit, ſi filios male tractet, & dure. Nam is nihilo ſecius perſeverabit pater audire, ſed pater malus audiet. Idem de Rege. Nunc reſtat videndum, inter patrem, & Regem malum, id eſt tyrannum, quæ ſit differentia, quantum ad pœnam capitis; &, An pater tyrannus, æque, ac Rex tyrannus, obnoxius huic pœnæ ſit ſtatuendus. Interim illud quoq; animadvertendum, quam nihil ad rem quod pertineat, reſponderit Miltonus in his, quæ de prima Regum origine habentur, primo Defenſionis Regiæ capite. Ibi auctor ſcripſit, cum primo homine creatum primum Regem. A mundi principio peti debere Regii nominis, & ſtatûs, originem. Etenim non ſolum primum hominem à Deo conſtitutũ fuiſſe Regẽ, ac Dominũ ſuper omnia, quæ ab eo in terris eſſent creata, ſed etiã familiæ ſuæ, gentiſq; totius

de

meſticis licet patris, & domini ſui malefacta punire. Nunc videamus de jure patrio & Regio, quæ diverſiſſima eſſe contendit, magnus vir ſcilicet, & ſapientiæ edecumatæ magiſter, Miltonus, qui hoc etiam pronuntiare non dubitat Regem metaphorice tantum *patrem patriæ* nominari. Ut paterfamiliâs Rex eſt familiæ ſuæ, imperium habens in uxorem, natos, & ſervos, ita verus Rex, pater eſt univerſi populi, qui ei ſubjectus eſt. Sunt patres mali, ſunt & Reges mali; ſed, tam hi, quam illi ab illis, quos ſubjectos habent, ferendi & colendi. Ariſtoteles ubique comparat poteſtatem, quam habet domi ſuæ paterfamiliâs, cum ea, quæ Regi competit in civitatem unam, aut gentem, aut plures nationes. Ut enim minutum regnum eſt familia, vel domus cujusque ſub uno domino, qui & pater eſt familiæ, ita civitas, quæ conſtat ex pluribus talibus regnis, regnum majus eſt ſub uno quoque rectore, qui Rex appellatur, & qui etiam pater illius patriæ audit, quam gubernat. Hæc fuit antiquiſſima regendi ratio, & omnino prima, quia ante eam alia nulla. Ariſtoteles in primo de Republica, cum docuiſſet ſtatu maximum in unaquaque gente cæteris præeſſe antiquitus ſolitum, qui natos natorum, & qui ex his deſcendiſſent, regebat; ſtatim ſubjungit, διὰ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη, ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον. Ideo primitus civitates regimine regio tenebantur, ut & nunc gentes, quia coalu erunt ex pluribus domibus, quæ ſimili jure, id eſt Regio, adminiſtrabantur. Olim nulla erat civitas, quin regulum ſuum & dominum haberet. Poſtea omnes hæ minores Regiæ poteſtates in unam majorem conceſſere, quæ plures civitates comprehendebant, qualia nunc ſunt regna, quorum & nonnulla plures nationes complectuntur. Cæterum inter ea regna de jure regendi non eſt differentia; ſed de ſola ditionis amplitudine. Etenim, ut inter urbem unam, quæ poteſtate Regia adminiſtratur, & unam domum, in qua dominatur jure Regis paterfamiliâs, nullum eſt diſcrimen, quantum ad poteſtatem attinet, ſed quantum ad magnitudinem, quatenus pater ille regit unam familiam, iſte vero plures. Idem Ariſtoteles τὴν οἰκονομικὴν, quæ adminiſtratio eſt unius familiæ, cum monarchica eamdem plane ſtatuit, quoad poteſtatem abſolutam. Ita enim, libro tertio *De Republica*, cap. XIV. ὥσπερ γὰρ ἡ οἰκονομικὴ βασιλεία τις ἐστιν, οὕτως ἡ βασιλεία πόλεως, καὶ ἔθνους ἑνὸς, ἢ πλειόνων, οἰκονομία. *Quemadmodum enim rei familiaris gubernatio cujusdam dominatûs Regii inſtar habet, ita Regium imperium in civitate aliqua, vel gente, vel pluribus nationibus, quaſi quadam rei familiaris adminiſtratio cenſenda eſt.* De quo genere dominationis Regiæ in-

telligat,

telligat ipſe ibidem ſatis aperte docet, cum ait, illud genus eſſe, in quo unus plus poteſt, quam omnes: ὅταν ᾖ πάντων κύριος εἷς ὤν· *cum unus omnium dominus eſt.* Et eam poteſtatem ibidem dicit Τέταχθαι κατὰ τὴν οἰκονομικὴν, conſtitutam eſſe, ad inſtar rei familiaris, vel familiæ unius directionis. Idem, libro primo *De gubernatione familiari,* ἡ οἰκονομικὴ, inquit, μοναρχία, familiæ gubernandæ ratio, ſtatus eſt ſub unius dominatione. Idē, libro primo *De republica.* Καὶ ἡ μὲν οἰκονομικὴ μοναρχία, πᾶς γὰρ οἶκος μοναρχεῖται. *Et imperiū quidem domeſticum ſub uno eſt Rege, quia omnis domus imperio unius abſoluto regitur.* Quod ad jus igitur, & poteſtatem, attinet, nihil intereſt, domeſticū inter imperium, quod in unā familiā patri competit, & quod in unā, aut plures gentes, Regi datū eſt. Ita jus patriū, & jus Regiū, ſimile; quia pater jure Regio imperat domi ſuæ; & Rex auctoritatem habet, & poteſtatem patriam, in populum ſuum, & tanquam pater naturalis à ſuis non ſolum diligi, ſed & coli, debet. Idem Philoſophus, libro primo *De cura rei familiaris,* ait, τὴν οἰκονομικὴν differre & πολιτικὴν, non ſolum, in quantum differunt domus, & civitas: ſed quod πολιτικὴ plures habet, à quibus regatur; οἰκονομικὴ vero ſub unius eſt principatu. Per πολιτικὴν Ariſtoteles, & πολιτείαν, abſolute in his libris intelligit liberæ civitatis adminiſtrationem, in qua nimirum, qui reguntur, etiam invicem regunt: ubi viri è populo faciunt magiſtratū, & ipſi fiunt ſuo tempore. Cum igitur hoc tantū nomine differat domeſticum imperiū, & civile: quod in domeſtico unus ſit, qui imperet; in civili, plures. Tale non erit diſcrimen inter regni & domûs imperiū; quia utrumq; principatū unius agnoſcit. Cætera differentia brevitate, & latitudine, τῆς ὑποκειμένης conſtabit. Poteſtas eadem erit dominandi jure, & perſonæ, quæ dominatur, ſingularitate. Unum ſupereſt jam ſpectandū, utrum hoc, an illud magis à natura. Quod pater nos genuit, ut cum Miltono loquar, non id efficiet, ut patrium jus dominandi in familiam magis naturale videri debeat, quam Regium in civitatem, vel gentē. Geniture quidem jus aliud eſt multis rebus, quā regiminis. Sed qui non genuit, quibus imperat, non minus in eos à natura poteſtatē obtinet, quam qui in filios, à ſe progenitos, imperium habet. Immo etiam magis, quatenus totum prius eſt, quam pars, & domus pars eſt civitatis. Si domûs dominatio à natura, multo magis erit civitas, quæ ex pluribus domibus conſtat, quaſi partibus. Videndum ergo, ut hæc melius diſpiciantur, quis finis ſit imperii. Bonum nempe civitatis. Homo natu-

tura ad ſocietatem eſt factus, ſine qua non poteſt vivere. Societas autem ipſa ſine regimine non poteſt ſtare. Regimen igitur à natura, & unius quidem magis, quam plurium, quatenus origine primum eſt. Prima ſocietas eſt viri, & uxoris. Ex eo liberi. Domus, & ſervi inde. Hæc familia eſt. Cum hæc ſit plurium, non poteſt ſubſiſtere ſine moderatore. Ratio autem poſtulat, ut hoc moderamen ſuſcipiat, qui plus poteſt, & qui ad hoc magis eſt idoneus. Is ſine dubio pater, ut & natu major, & ſexu præſtantior, & auctoritate potior. Non quod pater ſit tantum, ſed quod omnia magis habeat, quæ ad recte imperandum requiruntur, quam reliqui ex eadem familia. Non dominatur ergo in eos tantum, quos genuit, ſed in uxorem, & ſervos, qui non minus jure ei ſubjiciuntur, quam liberi. Sanguinis, & geniture, reſpectus parum heic valet: non ſane tantum, quantum ſocietatis inſtituendæ, & conſervandæ, ſtudium; quod unum natura ſpectat. Quorſum enim attinet procreaſſe liberos, niſi educentur, & bonis diſciplinis inſtituantur, & in officio contineantur, & illa diſcant, quæ pertinent ad recte vivendum, & ſecundum ſocietatis humanæ leges? Certe illa patrii juris ratio, ut pater, & progenitor eſt conſiderandus, in longiſſima ſucceſſionis ſerie, & maxime remota ab origine ſua, vix ſentitur. Cum enim conſtet primos parentes, ut Adamum, & Noacum, & ejus filios, primos etiam familiæ ſuæ fuiſſe Reges, & multa ſæcula vixiſſe, & numeroſum de ſe populum vidiſſe nepotum, & abnepotum ex ſe deſcendentium, ultimi eorum non admodum affici potuerunt ſenſu, & reſpectu primi ſanguinis auctoris. Nec inter ſe, ut in tanta multitudine, quam ætas longæva ſexcentorum & nongentorum annorum videre potuit ex ſe ortam, magis ſeſe noverunt, quam ſi eſſent alieni, & extranei. Sub uno ergo manſerunt imperio, & patrio quidem, ſed non alio jure, quam ſi ſub alterius eſſent imperio, qui pater natura non eſſet. Tales autem, & tot numero, ex uno capite productas, familias non una jam domus poterat continere; immo nec civitas, ſed in unam magnam gentem, in plures civitates, & populos, diſperſam abundaverant. Redeamus ad primam ſocietatem domûs unius, quæ ſub patre eſt, ut ſub Rege: & non ſub patre, quatenus genitor eſt; ſed quatenus rector, & moderator familiæ. Plures ejuſmodi ſocietates, in unam junctæ, civitatem conſtituunt, quæ & ipſa ſuum habere debuit rectorem, ſive Regem; neque is minus natura talis eſt, quam pater, qui domum ſuam regit. Minuta illa, & domeſtica, ſub iſto ſunt majore, ut major ſocietas minorem comprehendit. Cum itaque in familia aliquid ſit, quod correctione, & cenſura, vel majore pœna dignum eſt, pater eſt, qui delinquentes coërceret, ut Rex, & Dominus domi ſuæ. Si ipſe peccet, & male tractet contra

jus, ac fas, eos, quos ſubjectos habet, vel filios, vel ſervos, atque etiam ita excedat imperii legitimi fines, ut quosdam, præter meritum verberatos, occidat, non ipſa familia ad eum coërcendum, & puniendum, convenire debet. Nemo filiorum, vel ſervorum, hoc juris habebit, ut Dominum ſuum, & patrem, Regemque, viciſſim verberent, aut nece afficiant: ſed magiſtratus majoris regni, ſive Rex major; cui hæc minora familiarum regna ſubjacent, ſui officii eſſe ducet, de eo judicare, & pœnam irrogare pro merito. Sin vero Rex ille, & moderator civitatis, vel gentis, qui nullum, neque ſuperiorem, neque parem, in ſuo regno agnoſcit, tyrannus ipſe evadat, vexando cives ſuos injuriis, rapinis, cædibus, annon ſubjectis hæc concedetur poteſtas, ut eum pro libitu ſupplicio afficere poſſint? concede debere. Quis erit igitur judex, & vindex maleficiorum ejus? Cum nullus eſſe poſſit præter Deum; quia nullum alium in terris habet ſuperiorem, judicium & ultio de eo ſoli Deo reſervari debet. Enimvero illi ipſi, qui offenſi ſunt, tam in domo, hoc eſt, minore regno, quam in majore, non poſſunt idonei, & competentes eſſe judices adverſus eum, qui dicitur eos offendiſſe. Omittatur illa ratio, quam diximus de jure patrio. Alia etiam ne id fiat, nec juſta minus, hoc evincet. Qui enim queruntur de aliquo, vel eum accuſant, non poſſunt ipſi judices in eumdem ſedere, cui crimen intentant. Nemo quippe juſtus eſt, aut æquus æſtimator injuriæ ſibi illatæ. Plerumque enim vel leviſſime læſus graviſſime quiritatur; interdum ne læſus quidem. Societatis autem qualiſcumque bonum, quod ſolum natura reſpicit, & pro fine ſibi proponit, hoc poſtulare videtur; ut malus etiam Rex, & tyrannus, retineatur: quia ſæpe minus mali ex eo retento ſubditos maneat, quam ſi vi removere eum aggrediantur, aut ſi arma in eum capiantur, quibus in ordinem redigi poſſit, & corrigere velit quæ peccavit. Teſtis eſt hodie Gallia hujus veritatis. Sed illuſtrius de eo exemplum præbet Anglia. Non vult nobis credi Miltonus, cum dicimus Anglos parricidas eſſe, qui bonum, juſtum, clementem, religioſum, pium, pacificum, legitimum Regem de medio ſuſtulere. Sed, eſto, tyrannum ſuſtulerint, quantum ea morte cladium patriæ ſuæ intulerint, ipſa ſentiet, & jam puto, ſenſit. At nos inſtamus, ne, ſi quidem magna inde utilitas in regnum fuiſſet redundatura, talem Regem tali modo tolli oportuiſſe. Si non aliam ob cauſam, certe vel ob unam iſtã, ne tam pernicioſum exemplum in populos proderetur; quale antea proditum non fuit. *Tibi dico,* inquit Miltonus, *peregrine, & rebus noſtris alieniſſime, teſtis oculatus, & indigena, tibi dico, nos hoſtem prope decennalem, ac patriæ vaſtatorem, de medio ſuſtuliſſe.* Tu teſtis oculatus, Miltone? immo, tu male oculatus, ſi verum eſt, quod de te referunt, qui te viderunt, & quos ipſe videre non potuiſti. Tu indigena, tanto certe pejor. Nam ex illis es parricidis,

dis, qui Regem ſuum necarunt, illis ſaltem ita operam tuam addixiſti, ut ſi ſecuri feriendus iterum Rex eſſet, & omnes refugerent tam triſte, & fœdum miniſterium, tu ſtatim accurreres ad hoc officium, ne ſcilicet indetruncatus abiret. *Salmaſius alieniſsimus rebus veſtris!* Certe nihil à ſe humani alienum unquam putavit; ſed cum ſitis omnium hominum immaniſſimi, nihil humani habentes præter faciem, & cum res tam ab omni humanitate alienas perpetraveritis, ſane ſic Salmaſius libenter ſe fateatur alieniſſimum rebus veſtris: *Vos hoſtem, & vaſtatorem patriæ, trucidaviſtis?* Si ille hoſtis veſter, & vos profecto hoſtes illius. Quomodo igitur vobis credemus, de hoſte tale judicium ferentibus? Alienigenæ, & peregrini, de hoc melius judicare poſſunt, quam vos, cum hoſtis ab hoſte nihil æqui, aut boni juris, poſſit impetrare, aut debeat expectare. *Hoſtem* tunc appellas *decennalem!* Ita certe ille hoſtis vobis decennalis, ut Salmaſius, Miltone, tibi triennalis eſt nebulo. Cum ante hoc triennium nebulo non eſſet: poſteaquam vero contra ſanctitatem rebellium ſcripſit, factus eſt nebulo; ſic Rex, cum antea non eſſet hoſtis patriæ ſuæ, ubi majeſtatem ſuam minui, & jura regni labefactari oſtendit ſe pati nolle, tyrannus extitit, & hoſtis populi. Quando ſcilicet exiſtere cœperunt, qui ſceptrum ipſi de manibus extorqueri, & coronam capiti demi ſua intereſſe putarunt; quia, ut Reges eſſent ipſi, Regem illum eſſe noluerunt. *Vaſtatorem patriæ* appellas. Illene, & regnum ſuum, hoc eſt patrimonium, vaſtavit? Tamne inſanum probabis fuiſſe? Vos hoc feciſtis, qui rebelles in eum fuiſtis, qui bello perſequuti eſtis, qui eum poſtremo regno, & vita, exuiſtis? *Solere id fieri* Salmaſium ais dixiſſe, Miltone; *ſed non, à reformatis, Regi reformato.* Deinde pro reſponſo ſubjicis; *In tanta Regum reformatorum paucitate, nihil hujuſmodi accidiſſe; ut eorum aliquis morte plecteretur, non eſt quod miremur.* At certe eſt, quod mirer ipſe, te tam inſigniter impudentem eſſe, ut nobis imponas, & ipſe tibi fingas, ad quæ reſpondeas, quæ ſunt à veritate alieniſſima; ut non ſit proinde mirum, ſi ea dicas, quæ ſunt abſurdiſſima, & falſiſſima. *In tanta quidem paucitate reformatorum Regum.* Quid hoc eſt? Ne pauci quidem ſunt Reges reformati. Potes totidem numerare, quót tibi in manu digiti? Præter illum, quem occidiſtis, unus, aut alter fuerat. Quomodo igitur potuit dicere Salmaſius, nihil hujuſmodi hactenus contigiſſe in Rege aliquo reformatorum, ut capite plecteretur, cum nullus fuerit, qui poſſet plecti. Nunc jam tibi oſtendam, quid ſcripſerit Salmaſius, & tum reſponde, ſi poteris. Occidi Regem ſuum eſſe nefas dixit, ſed tamen fieri ſolere, & factum aliquoties eſſe. In hoc autem facinore, quod Angli commiſerunt, non hujus ſimplicis facti, id eſt cædis, rationem eſſe ducendam, ſed multa alia incidere, quæ ſcelus exaggerant. Perpetrandi modus, perſona-

rum

rum, quæ fecerunt, conditio, & illius, quæ paſſa eſt. Ad perſonas quod attinet, quæ hoc flagitio ſe contaminarunt, ferri magis poſſe, ſi Turcæ, ſi Pagani, id patraſſent. In Chriſtianis neutiquã id ferendũ, & multo minus in his, qui ſe reformatos profitentur. Hæc omnia, quæ concurrunt ad unum facinus implendũ, plura facinora efficiunt, ut mirum plane videatur, & aliàs inauditum, ab his ſcelus admiſſum. Et hoc ipſi fatentur, qui commiſerunt, nunquã quidquã tale aliàs factũ, nec auditũ. Nec etiam Miltonus diffitetur. Pro ſua ſolita impudentia, & mentiendi nova, & inuſitata libidine, negat Regem, quem occiderunt, fuiſſe reformatum. *Siquidem*, inquit, *reformatus is dici poteſt, qui, ſcriptis ad Papam litteris, Sanctiſſimum appellaverat Patrem; qui Papiſtis æquior ſemper, quam Orthodoxis fuit*. Qui facitis, ut Rex non ſit Rex, poteſtis etiam tanto facilius facere, ut reformatus non ſit reformatus. Miror equidem, quod, & in elogio, ſententiæ capitalis, quæ in eum dicta eſt, hoc non fuerit adſcriptum. Cum enim Papiſtas ſolos non recipiatis, qui recipitis alias ſacrilegas, & impias ſectas: juſta hæc vobis cauſa fuiſſet, vel una licet, ejus occidendi, quod Papiſta eſſet. Initio quidẽ turbarũ, quibus omnia miſcuiſtis in Anglia, perſuadere id populo conati eſtis, ut in odium ſuis civibus adduceretur. Sed non probaſtis, ideo nec in ejus condemnatione id apponere auſi eſtis. Sed quare Papiſta Carolus primus? *Quia, ſcriptis ad Papam litteris, eum Sanctiſſimũ appellavit*. Cur non potius, quia omnino ad Papam litteras ullas ſcripſit? Nam aut non ſcribendum fuit, aut eo titulo donandus, qui vulgo illi datur. Ergo crimen erit Caroli, & quidem capitale, quod ad Papam litteras miſerit! Si non, ut capiti Eccleſiæ, certe ut Principi Chriſtiano, ſcribere ei poſſunt reformati. Si Sanctitas ei tribuitur, ita fit, ut Serenitas regibus quibusdam, ut Celſitudo principibus, ut Turcæ Altitudo, ut alius Catholicus Rex vocatur, alius Chriſtianiſſimus. Si ad Regem Galliæ ſcriberetis vos parricidæ, qui ſancti eſtis, Chriſtianiſſimi titulum illi non daretis; quem ne pro Chriſtiano quidem habetis, cum religionẽ, quam profitetur, Antichriſtianã eſſe aſſeràtis, & pejorẽ omnibus infandis ſectis, nonnullis etiam Chriſtum negantibus, quas recipitis, cum illam non recipiatis ſolam. Hoc mirum certe eſt, more tralatitio Papa non appellabitur Sanctiſſimus, at perduellis, & impius: Regis ſui carnifices *Sanctorum* appellatione apud vos gaudebunt! Quis hodie Doctorum, etiamſi ſit reformatus, qui Turcas *Muſulmanos* vocare reformidet? Nihil minus tamen eos, quam *fideles*, ſicut nominari ipſi volunt, credimus. Alia etiam ratio Miltono affertur, cur Carolus Rex Papiſta fuiſſe videatur. *Quia Papiſtis æquior ſemper, quam Orthodoxis fuerit*. Quia æquus Papiſtis, ideo Papiſta! Cur non hoc aperte, & grandi hiatu, dixiſti? Quia mors ejus dictum tuum refutaret. Sed qui ſunt illi Orthodoxi, quibus minus faviſſe Regem prædicas?

dicas? Num Presbyteriani? Tuæ ſectæ homines non eos pro Orthodoxis habent. Et præterea nihil cauſæ fuit Regi, cur eis impenſius faveret, quos adeo infenſos expertus eſt. An Eccleſiæ Anglicanæ diſciplinam profitentes, tibi Orthodoxi? Neutiquam. Nam à Papiſtis non differre eos exiſtimatis. Nec Rex omnino his iniquior, nec etiam cauſa fuit, cur eſſet. Jam teneo igitur quos Orthodoxos appellas. Nimirum Independentes, Anabaptiſtas, Brouniſtas. Iſti non tantum Papiſtas, ſed omnes omnino Proteſtantes, qui ab his diſſident, pro Idololatris, & Antichriſtianis habent. Hoc jam ante te, Miltone, crimini datum fuit Carolo, beatiſſimæ memoriæ martyri, &, inter cætera flagitia, objectum ab aliis parricidii patronis, propter quæ pœnam capitis tulit; quód nimirum Sanctos, quibus hodie abundat Anglia, non hoc elogio, ſibi debito, ornaret, ſed Puritanos, & Brouniſtas nuncuparet. *Talis*, inquis, *cum fuerit, ne ſua quidem familia primus, à Reformatis de medio eſt ſublatus*. Immo primus Reformatus à Reformatis, & à ſuis ſubjectis. His paucis verbis tua illa, quæ ſubjunxiſti, omnia refelluntur, & falſi revincuntur. De Maria, ejus avia, à Reformatis exuta Regno, ſolum vertere coacta, & ſupplicio demum capitis affecta. Nam & illud falſum, quod exuta regno fuit, cum illa ſponte ſe abdicaverit imperio, imparem ſe faſſa tanto oneri. Deinde non à ſuis id paſſa eſt Scotis, ſed ab Anglis: Non amplius Regina, non à civibus ſuis; ſed ab alterius ditionis Domina. Quod ſi Scoti ipſi, ut mentiris, operam contulere, ut morti daretur, ne ſic quidem reſpondiſti quæſtioni. Quærebatur heic, quinam, ante vos, Reformati ſubditi Regem ſuum, reformatum & ipſum, ad ſupplicium tradidiſſent? Maria tunc non amplius erat Regina, nec ergo Scoti amplius ejus ſubjecti. Iſti Reformati, illa Pontificia. Sed quid heic, homo miſerrime, tricaris, cum alibi fatearis, ante vos tale facinus à nemine unquam fuiſſe tentatum? Pluribus locis hoc repetis. Quid ergo heic nunc contrarium ſuſtines defendere? Petis paulo poſt, *ut audeamus negare, licere Regem nequam, ſive tyrannum, regno pellere, vel ſupplicio quovis, prout meritus erit, punire?* Qui tantæ audaciæ, & impietatis, fuiſtis; ut ad ſupplicium producere veſtrum Regem non veriti ſitis, haud ſane mirum, ſi auderis affirmare, id licere. Sed præter vos nefarios ſicarios, & parricidas, quis eſt, qui audeat? Summorum Theologorum, qui ipſi reformandæ Eccleſiæ auctores fuere, hanc eſſe ſententiam tu vero audes dicere, homo impudentiſſime, & confidentiſſime nebulo? Qui ſunt illi Theologi, Reformationis auctores, qui Regem ad judicium vocandum eſſe, & carnifici tradendum, ſi male regnet, docuerint? Cur non illos nominaſti? Ipſi Hildebrandinæ doctrinæ aſſertores, ipſi Jeſuitæ, nusquam hoc docuere, nec ſcripſere: regno pelli, aut deponi, debere cenſuerunt. Inter Jeſuitas etiam aliqui, ſi

aliter de medio tolli non poſſet, aperta vi, veneno vel tentari poſſe ſcripſerunt. Nemo vero unquam extitit, adeo furore, & amentia, percitus; qui judicium capitis in Regem, qui non ferendus videretur, conſtitui oportere ſenſerit, aut dixerit. An quiſquam adeo omnium tam legum, & juris, imperitus; ut in hanc opinionem adduci queat, hoſtem de hoſte judiciali via cognoſcere, aut eumdem accuſatorem & teſtem in eum produci? uno verbo judicem, qui hoſtis ſit, in hoſtem ſedere poſſe? Monſtri ſane hoc inſtar, non ſolum Salmaſio viſum, ſed omnibus, qui aliquo ſenſu communi pollent, Regem in judicium adduci, cauſam capitis dicere, condemnari, ad ſupplicium produci, manu carnificis perire. At tu, homo ſapientiſſimus, inſipientiſſimum heic vocas Salmaſium, *qui non videat, humanius eſſe longe, & aequius, & ad leges omnium civitatum accommodatius, cujuscumque criminis reum in judicio ſiſti, ſui defendendi copiam ei fieri, lege condemnatum ad mortem haud immeritum duci.* Quæ ſunt illæ leges omnium civitatum, dic, homo Jurisconſultiſſime; quibus hanc æquitatem, ſi de Regis perſona agatur, poſſis tueri? Omnes leges, omnes conſuetudines omnium populorum, jura divina, & humana omnia reclamant. Aude vel unam civitatem ex omnibus ſæculis memorare, quæ talem legem ratam habuerit. Hæc omnia tamen, & ego tecum agnoſco, & confiteor libens, ſtultiſſime, & amentiſſime homuncule, ſummæ æquitatis, & humanitatis etiam, ſi vis, eſſe pleniſſima; dum mihi des ejusmodi judices de tali reo cognoſcentes, qui non ſint hoſtes ejus, & inimici capitales: dum deferas ejusmodi reum, qui ad judicium tale vocari legitime queat; cuius dignitas non impediat, ne à minore poteſtate poſſit judicari: ad ſummam, qui Rex non ſit, de quo judices, ſervi ipſius, & ſubiecti, velint judicare, iidemque rebelles, & propterea hoſtes confeſsiſſimi, & infenſiſsimi. Addit ſtatim homo vecors, & furore cœcus. *Quotusquiſque enim eſt reorum; qui, ſi optio detur, non illo potius, quam hoc modo, puniri maluerit?* Nempe manu carnificis mortem obire; quam, alio modo, violenta nece defungi. Accipe igitur quod mavis: Deus audire te, & tibi dare, velit, quod melius eſſe judicas, & quod jam dudum meruiſti; ut, ad ſupplicium publice productus, per carnificem in furcæ faſtigium, populo omni inſpectante, ſubductus, ibi laqueo ſtranguleris, & pectore diſſecto, vivo adhuc ſpirantique cor exenteratum, in ignem conjiciatur; deinde caput, à collo reſectum, haſtæ ſummitati infixum, omnibus è longinquo viſentibus gratum, & jucundum ſpectaculum præbeas. Non dubito, ut ex tuis te verbis intelligo, quia ita malis puniri, convictus perduellionis, & parricidii, pœnæque rebellibus civibus debitæ condemnatus; quam, cauſa indicta, pecudis inſtar, mactari. Sic enim, ut ais, pœnitentiæ agendæ pro tuis criminibus, & te colligendi, ſpatium daretur. Utinam hoc

fiat, & quoniam tale ſupplicium præferendum doces ſimpliciori lethi generi, vellem, ut velles, & opto tibi idem, quod optas. Sane id meritus es; etiamſi, quòd nollem, hoc tibi, quod mavis, non contingeret. Pergit homo inſanus ea, quæ à ratione aliena ſunt, deblatterare. *Qua ratio igitur,* inquit, *animadvertendi in civem moderatior habita eſt; cur non in Regem quoque moderatior, & vel ipſi Regi acceptior fuiſſe, exiſtimanda eſt?* Ideo nimirum ita in Regem animadverti voluiſtis; quia hanc illi pœnam acceptiorem fore credebatis. Hanc ſuam ſcilicet mentem de ſupplicio, quo mallet affici, vobis aperuit; atque ita ipſe quodámodo de ſe pronuntiavit. Hànc etiam vos, homines æqui, & moderati, rationem in Regem animádvertendi moderatiorem eſſe in animum induxiſtis, quia in civem talis videretur. Quid dicam, neſcio? Tanta ſane in his ubiq; dilucet cœci homunculi vecordia, & amentia; ut talis nunquam in ullo homine nato reperta ſit. Primum nihil diſcriminis ponit inter Regẽ, & civem; ſi de utriusq; capite agatur: cum leges omnes, & jura omnium gentium, ſemper ſupplicia, pro conditione perſonarum diverſa, ſtatuerint, vel in eodem crimine. Servi graviter delinquentes in crucem agebantur; libero hæc pœna nunquã imponebatur. Leges Semproniæ civem Romanum verberari vetabant. Viliores perſonæ ad metallum, aut ad beſtias, condemnabantur; pro quo crimine honeſtiores in Inſulam relegabantur. Qui in magiſtratu erant, longe in eos moderatior pœna, etiamſi graviſſime deliquiſſent, infligebatur, vel relegationis, vel exilii. Quis Verre Prætore ſceleratior, & omni flagitiorum, & ſcelerum genere inquinatior? Si privatus vel centeſimam partem commiſiſſet, capite lueret: ipſe in exilium, ob tot ſcelera, & flagitia, tantum miſſus. Regem vero, qui ſupra omnes eſt magiſtratus, Miltonus, quæſitor criminum juſtiſſimus, juris & legum ſcientiſſimus, idẽque obſervantiſſimus æqui, qui ſit apud Anglos latrones, Regẽ ab infimo cive non diſtinguit, eidem ſupplicio ſubjectum fuiſſe ſtatuit, cui gregalem militem ſubjiciendum pronuntiaret, ſi Judex in eum daretur. Prætereà, ut fanaticus eſt ariolus, dicere audet, hanc pœnã longe acceptiorem ipſi Regi fuiſſe, qua nempe ſecuri percuſſus eſt per carnificẽ, quam ſi in carcere necatus eſſet, nullo teſte, & arbitro. Atque ita etiam æquiores Regi ſuo cives rebelles fuiſſe autumat, quod, toto inſpectante populo, cervices eum præbere dignum duxerint carnifici ſecandas, quã ſi clam è vivis ſublatus foret. Verba me deficiunt, quibus digne exagitem perditiſſimi homuncionis vix cuiquam credendã veſaniam. Et in his, quæ heic dicit, & in his, quæ ſtatim ſequuntur, totus furere videtur. Ne mica quidẽ bonæ mentis, aut ulla veritatis ſtrictura, in ejus verbis emicat. Scit non ſolum quid Rex malle debuerit, ſed etiã quid maluerit. An credibile eſt ſe ſupplicio tali eſſe addictum voluiſſe, qui ne quidẽ ſe compellari

à judice

à judice ſuo de crimine,cujus inſimulabatur, æquum, & juſtum duxerit? Cum ipſum ſubinde interpellaret,petens, quo jure, & qua auctoritate, coram eo vocatus eſſet, ad cauſam dicendam? cum reſpondere ad objecta crimina noluerit; quia judicium ſubire ſubjectorum ſibi judicum, ipſe, qui Rex eorum eſſet, ſe non debere crediderit? Qui denique, indicta cauſa,damnari potius elegerit, quã aliquid indignum ea majeſtate, quam ſuſtinebat, committere? Annon ille centies maluiſſet, ſi optio ipſi data eſſet, ſecreto, & ſine arbitris occidi, quam Regiam majeſtatem in pegmate infami proſtituere,atq; in patibulo expoſitã civium ſuorum oculis, & traductam, ferro impuri carnificis feriendã præbere. Sic ſane & conſuluiſſet pudori civium ſuorum, quos tantopere, quãvis immerentes, & indignos dilexit, & minorem invidiam crudelitatis, & injuſtitiæ, conflaſſet perduellibus ſuis, nec tantam ipſis infamiæ notã in ſæcula ventura inuſſiſſet. Sed perſequamur hominis veſani verba, quæ ex pectore flagitiorum, & ſcelerum omnium capaci emanarunt. *Si ſic,* inquit, *extinctus Rex, ſecreto, & ſine arbitris foret, exempli tam boni ſalubritate omnis memoria careret: & Rex ipſe, facti tam præclari conſcientia lucem defugiſſe, aut leges, atque ipſam juſtitiam minime ſibi amicam habuiſſe videretur.* O miſeris, mirisq; modis hominẽ miſerandum, ſive ſcit, quod dicit, ſive neſcit! Sed malo ipſi favere, ac dicere, quaſi dementatum, neſcire plane quid dicat, quam pro ſano talia loqui. Quis enim ſanus talia poſſet ſcribere? Quæ eſt iſta tam boni exempli ſalubritas, qua poſteritas ſcilicet fruetur, ex illo nefando Regis, & inaudito ſupplicio? An aliud facinus magis deteſtabile, & exemplo perniciem majorem in ſæcula ventura trahente,committi potuit? Tu ſalubre id vocas, homo furioſiſſime? Certe illis, qui perpetrarunt, & qui ad ingentes ex eo pervenerunt opes, quique regnum ipſi poſſident,quod,iſto exemplo edito, juſtis poſſeſſoribus ereptum iverunt, quæſtuoſum, & ſalutare. Ipſi vero reipublicæ, quam perdiderunt, & libertati, quam everterunt,peſtiferum,& exitiale. Nec mirum hoc à te factum præclarum prædicari,ac dignum, quod in media luce, publico loco, & in conſpectu populi univerſi fieret. Alii ſcelerati facinoribus ſuis peragendis tenebras quærunt, iſti lucem ſceleribus, quæ meditantur, immittunt, & cum pompa, & triumpho ea inducunt. O cœcam hominis mentem! ô brutum pectus,& ad omnia flagitia projectum! Leges, & juſtitiam habuiſſe amicam Regem dicis, qui ad hoc ſupplicium traditus ſit? Ubi leges illæ, ſecundum quas condemnatus eſt; cum nec ullã allegare potuerit præſes illius ſacrilegi judicii, quam obtenderet Regi, petenti, quo jure, ſe ad illud tribunal citari juſſiſſet? Si ullum unquã ſpecimen iniquitatis,& injuſtitiæ ullo in judicio editum fuiſſe conſtat, editum ſane illud eſt in illa ſupremæ juſtitiæ curia,ſic vocatæ; & ideo inſtitutæ,

ut aliquo juris colore, & prætextu, atrociſſimum ſcelus, & latrocinium tegeretur. Summa autem injuria, & injuſtitia Regem hoc judicio fuiſſe proſtratum, vel illud indicio eſt, quod nullo crimine cecidit, ſed quia regno excidere eum voluere, qui ad regnum eius occupandum viam affectabant. Ut enim latrones, qui, ſine vita viatoris, crumenam ejus rapere ſe ſentiunt non poſſe, vita prius ſpoliant, deinde & pecunia: ita qui regno Caroli inhiabant, cum ſine ſanguine eius extorquere ſe illud non poſſe animadverterent, Regem ſolio deturbarunt, & vita; ut imperio ipſi potirentur. Et cum ante multos annos id facinus mente agitaſſent, conſilio, & ratione diu meditatum ſcelus tandem peregerunt. Hæc vera eſſe cum negare non poſſet parricidii patronus, nec auderet, objectiones,& argumentationes admolitur, quæ ad rem nihil pertinent. Salmaſio objectat, *quod ab accidentibus cauſa,quæ per ſe nihil valent, vituperationes inſtituit, cum nondum docuerit illud facinus in vitio,an in laude ponendum ſit.* Et priusquam his ineptiis, quas,peream,ſi intelligo, chartam inſputaret, in hanc exclamationem erupit: *ò merito quidem te ex Juriſconſulto Grammaticum!* Quæ ſint illa *accidentia cauſæ*, neſcio. Quomodo etiam Salmaſius ex Juriſconſulto Grammaticus ſit factus, non aſſequor. Ne illud quidem ſatis capio, quomodo nondum docuerit, utrum hoc facinus in laude, an in vitio ponendum ſit. Quinimmo ne illud quidem poſſum, ebriusne fuerit, an furioſus, an ex morbo deliraverit Miltonus, cum hæc ſcriberet, ſatis perſpicere. Quid? Salmaſius ad hunc usque locum pervenit,& nondum docuit,vel dixit,pulchrumne, an infandum hoc facinus videri debeat. Quaſi locus ſit dubitationi! An ex eo ſcelerum genere hoc ſcelus eſt, quod, vel nominatum, non ſtatim deteſtandum exiſtimare oporteat? Qui parricidium dicit, an cuiquam dubium facit, utrum laudandum ſit factum,an vitio vertendum? Quis non tamquam facinus teterrimum, & inexpiabile, ſtatim ut auditum eſt, tacitus intra ſe, vel etiam aperte condemnat? Quid aliud egit tota præfatione, quæ præceſſit, Salmaſius? In ipſo ejus principio nonne ſatis manifeſtè declaravit, quale, & quantum, & quam atrox flagitium illud eſſet æſtimandum; cum *parricidium eſſe* dixit, *nefaria ſacrilegorum hominum conſpiratione, in perſona Regis admiſſum?* Et dubitabit adhuc quisquam, & disputabit,an vituperationem inſtituerit tanti criminis ab accidentibus ejus, cum nondum demonſtraviſſet, utrum eſſet laudandum, an vituperandum. Veratro, mi Miltone, purgandus es; ſed nulla ratio te ſanare, qui tam inſanus ſis, poteſt. Regem à vobis necatum, & quidem infami ſupplicio, in confeſſo eſt,nec negare poteſtis. Hoc parricidium nos eſſe contendimus. Ut ſimplex non eſſe parricidium oſtendamus, per illa, quæ factum anteceſſere, quæ poſtea acciderunt,quæ in ipſa re facta ſunt, probamus. Vos, ut hanc inten-

tionem

tionem depellatis, non parentem patriæ à vobis trucidatũ co tenditis,ſed tyrannum. Ita nos facinus execrandũ à vobis coı miſſũ intendimus. Salmaſius hujus criminis graviſſimi,& atr ciſſimi vos accuſat. Quæ partes ejus heic fuere diſputandi, ut id ſit reprehenſione, quod feciſtis, an laude dignum ? Ne tı quidem fuerunt, qui contra aſſeris, pulcherrimum illud vid debere,& præclarum,& omni laude majus factum.Quæ ſtultit igitur tua eſt, vel amentia potius, qua ita argumentaris cont Salmaſium,quaſi in dubium ille vocaverit, aut vocare debuer quomodo eſſet accipiendum, quod egiſtis, & utrum laudi daı dum, an criminì ? Sic enim dicis te incurſurum in Salmaſiur Spectemus ergo qualis hæc ſit incurſio. *Si pulchrum,& decoru fuit, eo magis laudandi, quod nullis affectibus occupati, ſolius hon ſtatis cauſa fecerint : ſi arduum, & grave, quod non cæco impetu, ſ conſilio, & ratione.* Qua ratione hæc dicas, non video, ſed v deo te nulla ratione hoc dicere. Apparet enim te, cœco anin impetu raptum, hæc effutire. Cur ſumis, quod nemo tibi da pulchrum,& decorum fuiſſe facinus,quod feciſtis? Immo argu mus turpiſſimum factu eſſe, & maxime execrandum. Ne illı quidem quiſquam tibi concedat, nullis occupatos affectibu ſolius honeſtatis cauſa id vos aggreſſos eſſe.Tam fœdum,& n farium facinus vos honeſtatis cauſa ſuſcepiſſe ! Nullis nimirur fuiſtis occupati affectibus, cum Regi bellum intuliſtis,cum ær rium ejus expilaſtis, cum exercitus cecidiſtis, cum caſtella & oppida cepiſtis, cum captum illum de carcere in carcerem tr duxiſtis, cum carcere eductum ad judicium adduxiſtis, cu judicio capitis condemnatum ad ſupplicium produci juſſiſtis,! ſecuri carnificis decollaviſtis. ô ſapientiæ prodigia!ô patienti & moderationis monſtruoſa exempla! Tot turbas excitare,ta tos tumultus commovere, per totũ Angliæ regnũ, tantam re & ſtatûs univerſi commutationem vi, & armis,introducere,ſi ulla animi commotione,ac perturbatione, ac ſine ullis omni affectibus potuerunt.O rarũ hominum genus!ô eximium eti argumentatorem Miltonum ! ſi honeſtum facinus fecere, l dandi ſunt, quod honeſtatis cauſa feciſſe videntur.Quid ſi inl neſtum, & turpe ? Sequitur eſſe vituperandos, quod longe verſam cauſam habuerint id faciendi, quam honeſtatis app tum. Hoc igitur potius. Alterum membrum propoſitionis p pendamus : *Si arduum, & grave,quod non cæco impetu, ſed conſ & ratione.*Diceres,opponi in hac incurſione Miltoniana,ardu & grave, pulchro, & decoro. Aliàs quid his ſibi velit, neſ Sunt quædam pulchra, & egregia facinora, quæ inceptu ſ ardua, ac difficilia factu. Sunt etiam,quæ cum facilitate ma perficiuntur. Idem eſt de illis, quæ turpitudinem habent c junctam: quædam ex his facile explicantur,alia difficilius. tamque etiam quæ ardua videntur, & gravia, cæco impetu

temeritate ſuſcepta, exitum felicem ſortiantur. Sunt & nonnulla magni moliminis,quæ cum ratione & conſilio ſolent administrari. Nihil ad rem ergo heic dicit perduellium defenſor. Balburit, & tumultuatur loquendo, nec,quo tendat eius ſermo, videmus, nec vidit ipſe. Si pulchrum eſt, quod fecerunt, pulchrum eſt, & hoc nomine laudandi auctores; ſi arduum illud negotium fuit, etiam laudandi, quia conſilio & ratione rem abſolverunt. Ita quidem Miltonus argumentatur, quaſi Salmaſius annuiſſet, & pulchrum facinus fuiſſe, quod parricidæ Angli fecerunt, & nullis affectibus præpeditos id eſſe aggreſſos, nec cœco impetu raptatos, ſed certa ratione adductos, & conſilio. Atqui nihil illorum apud Salmaſium, nec quidquam tale ipſi in mentem venit illis concedere. Dixit ille quidem, falſum opinionis eſſe, ſi quis putaret cœco animi impetu, & præcipiti mentis ardore explicuiſſe tantum nefas, ut fieri nimirum amat, in ſeditione civium, aut militum, adverſus rectores, aut duces ſuos, ſed hos conſilio, & ratione meditatū diu ſcelus peregiſſe. Quia nimirum Regem amovere ſtudebant, ut ipſi regnum occuparent: non ſubito, nec per ſeditionem tumultuariam hoc egiſſe; verū conſiliis longe ante captis, & deſtinatione animi ex longinquo tempore obfirmata. Mira ſane, & faceta contra hæc, Miltone, tua fuit incurſio, cui ego ſic occurrā. Si turpe facinus eorum fuit, ut fuiſſe conſtat, vituperandi eo nomine magis ejus auctores, qui multo ante meditati hoc ſcelus fuerant, qui tamdiu perſtiterunt in cogitatione, ac meditatione tanti flagitii. Si arduum,& grave, tanto etiam magis damnandi,quod non cœco impetu, & animi ardore præcipiti, ad tantam impietatem, quæ tam difficilis eſſet exequutionis ſe proripuerunt: ſed cum certo conſilio, & ratione inſanire voluerunt, & obſtinata pertinacia omnes difficultates evincere, cum tamen ſcirent & turpe eſſe factu, & arduum, quod molirentur.Sed omiſſis his ratiocinandi & argumentandi artibus, quibus adeo parum valet, ut infans videatur, redit carnificum advocatus ad illam ſuam rationem, quæ validum illi telum ſuppeditat, ut credere videtur, ideoque omni occaſione ſolet intorquere. Ad illam, inquam, inſpirationem divinam, quæ tantæ molis hoc opus ſola perfecit.Non cœco, & temerario impetu, non conſilio, & ratione res tantas, & tam admirabiles, honeſtas, decoras, arduas, graves,peregerunt; ſed inſtinctu divino. *Quamquam ego,* inquit homo fanaticus, *hæc divino potius inſtinctu geſta crediderim.* Potes tu quidem iſta credere, quoniam ita vis, & quia Deum præſentem ſæpe ſoles videre manifeſto numine, & lumine; ſed nobis, ut aliud credamus, veritas ipſa inſinuat. Ego enim, quod pace tua, bonaque cum venia, dictum velim, inſtinctu potius, & impulſu cacodæmonis, hæc geſta à vobis eſſe mihi perſuaſerim. Et infinitos habeo mecum hac de re conſentientes. Dicere poſſem, omnes;

nisi

niſi diſſentirent illi ſoli, qui fecerunt. Nec huic fidei obſtant, quæ tibi placet afferre, quaſi certa, de admirabili militum ardore, de conſenſu totius exercitûs, & magna parte populi, provinciis omnibus una voce Regem, quaſi malorum omnium auctorem, ad ſupplicium depoſcentibus. Hæc enim partim falſa ſunt, partim non redolent inſtinctum divinum. De exercitu, & duce ejus Cromwellio, non invitus ſane tibi conceſſero. De aliis non potes impetrare. Nam illud eſſe falſum quis neſcit, quod ais, magnam partem populi ſe adjunxiſſe exercitui, Regem ad ſupplicium depoſcenti. Præterea ſi magna pars populi, non tota, ſe adjunxerit? Ergo bona etiam pars populi Anglicani ab hoc conſilio alienam, & averſam, ſe profeſſa eſt. Scoti omnes, omnes Hiberni, ab eo propoſito abhorruerunt. Sed ne hoc quidem, quod dicis de magna parte populi, verum eſt, ut inter omnes ferme conſtat, qui res veſtras æque callent, ut tu calles; ſed non tam callidi ſunt, nec improbi, ut eas aut diſſimulent, aut in contrariam vertant, quod tu facis. Oblatæ quidem tum litteræ ſupplices in eam rem, ſed quas omnibus conſtaret fuiſſe fictas, vel opera militum extortas, qui nihil reliqui fecerunt, ut à quibuslibet vel viliſſimis capitibus, ut proletariis, & capite cenſis, litterarum ſpeciem quamdam obtinerent: non tamen per eas id poſtulantes, ut Rex ſupplicio afficeretur; ſed ut in eos animadverteretur, qui auctores belli fuiſſent, quod Scoti renovarunt in favorem Regis, & quo poſſent eum carcere liberare. Idque contigit anno cIↃ IↃ c xlvii. Cujus tumultûs cauſam non dediſſe Regem, ne inimici quidem ejus ignorarunt, qui nec hoc illi objicere auſi ſunt, cum ſint tamen omniũ hominum ad mendacia confingenda impudentiſſimi; quia tunc Rex arcta cuſtodia in inſula Vecti detinebatur. Sic de tribus regnis tertii vix pars centeſima, ſi milites cum ducibus ſuis excipias, conſenſit in exitium Regis. De inſtinctu autem divino non adeo firmiter, & conſtanter, eam opinionem tueri videtur latronum patronus; ut non in medio eam rem relinquat. *Quidquid erat*, inquit, *ſive magiſtratum ſpectes, ſive populum, nulli unquã excelſiore animo, & quod etiam adverſarii fatentur, ſedatiore, tam egregium facinus, & Heroicis ætatibus dignum, aggreſſi ſunt.* Quod de magiſtratu ait; ſi vellet hominibus perſuadere ullum legitimum Angliæ magiſtratum participem, aut conſcium hujus ſceleris fuiſſe, multum profecto ſudaret. Solus exercitus hoc fecit cum doctoribus ſuis, & aliquot nebulonibus ex fæce plebis, quos militum duces in Parlamento reliquerant, ad quadraginta tantum numero; cæteris fugatis, aut in vincula conjectis. Quum excelſo animo, quod ait idem ſceleris protector, & ſedato id exequuti ſunt; ſi veriſimile cuiquam id poteſt eſſe in tanta rerum perturbatione, & tumultu, quem hujus rebellionis duces, & ſigniferi commovere, judicandum omni-

bus relinquo. Quod Heroicis ætatibus hoc facinus eſſe dignum, idem ille perduellium Orator affirmat. Væ priſcis illis temporibus, ſi tales Heroas habuere! Væ noſtræ ætati, quæ tales tulit! Sed ex quibus Annalibus, Hiſtoriis, aut Fabulis, ex omni hominum memoria, de Heroum genere, & nomine, aliquem producet, qui Regem ſuum, non dico, carnifici tradiderit, publico ſpectaculo ſecuri percutiendum; ſed qui vel ſimpliciter cruentas in eum manus injecerit. Si ullum poteſt nominare, jam tum ille non *Semideus* vocandus fuerit, ut etiam Heroes ſuos ſæculum prius appellavit; ſed *Semidiabolus*. Tu vero, Miltone, ad hoc exemplum aliquid plus, quam Heros futurus es; ſed ſemiſſe abjecto, qui additur Heroicæ appellationi, totus διάβολος, totus διαβολὴ, *calumniator*, ſive ipſa potius *calumnia*, cum tot calumniis, & mendaciis, quibus librum tuum impleviſti, merito tuo in ejusmodi Heroum numerum referri debeas. Sed Heroes illi veri, & priſci, omnia vi, & virtute, conficiebant, nihil fraude, & fallacia: quibus artibus plus, quam heroica ulla fortitudine, latrones Angli propoſiti ſui nefarii finem aſſequuti ſunt. An Heroicus, aut divinus ille fuit inſtinctus, qui Cromwellium afflavit? Ab illo certe venit ſpiritu nequam, qui Miltoni Heroas, & prophetam Muhammedum fecit, à quo ille ſibi dictatum Alcoranum dixit, & quo ductante tot præclara illa facinora geſſit. Non enim à veritate, nec à ratione mihi videntur aberraſſe, qui Cromwellium cum illo pſeudopropheta compararunt. Si Plutarchus reviviſceret, optime vitis antiquorũ παραλλήλοις, quas compoſuit, hanc egregie poſſet adjicere, Cromwellii, & Muhammedis. Finis tamen expectandus eſt Cromwellii prius, quam iſta comparatio recte poſſit inſtitui. Quid enim ſcimus, quo exitu vitam ſit clauſurus? Et faxit Deus, ut progreſſus iſtius Angli latronis non tam late pateant, nec tam diu durent, quam illius Arabis. Quod ſi eſſet, actum brevi foret de Chriſtiana religione. Pergit Miltonus laudibus ad cœlum tollere Heroicum illud Semidei Cromwellii facinus. Nam certe, ut nunc ſunt mores, & tempora, Heroica res ſcelus eſt. Heroico, inquam, iſto facinore dicit, *non leges tantum, & judicia dehinc mortalibus ex æquo reſtituta, ſed ipſam juſtitiam nobilitatam, ſeque ipſa illuſtriorem, ſeque ipſa majorem, poſt hoc inſigne judicium, per vos redditam.* Dic, furioſe defenſor nefarii latrocinii, An prius, quam Regem veſtrum carnificis manibus decollandum, ex parricidalis judicis ſententia, daretis, nullæ leges in uſu, & vigore, fuere apud cæteros mortales? nulla judicia ex æquo mortalibus obſervata? juſtitia antehac nulla reddebatur? jus non dicebatur in ulla parte terrarum? Vos hæc omnia nimirum reſtituiſtis humano generi, quæ jam pridem exoleverant, & ex judicum conſeſſibus, & tribunalibus evolaverunt! Aſtræam de cœlo fu-

gitivam

gitivam nempe retraxiſtis, &, ut hominum ſe cætibus iterum, poſt tantum intervallum, redderet, præſtitiſtis. Homo nequam, nihil enim poſſum jam gravius in te dicere, Tantane in quemquam mortalium cadere poteſt æqui, verique, & juris omnis inſcitia, tanta mentis cœcitas, tantus ſtupor, tanta denique vecordia, & improbitas, ut quod omnes homines hactenus deteſtati ſunt, tamquam parricidium; & latrocinium infandum, & ſæculis omnibus inauditum, hoc pro judicio juſtitiæ, & æquitatis admirandæ, & in exemplum omnibus judicibus, officium ſuum recte facturis, in poſterum imitandum proponere audeat? Omitto Latinitatem impuram, qua id expreſſiſti, longe impurior, & ſceleratior mens eſt illius, qui juſtitiam, eo judicio nobilitatam, illuſtriorem, & majorem ſe ipſa redditam ſuſtinet aſſerere? Vin' ſcire quomodo juſtitiam illo facto nobilitaſtis? Ita ſane nuptiarum ſolemnitatem illuſtriorem, & nobiliorem, ſe reddere poſſet dicere, multiſque adeo rebus celebriorem, qui, cum matre inceſtam libidinem exercere ſolitus, eam honore nuptiarum velare vellet; ea matre ſolemniter, & palam, matrimonio ſibi juncta. An ille, inquam, qui matrem ſuam legitimis tabellis deſponſatam, pactamque, ſolemni Eccleſiæ conventu in uxorem tenderet ducere, inceſtum legitimum redderet, nomine, & jure addito nuptiarum? An Nero maris uſum pro fœmina illegitimum, & infandum, licitus ut videretur, & naturæ lege permiſſus, effecit, cum Sporum in mulierem exſectum, quaſi uxorem, ritu nubendi tunc uſitato, toro ſuo ſociavit? Ita vos ſane feciſtis. Rem, per ſe execrandam, colore, & prætextu judicii, quaſi rite, & jure conſtituti, tanto execrabiliorē, magiſq; adeo deteſtandam reddidiſtis. Si illuſtriorem, & nobiliorem vis, certe non meliorem. Immo vos non juſtitiam, ſed injuſtitiam ſic nobilitaſtis. Quid enim poteſt reperiri injuſtius, quam id, quod juſtitiæ fuco coloratur? Quid iniquius, quam id, quod æquitatis ſpeciem, & habitum induit, cum ab omni jure, & æquitate eſſe remotiſſimum omnibus pateat? Denuo ego poſt Salmaſium vere poſſe videor dicere, vos, ab hac parricidali doctrina inductos, qua Reges impune tolli poſſe à civibus, ſi moleſti populo videantur, & graves, *ſi mille rebus meliorem Regem habuiſſetis, non ei vitam conſervaſſetis*. Quid heic habes, ô Mome, quod reprehendas? An putas, Salmaſium verbis illis concedere, ac confiteri, veſtro Rege mille rebus meliorem, Regem quempiam, moleſte tamen, & odioſe regnare? ô acumen ſtupidi, & hebetis homuncionis! Ille de veſtra ſententia, veſtroque teſtimonio, vos ipſos redarguit. Non moleſte quippe, & moroſe, tantum Regem veſtrum in vos regnaviſſe recognoſcitis, ſed eum mille rebus Nerone, & Caligula, pejorem fuiſſe contenditis; id eſt, tyrannorum omnium tyrannum immaniſſimum. Non propter hanc tamen immanitatem, & ſcelera tyrannica,

vos eum neci dediſſe Salmaſius objecit, ſed ab hac perſuaſione doctrinæ parricidalis, qua eſtis imbuti, etiam ſi mille rebus meliorem habuiſſetis Regem, id eſt, qui Neroni, aut Caligulæ alicui non eſſet ſimilis, ut erat ille veſtro judicio, vos illum tamen ſolio, & vita, fuiſſe deturbaturos. I nunc, Miltone, & jacta iniquiorem fuiſſe, quam te, memoriæ Regis veſtri Salmaſium, qui eum ſuſceperat defendendum.. Scilicet hic tibi labor eſt, ea cura quietum ſollicitat, quam bene quis de Rege, cujus carnifices fuiſtis, ſentiat. Ad facti narrationem iam veniamus. *Torſerunt eum variis cructibus. Dic, quibus?* ait Miltonus. Jam dicam tibi. Annon putas, has cruces fuiſſe, cum mortis metus illi intentatus à militibus, niſi de carcere, ubi tunc detinebatur, haud longe ab urbe, exiret? Nonne crucis inſtar fuit, quod nocte intempeſta Rex ex illo carcere aufugit? & trajecto flumine in eorum manus devenit, qui eum in duriorem, & remotiorem ab urbe, & à conſpectu civium ſuorum, erant tradituri? Nonne crux fuit, quod ea ſpe excidit, quæ ei fuerat oſtentata, laxioris, & liberioris cuſtodiæ, poſtquam ſe vidit in arctiorem, & triſtiorem concludi? Nonne crucis inſtar fuit, quod blandæ pollicitationes, quibus ſubinde lactabatur, in fumum, & ventos protinus evaneſcebant, poſtquam erant datæ? Nonne totidem cruces exiſtimandum eſt illi fuiſſe fixas, quoties iniquæ, & injurioſæ propoſitiones ad ipſum deferebantur, modo ex parte militum, modo ex parte civium rebellium, quibus majeſtatem ſuam minui, & jura regni labefactari videbat? Nonne crux fuit, vel ipſo mortis ſupplicio gravior, quod qui Rex erat, & qui ſolus majeſtatem habebat, majeſtatis accuſaretur ſub eo judice, qui majeſtatis ipſe damnari debuit, quod apud ſe reum agi paſſus eſſet Regem illum, cujus fuit ſubditus, & vaſallus, ut loquuntur? Plura prætermitto, quæ poſſem commemorare. Quid illud? an tacendum eſt? Nonne pro cruce illi magna fuit, quod pridie ejus diei, quo ad mortem ductus eſt, cum ſecreto frui vellet, ut totus orationi, & meditationi vacaret, ſe præparaturus ad ultimum, qui imminebat, exitum, non hanc illi libertatem dedit barbara militum ferocitas, à quibus aſſervabatur; qui ſubinde in cubiculum ejus irrumpentes, interpellabant, dicteriis, & ſarcaſmis ſacræ majeſtati illudentes? Nec ipſa tali in tempore defuit ſancta Anabaptiſtarũ natio, quæ cavillis, & quæſtionum frivolarum importunis propoſitionibus, rebus aliis intentum avertere conabatur, & ludificari. Cuſtodiarum ipſa frequens mutatio nunc de laxiore in anguſtiorem, modo de arctiore in liberiorẽ; nonne tormenta, & cruces ejus auxit? *Cuſtodiis*, inquit Salmaſius, *ſæpe mutatis.* Addis ipſe, *ne ipſa mutarent fidem.* Itane vero? Mentiri tam audacter potes, homo impudentiſſime, cum neſcire non poſſis, cauſam hanc non fuiſſe mutandarum Regi cuſtodiarum? Nunquamne veritati litabis, ne ſemel quidem?

Hæc.

Hæcine ratio fuit, cur ab Holmbienſi carcere in Vectim inſulam traductus eſt. Annon ſatis fidelem credebat ſibi tribunum Huntingtonum, cujus eum fidei ibi commiſerat Cromwellius? Quis ignorat Cromwellium ipſum, ſumma perfidia uſum, perſuaſiſſe Regi, ut ſe ab illa cuſtodia in Vectim inſulam deduci pateretur, quaſi ſecurius ibi poſſet eſſe, propter milites, qui vitæ ejus inſidias ſtruebant, ut ipſe affirmabat. Revera autem nolebat aſſervari in tam propinquo urbis loco, ne non de illo libere ſtatuere poſſet, quod jam dudum decreverat. Ideo longius ab oculis, & conſpectu civium, voluit eum relegari. Quid in inſula Vecti cum fuit? Anne minus ſibi fidus eſſet Regis cuſtodiæ præfectus, Tribunus Hammond, metuere viſus eſt? An hæc cuſtodia ob eam cauſam mutata, cum milites inde in caſtra eum tranſire coëgerunt, quibus imperabat Cromwellius? cum in inſulam ex caſtris reductus eſt? Utrum inſcio, an conſcio Cromwellio, id factum? Quid poſtea? cum ex Vecti inſula manu militum raptus, & per vim tractus, in caſtellum illi inſulę oppoſitum, nomine *Hunſton*, mari circumcinctum? An quiſquam alius præter Cromwellium id fieri mandavit? An hæc cuſtodia illi mutata, ne ipſa mutaret fidem? poſt hanc, nullam aliam paſſus eſt, ſed inde ad judicium recta tranſlatus, à judicio ad ſupplicium productus eſt. Verba Salmaſii ſunt; *Libertatis interdum ſpe oſtenſa, interdum & reſtitutionis per pactionem.* Et hoc inter cruces, & tormenta Regis numerandum, ſpes ſalutis ſæpius oſtenſa, ſæpius erepta. Inde colligi debere ait Miltonus, de hoc ſcelere admittendo non antea cogitaſſe perduelles. *Vide,* inquit, *quam non antea meditatum nobis fuerit ſcelus, quam non tempora, & modos captavimus Regis abdicandi.* Immo vide ipſe, quam ſtulta argumentatione id nobis probare contendas, cum meditatio criminis non bene aliter videretur proceſſura, quam his technis, & dolis promota. Credisne nobis perſuaderi poſſe, cum ſpem aliquam ſalutis, & reſtitutionis Regi facerent perduelles, ſerio, & bona fide id egiſſe, & non falſo, & ſimulate? Fallacia fuit, ut hac arte ad metam ſibi deſtinatam pervenirent. Nec enim tam parvi molimenti hæc res fuit Regem regno pellere, & vita per ſupplicium privare, quin calliditate magna, & ſimulatione tractanda fuerit, in tanta præſertim animorum, ſtudiorumque pro Rege, & contra Regem, diverſitate. Cum aliud vellet exercitus, aliud populus; cum à Parlamento milites diſſentirent; cum ipſius Parlamenti domus ſuperior ab inferiore ſententiis diſſideret; cum in ipſa domo inferiore non unum idemque omnes ſentirent; cum Scoti in alia opinione eſſent; cum denique tot machinæ eſſent movendæ, tam multa agenda, partim vi, partim dolo; quam ſæpe facti auctoribus velificatio fuit mutanda priusquam in eo ſtatu negotiū ſe locare poſſe conſiderent, ut optatum ſuis votis finem conſequerentur. Ut in

mari, qui phaſelum gubernat, agitatum ventis contrariis, ſæpe verſoriam capere cogitur, ut curſum teneat, & navem in portum deſideratum deducat. At tu ridiculus heic es, Miltone, et ubique, cum ex eo, quod libertatis interdum Regi ſpes ſit oſtenſa à rebellibus, interdum & reſtitutionis per pactionem, non meditatos eſſe id ſcelus inferre vis. Sed quis, vel Miltono cæcior, non videt hac arte eos Regem tractaſſe, ut modos, & tempora captarent ejus abdicandi, immo & necandi? Quæ ſubjicis, ut non ſunt veriora, ita veriſſima eſſe, quæ diximus, evincunt. *Quas res*, inquit, *ab eo tum propemodum victore ante poſtulavimus, quæ niſi concederentur, nulla ſalus populo ſperanda erat, eaſdem à captivo ſuppliciter, haud ſemel, immo ter, & amplius, petivimus, toties repulſam accepimus.* Quæram à te primum, bone parricidarum patrone, iſta, quæ dicis, vos à Rege petiiſſe, ut concederet, & quibus non conceſſis, populus de ſalute ſua deſperare debuit, qualia fuere? An ea Rex per uſurpationem ſibi primus arrogaverat, cum prædeceſſores ejus Reges illa non habuiſſent? Si nihil tunc habuit Rex Carolus, quod penès priores Angliæ Reges non fuerit, unde hæc vobis rerum novandarum libido, ut ea vobis concedi poſtularetis, quæ à nullo unquam eorum, qui antea in Anglia regnarunt, conceſſa Parlamento fuiſſe, poteſtis docere? Quomodo igitur ſalus populi ſub regibus anterioribus potuit conſtare, cum dicas, abſque horum conceſſione, nullam eſſe populo ſperandam? Eo autem ipſo, quod à Rege illa vobis concedi rogaſtis, ab illo potuiſſe vel dari, vel negari, fidem feciſtis, ut qui eorum Dominus eſſet, atque arbiter ſummus. Parlamentum, ut triennale eſſet primo, deinde ut perpetuum, quis ante Carolum Regum vobis conceſſit? Hoc non contenti, ut militia in veſtra eſſet poteſtate à Rege contendiſtis? An hoc Rex, ſi Rex eſſe deinceps vellet, & jus ſuum tueri, potuit vobis indulgere? Hinc illæ tamen lacrymæ. Hinc tyrannidem Rex arripere viſus eſt; quia, ne vos eam arriperetis, prohibere voluit. Hæc prima mali labes. Hæc belli cauſa, quod primi in Regem moviſtis. Quo in bello cum ille ſuccubuiſſet, ad alia poſtulata iniquiora ei proponenda exinde proceſſerunt rebelles: quibus ſi Rex annuiſſet, nihil aliud illi reſtabat, niſi ut, omnia auctoritate Regia exutus, aliquo exulatū iret. Nihil enim, his conceſſis, ipſi reliquum erat, niſi ut regno ſponte ſe abdicaret, & Regiam omnem poteſtatem, quam à majoribus ſuis accepiſſet, in Parlamentum totam conferret. Sub ea autem conditione, miſero Regi ſimul, & miſerabili, poſtulata illa propoſita ſunt à rebellium conciliabulo, vel potius ab ipſo Cromwellio; ut ſi largiri ea recuſaret, imperio exire deberet, & ſuas ſibi res habere. Quatuor hæc fuere; *Ut Rex omni poteſtate Militiæ cederet in poſterum; Ut edicta omnia contra Parlamentum edita reſcinderet; Ut omnes dignitates, quas cuiquam ſuorum contuliſſet*

tuliſſet poſt diſceſſum ſuum à Senatu, iis auferrentur, quibus erant data; Ut, non expectata Regis auctoritate, Parlamentum quotiéſcunque vellet, & ubi vellet, conveniendi licentiam haberet, nec diſſolvendi ejus penès Regem poteſtas eſſet. Hæc ſunt, quæ Advocatus parricidarum dicit, à Rege ſæpius fuiſſe poſtulata, &, quibus non conceſſis, nullam populo ſalutem ſperandam eſſè confirmat; ſed nec ipſum ad ſanitatem reduci poſſe cuiquam licuiſſe ſibi promittere. Et notandum, has conditiones ad Regem, cum primum in inſulam Vectim deportatus eſſet, à Parlamento delatas fuiſſe, quibus ante omnia neceſſe foret eum ſubſcribere prius, quam ullum colloquium inter ipſum & Parlamentum de pacificatione eſſet inſtituendum. Poſtquam ad has propoſitiones, tam duras, & tam non ferendas, quibus vivus, videnſq; regno à ſuis ſubjectis ſpoliabatur, Rex quod viſum eſſet, & quæ majeſtati Regiæ convenire viderentur, reſpondiſſet, ſuper ejus reſponſo deliberari cœptum eſt in Domo Communium. Variæ de Regis capite ſententiæ dictæ ſunt à variis. Inter alios pro ſententia dixit quidam Thomas Wrothius, Regem captivum includendum eſſè in aliqua arce mediterranea, conſcribi oportere articulos ad eum accuſandum, & in judicio capitis arceſſendum. Abjiciendum eum eſſè penitus, & rem ſummam ſine illo conſtituendam. Tum Iretonus, nequiſſimus mortalium, idemque gener digniſſimus peſſimo omnium hominum ſocero, & quem longiore Deus frui noluit tyrannide ſoceri & ſua, tunc legatus exercitûs, quaſi nomine militum, in eandem pene diſceſſit ſententiam; cauſa addita, Quoniam Rex denegaſſet incolumitatem, & protectionem populo ſuo, non acceptas faciendo quatuor ſupra dictas propoſitiones, ideo poſſe & illi obſequium denegari, & ſummam rem ſine illo adminiſtrari. Hoc erat plane Regem ſolio dejicere, & ab illis Iretoni verbis, quæ pro ſententia tunc dixit, mutuatus eſt Miltonus, quæ heic poſuit, ſalutem, & incolumitatem populi fruſtra fuiſſe populo ſperandam, quod repulſam paſſus eſſet à Rege de quatuor illis poſtulatis. Cum ſuper his autem tum in Domo Communium longius traheretur diſceptatio; accurrit anhelans Cromwellius, gladio cinctus, &, eo curante, factum illud Senatusconſultum nobile, ut heic vocatur à parricidarum defenſore, *Ut nihil in poſterum de ulla re ad Regem referretur, nihil eſſet amplius cum ipſo commercii, aut negotii, miſcendum nomine utriuſque Domûs, nullus ab eo nuntius, nulla littera recipienda; qui contra feciſſet, proditionis pœna eſſet.* Hoc Decreto nemo eſt, qui non videat, Regem jam tum abjectum fuiſſe, & abdicatum, cui, poſt regnum ablatum, nihil ſupereſſet eripiendum, præter vitam. Tunc ergo ſancitum eſt; *Ut neque deinceps,* ſicut loquitur parricidii defenſor, *ad Regem poſtulata mitterentur, non ex quo is tyrannus eſſe, ſed ex quo inſanabilis eſſe cœpit.* Examinemus hæc tua verba, Lavernæ

Advocate,

Advocate, & quem ſenſum habeant, conſideremus. Quamdiu Rex tyrannus revera fuit, ad eum poſtulata ſua mittere, & cum eo amice conferre, dignati ſunt rebellis Parlamenti homines. Quid petebant iſtis poſtulatis? An, ut animum tyranni deponeret, & factis tyrannicis abſtineret, & eam poteſtatem repudiaret, quam contra fas, contra jus, contra leges regni uſurparat? Hoc ſane videntur voluiſſe, ſaltem debuiſſe velle. Petita autem ipſa qualia? An, quibus conceſſis, Rex iterum legitimus eſſe inciperet, & tyrannus videri deſineret? Jam vidimus, ante, ea fuiſſe; Ut militiam in poſterum dimitteret, eamque abſq; conſenſu ejus Parlamentum ordinaret; ut exercitus conſcriberet, & alia eo pertinentia sūma poteſtate adminiſtraret; ut Parlamenti convocandi, diſſolvendi, jus, & poteſtatē Rex non amplius haberet, ſed penès ipſum Parlamentum maneret. Reliqua duo ſupra poſita ſunt. In hujus autem ſecundi poſtulati conceſſione omnis Regia auctoritas labefactata, & everſa facile intelligebatur. Quid non poſtea ad cæteras partes majeſtatis imminuendas, & ſubruendas feciſſent, hanc auctoritatem ſemel adepti, ut quocumque tempore, & loco, libitum ipſis fuiſſet, abſq; Regis conſenſu convenirent? Aut igitur hæc privilegia antiqui Reges Angliæ habuere, aut non habuere. Si his caruerunt, quomodo, & quando, aut quare, ea permiſit uſurpari ab hoc Rege Parlamentū hodiernum? Sin vero eo jure omnes, qui in Anglia regnarunt, gaviſi ſunt: aut omnes tyrannos fuiſſe dicendum eſt, aut, ſi tyranni non fuere, cum hæc jura ſemper, & privilegia Regiæ majeſtati fuerint adnexa, ex quo Regio dominatu Anglia fuit gubernata, neque igitur Carolus pro tyranno habendus, qui ea retinere contendit. Quinimmo tyranni illi exiſtimandi, qui hæc ab illo extorquere conati ſunt, ſine quibus Rex eſſe non poterat. Tuam fidem, Miltone, quamvis ſciam eam male ambulare! ſi Rex illa conceſſiſſet, quæ ab ipſo petebantur; annon amplius tyrannus eſſet, & ſalus populo, & incolumitas reddita per eum fuiſſet? Aliudne poſſis dicere? Quis ergo fuiſſet? Certe ne Rex quidem, tantum abeſt ut tyrannus. Tum ſane non *Parlamentum Regis* dicendum fuiſſet, ut ſemper in omnibus Actis, & Statutis Parlamentariis, appellatum eſt; ſed *Rex Parlamenti*, vel *ſub Parlamento*. Nam ne tali quidem, tantaque poteſtate, & auctoritate præditus fuiſſet; ut quilibet eorum, qui pars erant Parlamenti. Inter alios ſubjectos, quaſi ſubjectorum unus, & quidem viliſſimus vixiſſet. Talem Regem habere nempe optaviſtis, hoc eſt, nullum. Et hæc ūnica vobis cauſa fuit eum de medio tollendi; quia ad hoc exemplum nullus hodie Rex extat, neque unquam extitit, qualem eum vobis defingere ſtatueratis, ſine jure, ſine auctoritate, ſine poteſtate, ſine dignitate, ſine honore, ſine prærogativa ulla, ſuis ſubditis obnoxium, omnium ſervum, Parlamenti ſui miniſtrum. *Sed ex quo*, inquit, *inſanabilis eſſe cœpit.*

Miror

Miror tam bonos Medicos non potuiſſe illũ ſanare. Remedium tandem tamen excogitarunt optimũ, quo ad ſanitatem reverti poſſet, dempto per carnificem capite. Tali certe ſanguinis miſſione, nullus eſt morbus tam deſperatus, quin curari queat. Cæterum inſanus fuiſſet Rex optimus, ſi non inſanabilis extitiſſet, eo quo intelligis modo. Inſanabilis, te judice, fuit; quia in incepto, perſtitit, non annuendi poſtulatis ejusmodi, quæ conceſſa regno vivum ac videntẽ privaſſent. *Poſtea tamen*, inquis, *quidam ex Senatorum numero nova ſibi conſilia capientes, & idoneum tempus nacti, conditiones iterum Regi ferendas decreverunt, pari ſane ſcelere, ac dementia; ac Romanus olim Senatus, reclamante Marco Tullio, & cum eo bonis omnibus, legatos decrevit ad Antonium.* O ſceleſte, omne tibi bonum, & laudabile factum pro ſcelere eſt; & atrociſſima quæque, ac teterrima flagitia, pro facinoribus præclaris, & egregiis, laudas. Quid in illo facto Ciceronis, & Senatûs, illo in tempore Romani, cum hoc veſtri Parlamenti comparandum; tibi videtur, de legatis ad Antoniũ, & Carolũ miſſis? Quid ſimile habent Antonius, & Carolus? Ille hoſtis reipublicæ à Senatu tũ judicatus, qui in armis erat contra Rempublicam, qui obſidebat Mutinæ conſulem deſignatum pro partibus Reipublicæ ſtantem. Rex vero Carolus, nondum hoſtis declaratus, captivus, & in poteſtatem ſuorum civium rebelliũ, qui arma infelicia ſumpſerat ad defendendam ſuam auctoritatẽ, & populi libertatem. Senatus Romanus, ut Dominus, mittebat ad civem ſuum rebellẽ legatos. Heic, cives rebelles ad legitimũ ſuum Dominum, Regemque, legationẽ decrevere. Antonius iniquiſſimas de pace conditiones Dominis ſuis ferebat. Heic, è contrario, Regi ſuo improba poſtulata ſubditi offerebant. Eventus etiam diſpar. Antonius legatos Senatûs non admiſit, non audivit, non reſpondit. Rex legatos populi ſui comiter excepit, benigne reſpondit, juſtas pacificandæ ſeditionis, & concordiæ confirmandæ æquiſſimas conditiones ad eos remiſit. Ut omnes autem intelligant, quantus ſis impoſtor, & ſycophanta, conſcius ipſi tibi eſſe potes, quã parum ſincerus ſis, & verus, in tota hac narratione detexenda. Qua enim fronte dicere audes, quosdam, ex Senatorum numero, conditiones iterum Rege ferendas conſtituiſſe? An te latere potuit, nunquam tam frequentem Senatum ad ullam rem deliberandam conveniſſe, quam tunc fuit, cum eam legationem conſtituit? Plusquã ducenti & ſexaginta in Domo Communium, tum congregati ſunt, præter eos, qui in Domo ſuperiore interfuere. *Tempus*, inquis, *idoneum nacti*. Sane cum exercitus longe abeſſet, una cum Cromwellio, duce ſuo. An tu neſcis, quando pædagogi abſunt, quomodo pueri laſciviant? Profecto tale Decretum facere non auſi eſſent, nec potuiſſent; ſi Cromwellius, cũ militibus ſuis, in propinquis urbis locis, vel in urbe adfuiſſet. Dicis, *pari ſcelere, ac dementia id egiſſe*, ut olim Senatus Romanus.

nus.

nus, cum legatos ad Antonium mittendos ſtatuit, *multum*, inquis, *reclamante Cicerone, & bonis omnibus*. Ergo ſceleratus, & demens fuit illius temporis Senatus. Atqui ille Senatus erat, qui rempublicam defendebat, qui pro libertate populi pugnabat. Qualis erat Antonius, qui arma contra rempublicam gerebat, ſi illi, qui pro populi libertate faciebant, dementes, ac ſceleroſi, tuo judicio, fuere? Cicero cum diſſuaderet miſſionem legatorum, non tamen dementes, ac ſceleſtos appellavit, qui contrariam ſententiam tuebantur. *Cicerone*, inquit, *multum reclamante, & bonis omnibus*. Ergo illi non boni, ſed ſceleris, & amentiæ arguendi, qui in alia erant opinione. Sed ut falſum eſt, quod ais de bonis omnibus, decernendæ legationi repugnantibus cum Cicerone, quin unus Cicero ei contradixit: ſic Miltonus æque ſe veridicum eſſe probat in hiſtoria antiqua referenda, ut in nova; in Romana, ut in Anglicana. Duas etiam legationes confundit, & unam ex duabus facit. Primo tres legati miſſi à Senatu, viri Conſulares, ad Antonium, qui ei denuntiarent; ne Brutum obſideret, & ut à Mutina diſcederet. Non paruit. Cicero ſolus ſententiæ de hac legatione mittenda reſtitit, ut ipſe clare docet, in Philippica XII; *Miſſi*, inquit, *legati, ſed tamen miſſi, repugnante me*. At cum iſtam Orationem habuit, quæ duodecima eſt Philippica, agebatur tum de nova legatione ad Antonium mittenda; cum rumor ad Senatum allatus eſſet, Antonium non eſſe alienum à pace facienda. Hanc quoque legationem de pace valde iſta Oratione diſſuaſit Cicero, cujus pars ipſe futurus erat principalis: allegato non ſolum viarum periculo; ſed etiam altero majore, quod ab inimico ſibi Antonio impendere dicebat. Idque clare oſtendit in fine hujus Orationis his verbis. *Hæc cum ita ſint, etſi hanc legationem reſpublica, ut leviſſime dicam, non deſiderat; tamen, ſi tuto licebit ire, proficiſcar*. Conſtituta jam erat hæc legatio, & Ciceroni mandata, Decreto Senatûs. Huic ſe oppoſuit ſolum, ut & illi priori. Nec tamen illi Senatores, qui utramque decreverant, ſceleris, & amentiæ damnandi, ut fecit nimis leviter, & nequiter, Miltonus; cum pro bono Reipublicæ, & ad pacem conciliandam inter cives id ſtatuiſſent; non malo utique animo, nec bonis infenſo. Sed hoc ideo facere inſtituit nequiſſimus bipedum, ut, in pari, ſicut putavit, cauſa, paris quoque amentiæ, & ſceleris inſimularet Senatum Anglicanum; quod legatos cenſuerit de pacificatione mittendos ad Regem Carolum. Nec hunc dicit Senatum fuiſſe; cum tamen frequens Senatus in utraque Domo id decreverit: ſed quoſdam de numero Senatorum. An plures fuere, dic mihi, qui, de ſumma re Anglicana, ſtatuerunt quæ vellent, quique Regem ſupplicio afficiendum pronuntiarunt? Quadraginta tantum numero fuiſſe conſtat; de fæce infima confidentium in Parlamento. Cum hoc, quod dico, de legatis

ad

ad Regem mittendis Decretum fecerint, plusquam ducenti de Domo inferiore; non computatis, qui Domum ſuperiorem tum componebant. *Pàri,* inquit, *etiam eventu, niſi Deo immortali aliter viſum fuiſſet, illos in ſervitutem tradere, nos in libertatem vindicare.* Quinam illi in ſervitutem traditi? Senatores omnes. A quibus? à Militibus. Qui ſunt illi, à quibus vos in libertatem vindicati eſtis? Milites ipſi, qui regnum invaſerunt, libertatem populi oppreſſerunt, ut ſuam tyrannidem adſtruerent, & paucorum aliorum, inter quos te numeras, quoniam & iſtius tyrannidis, ut aliquid deguſtares; tibi dederunt aliqua τρωγάλια, propter quæ iſtam eorum defendendam ſuſcepiſti. *Nam cum Rex,* verba tua ſunt, *nihilo plus, quam antea conceſsiſſet, quod ad firmam pacem, & compoſitionem revera ſpectaret, illi tamen ſatisfactum ſibi à Rege eſſe ſtatuunt.* Ubique ſimilis es, mendax, impoſtor, nebulo, & nequam. Iſta legatione paci tractandæ, quæ tunc ad Regem ex Senatûs Decreto miſſa eſt, plus ab illo poſtulatum fuit, quam antea petebatur, & Rex plus illis conceſſit, quam prius conceſſerat, & tam multa ſane ex illis, quæ ab eo tum petita ſunt, largitus eſt, ut ducenti ex Domo inferiore, ſolis ſexaginta repugnantibus, totaque Domo ſuperiore inſuper id comprobante; in hanc ſententiam diſceſſerint, videri Regem plene ſatisfeciſſe reſponſione ſua ad omnia, quę pertinerent ad pacem ſtabiliendam, & concordiam in regno firmandam. Inter alia poſtulata, quę addita ſunt ad illa quatuor priora, quibus in anteceſſum proluſerat prima rebellionis flamma, hęc fuerunt; (ut nihil ſcilicet Regi reliqui maneret, quo ſe probare poſſet, Regem tunc eſſe, aut aliquando fuiſſe,) *Ut jure Magiſtratuum creandorum ſe ſpoliari permitteret; Ut Hiberniæ adminiſtrationem dimitteret? Ut Sigillum novum, quod per rebellionem Parlamentum cudi juſſerat, Regio fracto, pro legitimo regni Sigillo deinceps haberetur; Ut curia Pupillorum aboleretur.* Hæc omnia, & alia quædam, cum Rex annuiſſet, & Senatus ipſe judicaſſet ab hac conceſſione nihil ultra requiri poſſe, quod ad pacem, & incolumitatem regni in ſolido locandam, pertinere videretur. Rex, inquam, omnibus privilegiis, & juribus ſpoliatus, quæ poterant ſola efficere, ut Regis dignitatem, & nomen tueretur, non potuit tamen obtinere, ne pro tyranno tandem ab his, qui revera tyranni erant ipſi, capitis damnaretur. Illi ergo ipſi milites, qui jam antea Parlamentum, vi, & armis, ſub jugum miſerant, hoc ultimo actu, quantam poteſtatem ſupra Parlamentum haberent, oſtenderunt; diſturbato colloquio de pacificatione inter Regem & Senatum, Decretoque reſciſſo, quod ſuper eo factum erat, omnium ferme unanimi conſenſu; paucis dumtaxat Independentibus in Senatu huic conſulto reclamantibus. *Hanc ſaniorem partem* veſanus appellat Miltonus,

&,

& dum ſe, inquit, *remque publicam prodi viderit, fidem fortiſſimi, & ſemper reipublica fidiſſimi, exercitûs implerat.* Sed dic nobis, Miltone, quid illa pars ſanior amplius à Rege flagitabat, cum ille omnia fere jura regalia, quibus omnes antiqui Angliæ Reges, ſine controverſia uſi ſunt, omnia privilegia, omnes prærogativas ſponte abjeciſſet, & in Senatum contuliſſet; quid, inquam, ultra hæc, cum nihil jam Regis retineret, præter nomen, ab illo poſcebat? Quid ille exercitus fortiſſimus, & fideliſſimus, à Rege ſuo plus potuit deſiderare? Nonne ille ipſe exercitus paulo ante, cum Rex in poteſtate eſſet Parlamenti, conditiones illas, quæ ipſi proponebantur à Parlamentariis, duras, injuſtas, iniquas, nec ferendas eſſe judicavit, & ſe procuraturum promiſit, ut æquiores, mitioresque, deinceps ferrentur. Quis tam cito mutavit hos fortiſſimos viros, & reipublicæ amantiſſimos? Nunc Rex ad illa omnia duriſſima, & Regem Rege exuentia, poſtulata, benigne reſpondit, omnia, quæ potuit, & plura quam debuit, indulſit, & tamen aliquid adhuc majus ab eo expetunt? Quid illud? Ecquid aliud præter vitam? Non enim obſcure hoc ipſum illo in tempore efflagitarunt. Paulo poſt longe clarius ſe aperuerunt, nihil ſe petere, niſi hoc. Quippe cum aliud eſſet nihil, quod jam poſſet illis Rex elargiri. Sic poſtquam Regem, ſuamet ipſum conceſſione, & abdicatione, regno exuerunt; ſatis hoc non habuerunt, niſi etiam vita exire cogerent. Nec hoc etiam illis ſatis viſum eſt, niſi per carnificem eam poneret. Et, quod eſt omnium teterrimum, quem Regem eſſe pati non potuerunt, quo tempore ne Rex quidem potuit eſſe, ut tyrannus eſſet, efficere voluerunt, & pro tyranno morti infami adjudicarunt. Audiamus heic verba ſcelerata perfidi, & perditi latronis. *In quo mihi quidem hoc ſolum occurrit, quod nolim dicere, noſtras legiones rectius ſenſiſſe, quam Patres Conſcriptos.* En legiones! En Patres Conſcriptos! En Ciceronem ipſum redivivum! Acutum ſane, & doctum habemus heic Oratorem, qui dicit quod ait ſe nolle dicere. Hæc nova ſcilicet ars eſt Rhetoricæ. Utri ſane rectius ſenſerint, aut pejus, non dicam, Patres iſti Conſcripti, an legiones. Sed illud ſentio, me poſſe vere dicere, cum ſint latrones utrique, & parricidæ nefarii, legionarios iſtos ſicarios, qui plus quam Patres Conſcripti potuere, in eo quoque latrocinio, & parricidio, longe maximam habuiſſe partẽ videri. Sed egregios profecto Patres Conſcriptos memoras, quos gregarii milites ſapientia, & prudentia, tantũ anteceſſere. Mira omnino narras, ut caligæ militares, quibus inſita ferocia, & ſtoliditas, pro bona mente eſt, & conſilio, quique jura negant ſibi nata, nihilq; non armis tribuunt, melius vidiſſe quid æquum, & juſtum eſſet, quid utile regno, & reipublicæ, quam reverendi illi, quos vocas, Conſcripti Patres, qui ſe ita circumſcribi paſſi ſunt ab hominibus, æqui boniq; inſcitia laboranti-

bus,

bus, & fidei, pietatis, & religionis juxta expertibus. Mirari tamen hæc deſino, cum video te dicere, iſtos Senatores regni eximios, furore, & ſcelere, impulſos fuiſſe ad hoc facinus, ut judicarent, Regem ſatisfeciſſe ſubditis, & cum eo de concordia inter Patres ſancienda pacificatoria colloquia haberi poſſe, & debere. Cæterum facile poſſum induci, ut credam, caligatos illos, & ſagatos latrones, ut potentia ſuperiores evaſerunt Patribus Conſcriptis, ita etiam ſcelere, & amentia, eoſdem ſuperaſſe. Hæc mea ſententia eſt, Miltone: quæ tua ſit, non requiro; quem etiam iſtis omnibus, & militibus, & Senatoribus rebellibus, amentiorem, & ſceleratiorem eſſe vere mihi perſuadeo. Interim fac in memoriam habeas, ut ne poſtea te oblitum eſſe dicas, quæ heic diſerte affirmaſti, exercitum ea omnia feciſſe, quæ contra Regem facta ſunt, tractatum cum eo de pace impediſſe, Regem ad pœnam expetiſſe, ad judicium adduxiſſe, ad ſupplicium perduxiſſe, & obtruncaſſe. Nec eſt, quod poſtea contendas eum à populo, aut à Senatu necatum: ſoli milites, cum duce ſuo ſanctiſſimo, ipſi quoque ſanctiſſimi, hoc ſcelus ediderunt, & tu ipſe heic fateris. Noli poſtea mutare. Scripſerat Salmaſius, cum indignatione, eo modo nullum Regem ſupplicio fuiſſe affectum, non modum à ſupplicio ipſe ſeparans; ſed ad hunc modum, & ad hoc exemplum, nullum unquam Regem capitis ſupplicium paſſum eſſe complorans. Ineptulus Miltonus argutatur, modum cum modo à Salmaſio conferri, factum cum facto quod conferat, non habere. Scripſit ille quidem nullum unquam Regum omnino ſupplicio capitis fuiſſe adjudicatum; ſed, quia nonnulli non hoc concedunt, & tu ipſe, Miltone, ſupra dixiſti, Mariam, ejus aviam, ſimiliter à Reformatis ſupplicio capitis fuiſſe affectam, recte Salmaſius heic ponere potuit, tametſi hoc concederetur, alios Reges aliquando ſic fuiſſe capitis damnatos, nullum tamen eo modo fuiſſe, quo Carolus Rex pœnam capitis ſubiit. Tune fatuus, an Salmaſius? Judicium eſto non fatuorum. In hoc cenſu, & numero fatuorũ reponendi ſane ſunt, ſi qui erunt, quibus fidem facere poſſis; cum ais, Salmaſium ſententiam de Rege tuliſſe eamdem, quæ à vobis lata eſt, atque etiam ſeveriorem, & cum perduellibus permutaſſe, his verbis, *ſupplicium capitis paſſus eſt, ut latro, ut ſicarius, ut parricida, ut proditor, ut tyrannus.* Indignatur Salmaſius, & quiritatur, Regem optimum ſupplicio, quod ſicariis debetur, latronibus, parricidis, proditoribus, & tyrannis fuiſſe punitum, & ridicule Miltonus exclamat, *non eſſe Regem defendere, ſed ſententiam de eo ferre, qualem tulerunt parricidæ.* Si ſenſu communi valeres, heic tibi reſponderem; ſed tam miſere fatuus es, ut me tui miſereat. Dolet pro latrone, & ſicario proditum carnifici, qui nihil minus fuerit, quã latro, & ſicarius, à veris latronibus, & parricidis. In proxime ſequẽtibus nihilo es melior,

ſed

ſed ea verba funditas, quæ nemo intelligit. Scripſit Salmaſius, *perſonatos carnifices Regi caput amputaſſe.* Quid ad hæc Miltonus? Cum negare non poſſet, ad ſolitas ſibi alogias recurrit. *Quid,* inquit, *hoc homine facias? Queſtus eſt ſupra de parricidio in perſona Regis admiſſo, nunc in perſona carnificis admiſſum queritur.* Si tibi bene vellem, à Deo precarer, ut mentem tuam immutaret. Nunc vive cum iſta, quam habes, & qua tu mihi riſum ſæpe moves. Quia carnifices perſonati caput Regis amputarunt, hoc idem eſſe vis, quaſi parricidium eſſet in perſona carnificis admiſſum? Hæc tua imperitia eſt, quì Latine perſonam dici non putes, niſi de larva. Hoc jam ſupra exagitatum eſt. Tametſi hoc tibi daretur, *in perſona carnificis Regi caput amputatum,* idemne eſſet, quod à perſonato carnifice amputatum? Dixiſſet hoc ſenſu aliquis bene ſanus, *carnificem ſub perſona Regi caput recidiſſe.* Multa deinde Salmaſius ſingularia recenſuit, quæ, poſt ſupplicium de Rege ſumptum, in cadaver ejus per ludibrium contumelioſa edita fuere, quibus inexſaturabile odium ſuum in Regem, jam nihil ſuperis debentem, & crudelitatem inauditam, teſtati ſunt perditi parricidæ. Ea omnia frivola eſſe Miltonus dicit. Nec ſane miror. Nam cui ludus jocusque fuit Regii capitis amputatio, contumelias ipſius cadaveri factas pro nihilo putare debuit. Quaſi vero hæc minuta, quæ frivola vocat, & frigide dici ait, non melius ſævitiam, & barbariem perfidorum hominum prodant, probentque, quam ille ſummus Tragœdiæ actus. Et confirmare tamen audet inſanus veſanientium latronum patronus, ſedato animo, & excelſo, hæc ſcelera ab illis fuiſſe peracta, & ſine ullo affectu. Multa ab aliis, qui tragicam illam hiſtoriam litteris mandarunt, relata ſunt, quæ Salmaſius ignoravit, & ad rem adprime facere videntur, ut crudelitas & ferocia indomita earum belluarum melius noſcatur. Non enim contenti ſævitiam in vivum exercuiſſe, mortui etiam memoriam multis injuriis, & calumniis proſciderunt, cadaver ipſum mille ignominioſis modis tractarunt, cruore ejus manus abluerunt, baculos in ejus ſanguinem intinxerunt, truncum in particulas ſectum, & laceratum diviſerunt, arenam quin etiam, ſanie delibutam, & capillos etiam, à capite avulſos, vendiderunt. Hæc nega eſſe vera, ſi potes; aut frivola eſſe dic, ſi velis, & puſillitatem animi clamita ejus, qui hæc vobis exprobravit. An *magnitatem animi*, ut tecum loquar, hæc eorum oſtendunt, qui fecere? Vivo etiam adhuc, & viventi, quot, & quibus modis, ludos fecerunt milites illi, Patribus Conſcriptis ſaniores, & ſanctiores, quando in judicium adductus eſt ad curiam illam ſupremæ injuſtitiæ; cum alii ſputis veſtimenta ejus conſpurcarent, alii fragmina fictilium fiſtularum, quibus Tabacum hauriebant, in caput projicerent, alii ad pedes tranſeunti abjicerent? Quidam etiam auſus eſt in fa-

ciem

cium illius infamem ſalivam, ore expreſſam impuro, conjicere; qui hoc nomine laudatus eſt à tribuno quodam militum, qui inter judices ſedebat. Proditum eſt à fide dignis, prius, quam Rex ad ſupplicium duceretur, tractatum in illo conſilio militari fuiſſe, quo genere ſupplicii maxime atroci, & ignominioſo deberet affici, & an, ad ſimplicem capitis à collo ſeparationem, cruciatus inauditos aliquos, & ignominias non vulgares, adjici oporteret; tandem mitiorem ſententiam inter minus inſanos, magisque miſericordes, ut ſunt latrones alii aliis clementiores, prævaluiſſe, quæ ſufficere credidit, ſi nihil præter ſecurim decerneretur. Ultimum acceſſit, ad cæteras injurias vivo & mortuo illatas, hic contumeliæ cumulus; quod corpus ejus exiguo, & humili, tumulo conditum eſt; cum Doriſlai, & Iretoni, cadavera Regum Angliæ monumentis illata fuerint. De quo quidam hoc Diſtichum fecit;

Ireto regali tumulo jacet, & Dorilaus,
Rex Carlus nullo: Credimus eſse Deos?

Si parem iſti ſanctiſſimi virorum in animam Regis poteſtatem habuiſſent, ut in corpus habuerunt, æternis eam ſuppliciis addixiſſent, & Deum ſuæ ſententiæ ſubſcribere coegiſſent. Non defuere ſane, quantum in ipſis fuit, præjudicium Deo facere, & Carolum tamquam jam damnatum, & pœnas in morte æternas apud Inferos perſolventem, apud populum traducere. Ut ſceleſtus ille Coquus fecit in Provocatione ſua, & Hugo Petri in Concione, quam habuit poſt Regis mortem. Lepida eſt hiſtoria, & quæ heic inſeri meretur. Hugo ille Petri, quid hominis ſit, omnes ſciunt, ganeo, aleo, helluo, adulter; propheta tamen, & Apoſtolus Sanctorum iſtorum novorum: homo omnibus vitiis, & flagitiis, coopertus. Is, cum aliquando ad populum verba faceret, pulvino ſericeo in ſuggeſtu ante ſe poſito, inter concionandum repente caput ſuper illo pulvino deponere cœpit, quaſi obdormiſcere vellet. Sic cum aliquamdiu manſiſſet, derepente velut ex ſomno excitatus, ita dicere inſit, *Quid eſt, Hugo Petri? unde venis? Venio,* inquit ipſe ſibi reſpondens, *ex Inferis.* Quid ibi vidiſti? *Vidi animam ſceleratiſſimi illius Caroli Stuarti miſerabiliter cruciari variis tormentis, ab innumeris Dæmonibus, qui carnificinam horribilem in eam exercebant, circumſtipatam.* His dictis, iterum caput depoſuit, ut qui dormitaret, deinde, poſt paululum moræ expergitus, iterum hæc ad ſe verba habuit, & ſemet ipſe ſic alloquutus eſt. *Hugo Petri, unde, & quo? E cœlo,* inquit, *huc venio.* Quid ibi agitur? Quid inde nobis affers novi? An aliquem conveniſti in illis locis? *Ego conveni beatum illum Doriſlaum, qui in maximo ibi erat honore. Nam qui cum Angelis verſabatur, & de proximo faciem Dei contemplabatur. O quan-*

tam

tam ibi felicitatem deguſtabat! Nonne hæc, Miltone, ſuaviora dictu ſunt, & auditu, quam illa elegedia, quæ ad coronam in triviis cantari ſolita prædicas, cum oratore tuo luctificabili? Riſi multum, cum hæc in tua Defenſione legerem. Sed malas penè mihi ridendo diffutas ſenſi, cum in eodem loco obſervaſſem tibi tam inſulſum, & inſipidum viſum eſſe Salmaſium in illis contumeliis deplorandis, quibus cadaver Regis occiſi illuſerunt perfidi latrones, ut dixeris, *ne ex lacrymis quidem ejus micam ſalis exiguiſſimam poſſe exprimi*. Quid, Miltone? adeone tibi naturam, & artem, ſalis, & urbanitatis, ignoratam eſſe profiteris; ut ejus fontem in lacrymis poſitam crederes? Si ſenſus communis, quem nullum habes, non potuit tibi dictare, ad riſum potius movendum ſales eſſe comparatos, quam ad lacrymas eliciendas, ſaltem debebas Ciceronem tuum conſulere, in cujus Oratore hæc legere potuiſſes: *Materies omnium ridiculorum eſt in illis vitiis, quæ ſunt in vita hominum neque charorum, & neque calamitoſorum, neque eorum, qui ob facinus ad ſupplicium rapiendi videntur, eaque belle agitata videntur.* Certe *micam ſalis* cum dixit Catullus nullam reperiri in corpore illius puellæ, quam negat formoſam, per *ſalem* intellexit venuſtatem, leporem, & gratiam: *Nulla eſt in toto corpore mica ſalis.* At Miltonus heic ait, *Nullam, vel exiguiſſimam,* hæc ejus eſt Latinitas, ex lacrymis Salmaſii *micam ſalis* poſſe exprimi. Quaſi ſcilicet ſali, & urbanitati locus ſit in materia lacrymarum. Si hoc non voluit, quid voluit? Fortaſſean, ut ineptus eſt, quia lacrymæ ſalſæ ſunt, inſipidas vult eſſe, & inſulſas eas, quas à Salmaſio effuſas heic dicit? Eodem tamen res recidit. Nam inſipidum, & inſulſum eſſe vocat; quia lacrymis ſi forte non ſalſis, ut alii ſolent, ploravit hunc Regis caſum, ſed inſipidis. Si hoc ſine metaphora accipitur, quomodo vis, ô fatue, ex re liquida exprimi micam ſalis, id eſt, rem aridam, & ſiccam? Sal etiam liqueſcit, & aqueſcit, ſed in aquam ſoluti mica amplius dici non poteſt. Non novi certe, qui ſit te inſulſior, & inſipientior. Sic *ſalem liquentem* pro lacrymis dixiſti in quodam Poëmate; quia ſalſæ ſunt lacrymæ. Ita & ſudor ſalſus, ſal etiam liquidus Miltono diceretur; ne de urinis dicam. Tam ſtulta ſunt hæc, & fatua, ut magno pudore afficiar, quod in hanc arenam deſcendere cum tantarum ineptiarum & inficetiarum homine coactus ſum. Nolles autem heic idem Regem defunctum, Religionis protectorem, laudari? Quem igitur velles potius hoc elogio donari? An Cromwellium? Quis illo irreligioſior? An exercitum illum fortiſſimum, & fidiſſimum, Regi ſuo ſcilicet, & Reipublicæ? An tu neſcis, ut

Nulla fides, pietaſque, viris, qui caſtra ſequuntur;

ita nullam in his eſſe religionem? Jam teneo quos velis protectores eſſe religionis, nempe ſanctos illos, pioſque, Patres Con-

ſcriptos,

ſcriptos, qui omnia religionum portenta in regno recipiunt, dantque omnibus libertatem ſuarum impietatum exercendarum. Sunto igitur hi, per me licet, non religionis protectores, ſed religionum, aut, ſi in ſingulari numero mavis, *irreligionis*. Sed cur ringeris, cum Carolus ille protector religionis appellatur? *Quia*, inquis, *Eccleſiæ bellum intulit*. Cui Eccleſiæ? Num Anglicanæ? Num illi, quæ ſub Elizabetha, & Jacobo, patre ejus floruit? Num illi, cujus ſtatum, qualem adveniens ad imperium deprehendit, talem etiam conſervare quamdiu regnavit, ſumma ope adniſus eſt? Si cui Eccleſiæ bellum inferre voluit, nam certe nulli intulit, Independentium hæc fuerit Eccleſia. Quam utinam etiam funditus exterminaſſet! Sed non tam felix fuit. *Ut Epiſcopos, Religionis hoſtes, & tyrannos, in Eccleſia retineret.* Certe omnia fecit, ut poſſet retinere. Utinam retinuiſſet! Sic revera protector religionis, jure meritiſſimo, audiviſſet. Non enim tot excetræ impurarum, & impiarum religionum Angliam hodie perſultarent, ac peſſumdarent. Sed qua in re religionis hoſtes Epiſcopi fuere? An aliquam doctrinam parum Orthodoxam tenuere? Non poſſis hoc dicere, quamvis ab Heterodoxia non alienus, utpote divæ Independentiæ ſacris initiatus, & primarius ejus antiſtes. *Puritatem Religionis conſervare non potuit ab impuriſſimis Epiſcoporum traditionibus, & cærimoniis, ipſe ſub jugum miſſus.* Nihil aliud illis objectas præter cæremonias, & traditiones. De cæremoniis res nota eſt. Quales illæ impuriſſimæ traditiones fuerint, debuiſti nos docere. Faſtum, & ſuperbiam, & majorem, quam par eſſet, in Eccleſiam auctoritatem, & poteſtatem in illis reprehendi accepi. Cui rei in proclivi fuit mederi. Sed in fide eos erraſſe; falſas, aut impias, doctrinas prædicaſſe, nunquam audivi. An cæremoniæ vitiant religionem, aut fundamenta ejus evertunt? Nemo dixerit. *Sectarum*, inquis, *quibus ſacrileges ſuos cætus tenendi licentiam vis dari, quam ipſa Hollandia non dat, errores velim enumeres.* Hoc alii jam præſtiterunt, nec actum agere opus eſt. Errorum, vel erroneorum dogmatum, monſtra, quæ diverſæ apud Anglos hæreſeon ſectæ pro totidem articulis fidei defendunt, jam recenſuit Thomas Edoardus, Londinenſium Paſtor, & ſummam ex his collegit, ad centum, & octoginta. Poſt eum, ſed ex eo Honorius Reggius, eorum catalogum Latine contexuit, homo Germanus. In eadem Sparta ornanda elaboravit Balthazar Lydius, Paſtor Eccléſiæ Dordracenæ, qui Belgice ſcripſit. Et multa etiam de his Salmaſius poſuit Defenſionis capite decimo. Quod autem, exemplo Hollandiæ, defendere contendis illam licentiam, quæ datur in Anglia, etiam Chriſtum, & Scripturas abnegantibus ſectis, & Eccleſiam nullibi terrarum extare affirmantibus, & eam quærentibus, quæ nuſquam ſit, fruſtra es. Nullus eſt in Hollandia locus, ubi mulieribus concio-

nes Eccleſiaſticas habere, docere, diſputare de fide, & Sacramenta adminiſtrare liberum ſit, ac licitum. At hoc licet mulieribus, pediſſequis,& militibus, vel in media urbe Londini, quæ eſt regni metropolis. Cromwellius ipſe, ſummus Imperator, ſummus eſt etiam verbi divini præco, & ſæpe concionatus eſt. Fama eſt,& ejus uxorem idem ſæpe factitaſſe.Nullus apud Hollandos cum venia equos ſuos baptizat.Et hoc in Anglia factum conſtat. Nemo in Hollandia ferret, feles, habitu infantium indutos, & faſciis involutos, aqua ſacra tingi,ad deridendum Orthodoxorum Pædobaptiſmum. Apud Anglos Anabaptiſtæ id ſæpe fecerunt. In Hollandia publica templa ſolis Orthodoxis patent, ſolæ ab his cathedræ ad prædicandum conſcenduntur. Nullis ad quamcunque profeſſionem publicam in Academiis aditus datur, niſi Reformatam religionem profitentibus. Ad Magiſtratum in urbibus ſoli Orthodoxi admittuntur.In Anglia, contra, paſſim ad regimen publicum accedere fas eſt Hæreticis, & ſectariis. Iidem quotidie ſuggeſtus in Eccleſia ad concionandum invadunt, extruſis inde, & expulſis Orthodoxorum Paſtoribus, idque faciunt,connivente, atque etiam applaudente Magiſtratu. Vides igitur, Miltone, quantum ſit, quoad hoc, inter Anglos tuos, & noſtros Hollandos diſcrimen. Verba in Defenſione Regia hæc ſunt ; *Non poterant gravius lædere Rempublicam, quam ejus Dominum tollendo*. Inde in maledicta ruit Miltonus contra Salmaſium; *Diſce,verna,diſce,maſtigia; niſi Dominum tollis, tolli Rempublicam*. Parcius ſæviendum memento, bone vir. Qui lenius agunt,magis ſapiunt. Haud ſic te decet, pulchellum hominem, inclementem eſſe; cui Itali olim,apud ſe peregrinanti, teſtimonium, & laudem,formoſuli adoleſcentis dederunt.Diſce potius ipſe, ô venuſtule puſio, & patere te doceri, nullam dari Rempublicam ſine Domino; nec ad rem privatam tantum hoc pertinere,ut Dominum habeat, ſed etiam ad publicam. In memoriam revoca quæ ſupra ex Ariſtotele attulimus, τὴν οἰκονομικὴν, id eſt, *rei familiaris & privatæ adminiſtrationem*, eſſe μοναρχίαν, id eſt, ab uno regi Domino: & rurſus τὴν μοναρχίαν, id eſt, *unius dominatum*, ſimilem eſſe οἰκονομίᾳ. Sic res privata æque ſub unius domini imperio ; ut publica,quę ab uno regitur. Illa domeſtica patremfamiliâs dominum agnoſcit, iſta publica Regem. In populari vero ſtatu populus eſt dominus : in Optimatum, domini Optimates. Ita contrarium ejus,quod poſuiſti, veriſſimum ; nempe, Qui tollit Dominum, tollit Rempublicam ; ut qui tollit caput, tollit etiam corpus. In ſacra Scriptura, ſubditi Regis, *ſervi* appellantur. Et iidem Reges paſſim *Dominos ſuos* appellant. David ipſe ita appellatur. Angli tui,quamdiu fideles Regibus ſuis extitere, non aliter Re-

gem

gem vocabant, quam *Dominum noſtrum Regem.* Ita in Conciliis, in Actis, & Statutis Parlamentariis, in formulis Juris, *Rex Dominus noſter ſupremus,* & Rex *Dominus Parlamenti* paſſim appellatur. Romani, cum de Imperatore loquerentur, *Dominum noſtrum* dicebant. Uſque ad infima penè tempora Imperii hoc in uſu, & more manſit. Nam & Gregorius primus Mauricium Imperatorem appellat *Dominum ſuum.* Non ſi ſævitiam tuam imitaremur; ſed ſi officium noſtrum faceremus, tu, multis prægnantibus plagis acceptis, maſtigias domum redires. Sed hanc pœnam libenter, & merito tuo, tibi remittimus, ob ea, quæ ſtatim contra Paſtores Presbyterianos declamitas. Ut mihi nunc places, Miltone! Nunquam in vita tua veriora dixiſti, aut ſcripſiſti. Hoc ipſum ad nos nuntia fama pertulerat prius, quam tuo ſcripto id ſignificaſſes, fuiſſe Paſtores Presbyterianos; qui contra Regem publice concionati ſunt; qui eum in odium apud populum ſuum adducere ſunt conati; qui ad bellum in ipſum ſuſcipiendum, quaſi in tyrannum, populos ſuſcitaverunt; qui motum jam, & ſuſceptum, quibuſcumque poterant modis, & alere, & promovere, tentarunt: Sed iſti ipſi Presbyteriani impudens eſſe mendacium Miltoni teſtantur; cum aſſerit Paſtores eorum, in Concionibus ſuis, in Carolum invectos eſſe, quaſi Saüle quovis, aut Achabo, vel etiam ipſo Nerone Neroniorem; & fidem habendam eſſe publicis Concionibus, auctoritate Comitiorum impreſſis, in quibus modeſte admodum de Rege loquuntur. Quidquid horum ſit, Independentium perfida natio, cum hæc dici, ac fieri videret, tacita in ſinu ſuo gaudebat, clanculum incenſos Paſtores inflammabat ad tales habendas Conciones, immiſcebat ſe eorum cœtibus, & ſermonibus ſuis ſeditioſis, quaſi flabellis, & follibus, ſufflatum ignem vehementius excitabant. Hoc idem, Parlamenti conventibus infuſi, & inſinuantes ſe, agebant, & rebus novandis omni ope ſtudebant. In exercitu idem aggreſſi ſunt, &, cum tandem variis molitionibus, & technis, potentiam tantam tam in Parlamento, quam in exercitu ſibi comparaſſent, ut quodcumque ſuſciperent, id etiam à ſe perfici poſſe ſperarent; ejectis ex utroque corpore, aut relegatis, quos ſuis eſſe votis contrarios ſuſpicabantur, & aliis ex ſua factione, &, ſecta, in eorum locum ſubſtitutis: tum perſpicere, ſed ſero, cæperunt prudentiores, tam ex ordine Eccleſiaſtico, quam ex ſæculari, quorſum illæ omnes machinationes tenderent. Exercitum præcipue cum in ſua poteſtate haberent, & quo vellent, à ſe impelli poſſe confiderent, nihil jam mediocre, aut moderatum, ſperare, & exinde recta iter ad tyrannidem capeſſere contenderunt. Quod, ut ex voto ſuccederet, Regem ad ſupplicium depoſcendi aperte conſilium inierunt. Idque facile factu fuit, Parlamento partim jam purgato, aut in partes tracto, per emiſſarios ſuos, adverſæ

factionis hominibus, nempe Presbyterianis, inde expulſis. Miniſtri Presbyterianorum cum hoc agi cernerent, & quibus tanta rerum omnium commutatio, Reipublicæ, & Eccleſiæ ſubverſio placere non poterat, qui nec cogitaverant, rebellionem eo uſque eſſe progreſſuram, Epiſtolam miſerunt ad Ducem Fairfaxium, & conſilium ejus militare; qua ei ſignificarunt, quid ſui eſſet judicii ſuper eo conſilio, quod ad Regem tollendum tum capiebant. Ei ſubſcripſere quadraginta ſeptem Evangelii miniſtri Provinciæ Londinenſis, Januarii xvii. cIↄ Iↄ c xlix. Cum nihil motus fuiſſet illa admonitione fortiſſimus, & fidiſſimus exercitus, nec ab incœpto deſtitiſſet, quod etiam peregit; poſt ſumptum de Rege ſupplicium, non ceſſarunt iidem Evangelii miniſtri, quod ſui erat muneris, & officii, in Concionibus Regem optimum crudeliter ſublatum deplorare, & conqueri, populumque commovere ad tale parricidium vindicandum. Pœnituit nempe illos tandem eorum, quæ in Regem fecerant, & dixerant; poſtquam ſe deceptos eſſe, & in mediam tyrannidem delapſos, ſenſerunt; cum fumi metu, & fuga, in flammam ſe præcipites actos animadvertiſſent. At tum Independentes, ab initio uſque ad finem, nihil aliud meditati, & machinati ſunt; quam ut regnum, Rege extincto, ſuum facerent. Dico illos, exercituum duces, quos tu vis, nullo affectu, nulla cupiditate, nulla ambitione, nullo odio adductos, Regem ad ſupplicium capitale damnaſſe. Quaſi ſcilicet nulla avaritia tentati ſint, & nulla regnandi libidine incitati; qui tantum ſcelus moliri potuere, ex quo ad tantas divitias, ac talem potentiam, pervenere, ut nunc pro Rege regnent. Et tu heic miſellis Miniſtris Evangelii avaritiam, & ambitionem, exprobrabis! Quaſi Independentium Duces, qui hanc rerum converſionem in Anglia procurarunt, non millies cupidiores, & ambitioſiores Paſtoribus fuiſſe, res ipſa declaret: ſic

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Conqueſti ſunt etiam Paſtores, *ſectas impias non extirpari.* Quod certe, inquis, *à Magiſtratu poſtulare perabſurdum eſt.* A quibus igitur, Miltone, poſtulandum cenſes? An ipſæ Sectæ ſuam extirpationem ipſæmet procurabunt? Hoc vero longe perabſurdius, ut ab iis hoc poſtuletur, quo ſe velint ipſas deſtruere, & abolere. Ratio vero, quam addis, cur hoc à Magiſtratu non ſit petendum, eſt longe abſurdiſſima. *Qui,* inquis, *avaritiam, & ambitionem, quæ duæ in Eccleſia Hæreſes pernicioſiſſimæ ſunt, ex ipſorum Paſtorum ordine, & tribu, nullo adhuc modo, aut ratione, extirpare voluerunt.* Jucunde ratiocinaris; nunquam vidi, qui melius. Magiſtratus non debet Hæreſes, in Deum impias, ab Eccleſia expellere; qui prohibere non poteſt, ne Miniſtri Eccleſiæ avari ſint, & ambitioſi. Ergo nulla etiam delicta afficere pœna

Magi-

Magiſtratus deberet; quia ſeipſos ab avaritia, & ambitione, purgare non poſſunt. Occine hoc tuo Cromwellio, & ejus ſociis perduellionis, & collegis; & ab illis, ſi potes, impetra, ut duo hæc vitia, quibus ſupra omnes homines laborant, à ſe ſegregent; tum virum te putabo. Ita magni latrones, & prædones, in purpura, & ſerico, ambulant, & regnant; minuti latrunculi, & fures, pœnas dant. An avaritia, & ambitio, Hæreſes ſunt? Quî magis, quam libido, luxuries, & ebrietas, & alia vitia generis humani? exterminari certe è mundo homines citius poſſent, quam ab hominibus hæ vitiorum labes. Alii aliis obnoxii ſunt, nemo omnibus caret. Ergo nemo non eſſet Hæreticus. Avaritia quidem,& ambitio, deleri non poſſunt ex eorum mente, quibus inſitæ ſunt: ſed nec ad crimen, & judicium, vocantur ipſæ per ſe; ſi nullum facinus, aut ſcelus, objiciatur per ambitionem, & avaritiam, admiſſum; quod legibus vindicetur. Nec ſane omnis avaritia criminoſa, nec omnis ambitio. Si latrocinium, vel parricidium,utravis harum impellente, vel utraque, committatur; quale & commiſerunt Angli perduelles: tum pœna,pro gravitate criminis,venit infligenda. Chriſtiani Principes, & Magiſtratus, olim Hereſes ab Eccleſiis ditionis ſuæ ejicere ſtuduerunt; & facile poteſt, & nunc etiam id debent, qui ad clavum Reipublicæ ſedent. De avaritia, aut ambitione, aut libidine, exterminanda fruſtra laborarent. Sed, ſi libido ad ſtuprum, aut adulterium,quod lege vetitum eſt, aliquem incitarit, hoc leges puniunt. Non omnes quippe,ut diximus, libidinoſi, nec omnes avari, contra vetitum peccant; ſed illi ſoli,qui lege punięda committunt.At omnis Hæreſis pœna, & exterminatione,digna eſt:præcipue illę,quę principia religionis,quæ in civitate colitur,& exercetur, evertunt. Quis autem eas ejiciet, niſi Magiſtratus? Nam Eccleſia non habet hanc poteſtatem. Condemnare quidem eas poteſt, & aut damnandas pronuntiare, ut puritati religionis contrarias; non vero extorres agere regno, aut civitate. Hoc ad Regem,aut Magiſtratum, pertinet. *Quas illi Sectas*, inquit Miltonus, *apud nos inſectantur, obſcuras eſſe ſcio: quas ipſi ſequuntur, famoſas, & Eccleſiæ Dei longe perículoſiores; quarum principes Simon ille Magus, & Diotrephes, fuere.* Apparet te de illis Sectariis eſſe.Niſi eſſes, non ſic eos defenderes. Et ſupra oſtendimus, de grege te eſſe Millenariorum. An obſcurum eſt, quod in publico fit; cum mulieres concionantur, docent, de fidei dogmate diſputant, quas in Eccleſia loqui non debere præcipit Apoſtolus? Aliæ Sectæ multæ deteſtandæ, & in Deum impiæ, in propatulo ſuas res agunt, & qui eas profitentur, etiam ad officia publica aditum habent, & Magiſtratus capeſſunt. Negare,ſi hoc potes, Miltone; eadem opera, cum dies eſt, ſolem lucere negaveris. Simonia una eſt ex delictis, quæ per avaritiam committuntur, & ab Eccleſia,vel te

judice, debet exulare. Etiam qui Diotrephi ſimiles ſunt, ferri in Eccleſia, tuo etiam teſtimonio, non convenit. Sed qui Cromwellio ſimiles habentur; qui regna invadunt, ad ſe nihil pertinentia, per effrenatam ambitionem; qui patrimonia aliena occupant, per immenſam avaritiam; qui in mari piraticam exercent, & prædas avertunt ab omnibus,qui navigant,etiam ſociis,etiam fœderatis: quid illi promeruiſſe tibi videntur? Crucem, an diadema? Hos, inquit, nempe Simoniacos,& ambitioſos, & φιλοπρώτους, ut fuit Diotrephes, nequiſſimi cum ſint, *adeo non perſequimur; ut factioſis, & res novas quotidie molientibus, nimis indulgeamus.* Bona verba. Nonne putes, te Catonem novum aliquem audire; vel veterem illum Romanum, ab inferis reducem? Tametſi non dicas,cur vobis animus non ſit,tales perſequi,cum ſint nequiſſimi;cauſam tamen ſcio,Quia vos eſtis nequiſſimis nequiores. Atqui illud etiam non mirum, cur factioſis, & novas res molientibus, nimium indulgeatis. Quæ ratio enim eſſet,ut Clodii vellent mœchos accuſare,& Catilinæ Cethegos? Quis autem ferat, ut ait ille, *Gracchos de ſeditione querentes?* In Salmaſium rurſus, ut tuus eſt mos, incurris: quem Gallum, & errabundum vocas; quia Anglos ſcripſerit, Moloſſis ſuis ferociores, nullam legitimi ſucceſſoris,& hæredis regni; nullam natu minimi, Regis filii; nullam Reginæ Bohemiæ rationem habuiſſe. Sane non ſine ratione de hoc ille conqueſtus eſt; & vos ſine ratione feciſtis id, cujus gratia in vos invehitur. Cur hoc fecerint, Salmaſium pro te allegas, qui nobis reſpondeat, cujus in libro de Primatu legantur hæc verba: *Ubi Reipublicæ forma mutatur, non datur ſucceſſio inter differentes regiminis curatores.* Hoc quidem verum eſt, quod ibi ſcripſit Salmaſius. Sed de eo non eſt quæſtio, quia nemini hoc in dubium vocatur. Non enim in quæſtione, Quid ſit faciendum, ubi Reipublicæ forma mutata eſt; ſed, Cur à vobis mutata ſit. Quæritur,inquam,Cur vos formam Reipublicæ commutare vobis placuerit; & ex Monarchica, qualis ſemper in Anglia fuit, ex omni hominum, qui Britanniam tenuere, memoria, in alium convertere; cujus nomen, & ſtatum, qualis ſit, non poteſtis, nec vultis dicere: nos vero ſcimus eſſe tyrannicam. Quod enim innovare in animum indatis ſtatum Reipublicæ, id, ea cauſa, à vobis factum quis non videt; ut legitimorum hæredum ratio haberi non poſſet? Ideo indignatur Salmaſius, quod nullam habueritis rationem legitimorum regni illius hæredum; vel ex linea collaterali; ſi ex recta, qui ſuccederent, ſumere non libebat. Quod igitur reſpondes, ad rem non eſt. Fuiſſet vero, ſi dixiſſes, eos, qui hoc fecerunt, maluiſſe ſibi regnum, quam alteri, atque idcirco excluſiſſe legitimos hæredes; ut ipſi hæreditatem regni cernerent, quam ſub alio nomine per vim occuparunt: cum

revera

revera appellatio tantum mutata ſit, non forma Reipublicæ; quia ſub uno eſt, ut fuit, non Rege, ſed tyranno, qui tamen ſe Protectorem Reipublicæ nuncupari voluit. Cum indignatione etiam hoc dici poteſt, minimam regni unius partem id perfeciſſe, cujus facti pernicies in tria regna redundavit. Dicis & dignos illos eſſe, qui fecerunt, *quibus in cæteros imperium ſit, viris in fœminas.* Immo viris peſtiferis, & audaciſſimis, impiis, & nefariis, in viros bonos, & pios. An nemo tibi viri nomine dignus eſt, niſi qui ſit latro, perduellis, & parricida? *Iſti ſunt,* dixit Salmaſius, *qui regimen regni antiquum in alium ſtatum, qui à pluribus tyrannis teneatur, mutare præſumpſere.* Quia vocem *Status* in illis verbis omiſit Typographus, fœdiſſimum barbariſmum, & ſolæciſmum à Salmaſio commiſſum arguis. Ipſe imperitiam tuam prodis, qui barbariſmum fieri putas in verbis conjunctis, cum in ſingulis tantum vocibus fiat. Hoc igitur eſt, quod Salmaſius quærebat; & quærebas, cur vos regimen antiquum in alium ſtatum commutaſtis, qui à pluribus tyrannis teneretur. Sed inter illos tyrannos unus eſt, qui inter omnes eminet, & cæteris imperat, Cromwellius. Iterum ad ingenium redis, ut extollas magnitudinem animi latronum illorum, qui Regem ſolio deturbarunt, & regnum ſibi vindicarunt, & tantam facis, quanta non ſit audita omni memoria. Talia ſcelera fateor non ſine inſania magna cogitari, aut fieri. Majoris quippe eſſe animi, & majorum virium, latro cenſendus eſt, qui viatorē ſpoliat, & interficit; quam ipſe viator, qui, ad occurſum prædonis, totus tremit, & pallet. *Non hoſtes tantum armatos, ſed hoſtilem vulgi ſuperſtitionem, eluctati, atque ſupergreſſi.* Johannes Miltonus Anglus non eſt homo, ut videris, ſuperſtitioſus; immo omnium ſuperſtitionum hoſtis, ſed illius præcipue, quæ adeo vetus eſt, ut mundi primordiis coæva ſit, qua, ſtultæ credulitatis vitio, omnes homines hactenus imbiberant, Reges non eſſe ſupplicio capitis à civibus ſuis afficiendos. Hoſtilem hanc vocat ſuperſtitionem Miltonus; quia humani generis ſaluti adverſaria ſit, & publico bono contraria. Ore Cromwellii loquutus eſt parricidarum patronus; qui, poſt ſumptam de Rege pœnam, ad Scotos ſcribens, ſe inveteratam illam ſuperſtitionem ex hominum mentibus teſtatus eſt evelliſſe. O ſcelera! ô genera ſacrilega! ô portenta hominum! qui pro fundamento veræ religionis ponunt, leges & jura evertere, Reſpublicas exſcindere, Reges carnificibus ad ſupplicium tradere: pro ſuperſtitione autem damnanda ducunt, leges ſervare, Reges honorare, & juſtitiam colere. Et cum his ſceleratis, & nefariis dictis, factiſque, audent tamen, per os impium Miltoni, gloriari; ſe *liberatorum cognomen per omnes gentes in communi peperiſſe.* Liberet nos Deus à talibus liberatoribus; quia nulla hodie gens eſt tam barbara, ad quam fama tam atrocis facinoris pervenerit, quin eos pro latronibus

perditiſſimis, & infamibus parricidis, habendos exiſtimet. *Popu-lariter id auſi, quod apud alias nationes Heroicæ tantum virtutis eſſe exiſtimatur.* Quid eſt *populariter* audere? quod opponitur audaciæ, & virtuti Heroicæ? Auſi ſunt hoc facinus *populariter.* An ut *populo placerent*, ut in illo; *Quemlibet occidunt populariter?* An quod apud alios Heroicum putatur, apud Anglos populare habetur? Sed quæ ſunt illæ nationes, apud quas Heroicæ virtutis eſſe ducitur, Reges per carnificem necare? Fortaſſe populi more quod fit, *populariter* factum dixit. Hoc ſenſu velim ſcire, quomodo Heroico facto opponitur? An id vult, quod in aliis gentibus ſoli Heroici faciunt, hoc in Anglia populum feciſſe? Ergo populariter ideo factum, quia populus fecit? Ergo populus agit populariter? Sed alios id egiſſe populariter videris intelligere. An quia per populum id egerunt, populariter egiſſe videntur? Explica te, ſi potes. Si dixiſſes, *militariter*, aliquid eſſet. Nam populus non id auſus eſt, ſed Senatus, aut milites. Sed miles habuit Senatum in poteſtate; & paulo ante dixiſti, exercitum ſapientiorem hac in re Senatu fuiſſe, vel Patribus Conſcriptis. Ergo qui auctores iſtius facinoris fuere, militariter id auſi ſunt, non populariter. *Apud alias nationes*, præter Anglicanam ſcilicet, hoc Heroicæ tantum virtutis eſſe exiſtimatur. Ergo ſoli Angli non Heroicum hoc facinus fuiſſe credunt. Et merito ſane. Ubi enim, aut quando, tale quid Heroës tentaſſe reperietur? Nec virtutis ergò Heroicæ, nec temporum eſt Heroicorum hoc factum, ſed perditorum civium latrocinium, & parricidium. Sed quoniam defenſio tua ubique perſonat *Heroica iſta virtute, & Heroico facinore* rebellium, quorum patrocinium ſuſcepiſti, videamus quid in hoc facto ſit Heroicum. Heroës ſunt homines excellenti quadam ſupra cæteros, & divina, virtute præditi. Ergo Heroica virtus eſt extraordinaria, & longe humanam ſupergreſſa. Rebellio civium res eſt nunc, & olim, frequens in omnibus ferme imperiis. Et nullius, neque in Europa, neque in Africa, neque in Aſia regnum, vetus, aut novum dari poteſt, quod non aliquando ſeditionibus vulgi, aut factionibus Procerum, contra Reges ſuos laboraverit. In illis factionibus, & rebellionibus, ſæpe ſeditioſi, & contumaces cives vi vincunt; ſæpe Rex factioſos debellatos comprimit: quando armis partes decernunt. Cum Rex vincitur, aut è regno per vim pelli ſolet, aut ipſe ſponte ſua excedit, aut in prælio pugnans interficitur, aut vivus capitur, & captivus abducitur. Omnium horum exempla paſſim in Hiſtoriarum monumentis ſunt obvia, & noſtra ætas nonnulla etiam vidit. Nihil igitur in his inuſitatum, nihil extraordinarium: nihil, niſi ex medio fortunæ acervo, ductum. Ne illud quidem non tralatitium, quod captivum Regem ſuum cives rebelles, aut in perpetua cuſtodia ſervandum, aut etiam

occidendum

occidendum curant in carcere; & ſic, remoto eo, qui in ipſos dominabatur, regimen alteri credunt, vel ex eadèm ſtirpe, vel ex aliena; vel etiam ſtatum Reipublicæ mutant, & ex Monarchico vel populare faciunt, vel Optimatibus adminiſtrandum concedunt. Non opus eſt igitur Heroica virtute, aut vi quadam ordinariam ſupereminenti, ac penè divina, ad illa peragenda, quæ quotidie accidere videmus. In hac Anglicana rebellione, qui debuit vincere, ſi ſemper bona cauſa ſuperior eſſet, victus eſt. Ita Rex, deteriorem ſortem expertus, cum ſe fidei commiſiſſet ſuorum ſubditorum, ac ſponte ſe illis dedidiſſet, in carcerem conjectus eſt. Hûc uſque nihil Heroicum vidimus. Fortuna ſuum quoque negotium heic egit, quæ in perduelles inclinavit. Quem in poteſtate ſua habuerunt, de eo ſtatuere, quod ipſis collibitum fuit, potuere; ut vel in carcere necarent, vel regno pellerent, & in exilium mitterent, vel etiam in perpetua cuſtodia haberent. Horum omnium quodcumque feciſſent, non Heroicum poterat facinus videri, non extra ordinem, & tenorem accidentium, quæ in talibus rebus uſu venire ſolent. Quod cives ſui in eum rebellarunt, quod bello perſequuti ſunt, quod prælio vicerunt, quod victum & deditum ceperunt, captum incarcerarunt, nullam in his omnibus illi, qui ea auſi ſunt, virtutem Heroicam oſtenderunt. Ubi igitur erit? Jam videbimus. Quod ex carcere eductum ad judicium adduxerunt; quod cauſam capitis dicere coëgerunt; quod, indicta cauſa, quaſi contumacem ad ſupplicium produxerunt; quod ſecuri per carnificem percuſſerunt. Hæc omnia Heroicæ cujusdam virtutis pulcherrima, & præclara, facinora iis, qui fecere, viſa ſunt. Io, triumphe! Io, Pæan! ſalvete, Heroës, divum genus: egregiam vero laudem, & immortalem gloriam, reportaſtis ex tali ſcelere; certe, ſpolia ampla retuliſtis. Tu vero imprimis, Miltone, præco, & patronus talis virtutis, non minimam laudem mereris; quia tot mendaciis, & calumniis, profligatiſſimam cauſam defendendam ſuſceperis. Sed in uno videris erraſſe, cum Heroicam tantum militum Anglorum virtutem vocaſti. Superarunt ipſos Heroas; ſi nullis affectibus commoti, ut ante dicebas, rem tantam confecerunt. Neminem ſcilicet odio habuerunt, nihil metuerunt, nihil ſperarunt, nihil concupierunt, nulla animi impotentia elati ſunt. O Philoſophis omnibus ſapientiores, & beatiores milites, qui re ipſa præſtiterunt, quod illi verbis tantum aſſequuti ſunt. Ais paulo poſt fateri Salmaſiũ, aliquos Reformatorũ, quos non nominat, & quos pejores Jeſuitis eſſe dicit, docuiſſe amovendum eſſe Tyrannum. Te vero eos eſſe nominaturum, & nominas, *Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Bucerum, Paraum, cum aliis multis.* Cur hos tantum, & non etiam alios quam plurimos, nominaſti? Nimium paucos recenſuiſti, ſi ex omnibus Reformatis, qui in ea ſententia

 fuerunt,

fuerunt, hos tantum commemorare nominatim potuiſti, contra tot Anglos, & Scotos; qui, hoc idem opinari non contenti, in uſum etiam, ac praxin, talem doctrinam convertere conati ſunt, & reipſa converterunt. Sed, ut ſimia ſemper ſimia eſt, ita Miltonus ſemper impoſtor, qui ea Salmaſio affingit, quæ non dixit, & de quibus non intellexit. Verba hæc ejus ſic habent. *Fateor quoque, ſi hæc eſſet omnium Reformatorum opinio, nos etiam in noſtra Reformatione Jeſuitas habere, immo plusquam Jeſuitas, & ipſis Jeſuitis longe pejores.* De qua opinione Salmaſium ibi loqui putaſti? An de alia, quam quæ vos impulit, non ſolum ad Regem amovendum; quæ Jeſuitarum eſt doctrina? ſed etiam ad carnifici tradendum, & publico ſpectaculo ſecuri feriendum. Hæc eſt opinio, quæ vobis pro fundamento veræ religionis, & exactæ Reformationis ponitur; quam virtutis Heroicæ nomine ſignatis; cui ex adverſo oppoſitam opinionem pro ſuperſtitione anili ducitis, & à qua, tamquam ridiculo errore, genus humanum à vobis liberatum jactatis. Videantur in Salmaſii Defenſione, quæ præcedunt, inde conſtabit omnibus verba ibi eum facere, non de aliis Reformatis, quam de veſtratibus; cum faſſurum ſe dicit, ſi hæc eſſet omnium, qui ſe Reformatos profitentur, ſententia, dici poſſe nos habere inter nos pejores Jeſuitis homines. Vos, vos, Reformati, hanc habetis; vos, inquam, Independentes, Anabaptiſtæ, & Brouniſtæ, qui vultis videri Reformatorū Reformatores, & edecumati Reformati. Hoc ipſo pejores Jeſuitis eſtis. Nam illi amovendum Tyrannum tantum dictitant, vos vero Reges veſtros legitimos, quos tyrannos fuiſſe non potuiſtis probare, carnificum ſecuri ſubjicitis. Quod neque Jeſuitæ ipſi, neque ulli Theologi Reformatorum, quos nominas, & de quibus Salmaſius non intellexit, fieri licere unquā ullo in ſcripto dixerunt. De Jeſuitis autem, non de illis à te nominatis Theologis, ut tu mentiris, intelligenda ſunt, quæ in Defenſione Regia ſequuntur his verbis; *Hoc illi ſaltem docent, non alium Regem eſſe amovendum, niſi qui Tyrannus judicatus fuerit. Tyrannus autem an habeatur, qui pro tali abjiciendus eſt, ad judicium ſapientum, & doctorum, referre ſe profitentur.* Ex Jeſuitarum libris, ubi hanc quæſtionem tractant, hæc eorum doctrina hauritur. Nemo noſtrorum Theologorum eo amentiæ, & furoris, progreſſus eſt; ut ſenſerit ita Reges legitimos eſſe tractandos, ne Tyrannos quidem, ſicut vos veſtrum tractaviſtis. Ne Jeſuitæ quidem tale quid unquam opinati ſunt; licet gladios, & cultros, in Reges videantur acuiſſe hominum perditorum: illi, inquam, ſaltem ad judicium ſapientum, & doctorum, rejici debere docuerunt, quis tyrannus de Rege ſit pronuntiandus. Angli hujus rei judicium vel populo permittunt, vel gregariis militibus. Et recte illi quidem, ſi Miltonum audimus. *Liceat*, inquit, *populo, qui ſervitutis jugum in cervicibus grave*

ſentit,

ſenſiſſet, tam ſapienti eſſe, tam docto, tamque nobili, ut ſciat quid Tyranno ſuo faciendum ſit. Tu mihi heic, Angle inſenſate, populum nominas, in quo nec mens, nec conſilium, nec ratio; qui agitur, & regitur, & impellitur, quo libet, nunc à Miniſtris ſeditioſis, nunc à Proceribus factioſis; nunc ab alia cauſa movetur, & præcipitatur, in omne facinus rebellionis? Inſinuetur illi, Regi ſuo propoſitum eſſe mutare religionem, ab hac credulitate ſtatim in flammas, & furorem armorum, contra Regem ſuum capiendorum, incitatur. Sexcenta talia ſunt; quæ, etſi vera non ſint, ſi pro veris eidem inſtillentur ab hominibus novandi cupidis, factum dictum, tyrannum eſſe pronuntiat, & pro tyranno perſequitur, qui nihil minus eſt, quam quod putatur. Ita talis populus ſciſcet, Quid de tyranno ſit ſtatuendus? Judicet prius, an tyrannus ſit. Quis judicabit? Populus, inquis. Quis populus? Totusne, an pars populi? Si pars; Quænam erit illa? In hac cauſa, qua de agitur, ſuperfluum hoc inquirere: cum, vel Miltoni confeſſione, teneamus, milites ſolos ſciviſſe, & ſtatuiſſe, quid de Rege ſuo facere deberent, doctius, & melius, quam ipſos Patres Conſcriptos. Hoc ſæpe nobis antea confirmavit. Nunc de populo id aſſerit. Et tribus ab hinc lineis Parlamento idem tribuit. Sic enim ait; *Tyrannum autem fuiſſe hunc non Angliæ ſolius, & Scotiæ, Parlamenta cum verbis, tum factis diſertiſſimis, declaraverunt; ſed totus fere populus aſſentitus eſt.* Populi aſſenſus non eſt heic conſiderandus; ſi conſtet Parlamentum Angliæ, & Scotiæ, Regem ſuum Tyrannum eſſe declaraſſe. Non enim potuit populus non aſſentiri duobus his Parlamentis; Scoticus Scotico, Anglicus Anglicano. Sed ubi nunc ille tuus, Miltone, fortiſſimus, & Reipublicæ fidiſſimus exercitus? Quo in loco latitat? An ſub nomine populi tegitur, qui *aſſentitus eſt?* fortaſſe voluiſti dicere, *aſſenſus eſt*; ſed nimio odio Grammaticos proſequeris, quam, ut loqui velis ſecundum illorum regulas. Atqui paulo ante, hoc ipſo capite, ſupra Parlamentum eos collocabas? In hac ipſa cauſa, qua judicandum erat, Utrum Carolus Rex eſſet Tyrannus, *rectiora eos ſenſiſſe aſſeveraſti, quam Patres Conſcriptos, & ſalutē Reipublicæ armis attuliſſe, quam illi ſuis ſuffragiis prope damnaverant.* Salus illa Reipublicæ oblata eſt, morte, & ſupplicio Regis, ſive Tyranni; quia talem eſſe legiones veſtræ judicaverunt, & pro tali capitis condemnarunt: de quo Patres Conſcripti, id eſt Parlamentum, noluerunt quidquam decernere; quin immo contrarium, ſuis ſuffragiis, ſanxerunt. Sed arma militum ſcilicet plus valuerunt, & majorem ſapientiam ſuam fuiſſe, cum vi armorum uſi ſunt, re ipſe oſtenderunt; quam quæ in Patribus Conſcriptis fuit: qui etiam prius prudentia experiri maluerunt, quam ad extrema venire ſceleris, & furoris, in Regem. Illi ſunt milites

tes,qui non grave jugum ſervitutis in cervicibus ſuis ſenſerunt, ſed qui illud impoſuerunt in collum Parlamenti, & totius populi. Quid ergo hoc loco nobis Parlamenti utriusque Declarationes crepas, & populi aſſenſionem de Carolo Tyranno, & ſub hoc elogio Tyranni ſecuri percuſſo; cum hujus facti gloriam alibi ſolidam, &,ſine participatione cujusquam, ſolis militibus aſſignaveris? Præterea quam facile mentiris, tam facile potes refutari. Nam falſum eſt omnino, quod heic aſſeris,Regem unquam fuiſſe declaratum Tyrannum à Parlamentis Angliæ, & Scotiæ. Quomodo id poteſt verum cuiquam videri, cum nemo ignoret, ſolemni illa confœderatione, quam inter ſe inierunt duæ Nationes,flagrante cum maxime bello, expreſſe cautum fuiſſe de Majeſtate Regis comiter conſervanda, & perſona ejus defendendà; &, cum præ ſe tulerint ambo populi hoc bellum non à ſe ſuſceptum contra Regem, ejusque auctoritatem legitimam; ſed contra malos Regis Conſiliarios,quos ipſi auctores fuiſſe obtendebant multorum ſequius factorum. Declarationes etiam à Synodo Londinenſi, mandato, & auctoritate Parlamenti Angliæ,ad exteras Eccleſias transmiſſæ,idem teſtantur. His etiam arguitur, quam ſit à te falſo dictum, quod incontinenti ſequitur, totius populi aſſenſu Carolum Tyrannum fuiſſe declaratum, *donec Epiſcoporum technis, & fraudibus, in duas poſtea factiones diſceſſit.* Vide primum, quam facile populus, etiamſi hoc verum eſſet, quod dicis, paulo momento, huc & illuc, impellitur, & quam nihil ſit rationis in ejus motibus, & tumultibus? Totus fere, ut vis, ſtabat contra Regem; impulſus, ut videtur, ab Independentium factione. Poſtea dimidia pars ex toto ad Regem reverſa eſt. Quibus impulſoribus? Epiſcopis. Ita mobile, varium, & mutabile ſemper vulgus, ut æſtus maris reciproci. Sed quinam illi, qui traducendi, aut traducti ad partes Regis fuere per Epiſcopos? Non ii ſane, qui jam Regi factum volebant. Atqui omnes, exceptis Presbyterianis, & Independentibus, Regis cauſæ favebant. At Presbyteriani nimis oderant Epiſcopos, quam ut ſe ab illis perſuaderi ſinerent. Multo etiam minus Independentes id paſſi eſſent; quia minus etiam eos amabant, quam Presbyteriani. Atqui certum eſt tam Independentes, quam Presbyterianos utriusque nationis, Scoticæ, & Anglicanæ, fœdus inter ſe feciſſe; quo, inter cætera, jurarunt in Regiæ perſonæ defenſionem, & regni in eo, quo tunc ſtatu erat, ac ſemper fuiſſet, conſervationem. Illo autem tempore hæc inter eos inita pacta fuiſſe factionis conſtat; cum jam Epiſcopi locum ſuum, & gradum, non amplius obtinerent. Nam una cum Rege, omni auctoritate, & potentià ſua, eum exciderant. Ergo ſub illud tempus non potuerant Epiſcopi partem populi ad Regias partes traducere. Nec ſane opus fuit, tunc

temporis,

temporis, ut id facerent; cum per illud fœdus promiſiſſent invicem utriusque Regni Presbyteriani, ſe Regem unanimiter eſſe defenſuros, & majeſtatem ejus comiter conſervaturos. Nondum itaque Tyrannum eum declaraverant, nec populus iis aſſenſus fuerat. Cum contrarium manifeſto ex ipſius Confœderationis verbis pateat. Poſtea mutati ſunt, & in factiones duas diſceſſerunt. Quid eos mutavit? Quis diviſit? Nonne Independentium fraudes, & technæ, id præſtiterunt? Ipſi ſunt, qui diſceſſionem à reliquis fecerunt. Totus primo exercitus repletus eſt ſecta Independentium, & factione, artibus Cromwellii. Tum, ut illi exercitui omnis auctoritas, & poteſtas, etiam ſupra Parlamentum, adſtrueretur, variis molitionibus, & verſutiis, efficere per ſuos emiſſarios conatus eſt idem Cromwellius. Nam, editis multis libellis, & in vulgus per totam Angliam ſparſis, opera Agitatorum ſuorum, & Concionatorum, qui ad hoc ipſum omnia regni loca pervagabantur, conquerebatur populi oppreſſionem, ſub gravibus oneribus tributorum ingemiſcentis, ſuadebatque, ut, inſuper habito Rege, & Parlamento, adhærerent exercitui, tanquam unico ſuo liberatori, pacis, & belli arbitro, legum inſtauratori, libertatis, & religionis reſtitutori. Hoc ſe admoliri, ut Regi ſua jura confirmarent, & Parlamento privilegia conſervarent. Hoc artificio factum, Miltone, ut exercitus omnia potuerit, qui jamdiu, per ductores ſuos inductus, hoc propoſitum animo volvebat, quo Regem vita & regno privarent. Ut ſcias hoc eſſe veriſſimum: ſimul atque ille exercitus, cum duce ſuo, paulo longius ab urbe receſſit, ſtatim concurrit omnis populus ad Parlamentum; & Senatus frequens, cum conveniſſet, decrevit, Regem per ea, quæ conceſſerat, videri ſatisfeciſſe poſtulatis ſuis, & pacem inde firmam, & concordiam, poſſe ſtabiliri. Ad extremum, cum ad urbem legiones rediiſſent, vis prævaluit, & Parlamentum, ſub poteſtatem militum redactum, nihil potuit de Rege ſtatuere, & pronuntiare, quam quod eorum ductoribus placuit. Quod per exercitum obtinuerunt, etiam nunc, ope ejusdem exercitûs, & præſidio, conſervant. Dimittantur armati, removeantur arma, populo ſua libertas reddatur, Parlamento ſua auctoritas reſtituatur, omnia in priſtinum ſtatum protinus redibunt, legitimus hæres regnum ſuum recipiet, & omnes optata pace fruentur. Poſt Regem in omnibus locis victum, cum ipſe jam captivus detineretur, nec ullæ amplius copiæ militares neceſſariæ viderentur, quis eas dimitti prohibuit, niſi Cromwellius; qui, ut earum opera uſus fuerat ad Regem debellandum, ita earumdem ope uti voluit ad eum decollandum. Pauca illa tua mendacia, Miltone, refellere pluribus verbis coactus ſum; quia facti veritas, quam impugnaſti, non potuit paucioribus demon-

ſtrari, & ſub oculos poni. Quod ſequitur, horribilis in Deum impietatis te reum facit, cùm auſus es affirmare; *Deum elegiſſe hodie ſimiles homines, quibus decretum ſuum de Rege Carolo exequendum mandaret, ut quibus olim Evangelii prædicandi, & fidei in Christum propagandæ, Provinciam commiſit; non doctos nempe illos, non ſapientes, non nobiles.* O impietas! O furor! O blaſphemia deteſtanda! O monſtra hominum, in ultimas terras exportanda, vel in Virginiam reportanda, unde in hæc loca malum pedem attulerunt! Apoſtolis pares facit perduelles illos, qui parricidium execrabile, Regis optimi nece, perpetrarunt. Non primus Anglorum in hæc Βλάσφημα prorupit iſte Johannes. Jam ante illum Cocus in provocatione ſua ſcripſit, Supremam illam Curiam, qua Rex capitis condemnatus eſt, ſimilem eſſe *magno illi diei judicio.* A talibus Sanctis non debemus aliam ſanctimoniam exigere, niſi qua omnis impietas, & profanatio, quæ maxima fingi, & dici poteſt, vincatur. Quæ deinde, familiari tibi petulantia, jacis in Salmaſium maledicta, eadem, qua efflata ſunt, facilitate, etiam diflari poſſunt. Nec mirum porro mihi videtur, quod tam acerbe omni occaſione Grammaticam inſectaris. Non ſine ratione id te facere fateor, ſenſiſti enim, cum ludimagiſter eras, ad rem faciendam valde eam eſſe ineptam. Enim vero ſi Poëſeos, & Grammaticæ, ſubſidiis tantum niti ſemper animo tibi ſediſſet, nunquam ad eum locum, quo tua te improbitas prævexit, perveniſſes. Poſtea tempus te docuit, duas eſſe optimas in Anglia vias *longi proceſſus*, ut cum Satyrico loquar, *parricidium facere*, & *defendere*. Hanc poſteriorem arripuiſti. Inde repente ex malo Poëta factus es peſſimæ cauſæ longe peſſimus patronus; ex inope, dives; ex vidente, cœcus; ex formoſulo, déformis. Miſerum vero Salmaſium! non quod ſit Grammaticus, ut eum vi & ingratiis eſſe vis; ſed multo magis, quia Anglorum unus, Johannes Miltonus, tam valide eum contemnit, & ludibrio habet. Quum hoc faciat corpore, & conditione, pumilio; quid facturi ſunt grandes ſtatura, & dignitate, Angli? Crederem tibi Miltone, à te Salmaſium tantopere deſpici; niſi viderem te tam acriter, vehementer, & atrociter in eum debacchari. Poteſne cuiquam perſuadere tibi vilem eſſe, in quo refellendo tanta animi contentione, tanto conatu laborare, æſtuare, ſudare te oſtendis? Non hoc certe veriſimile; ut nec illud verum, quod adjicis, nationem ipſam Anglicanam de Salmaſio nihil quicquam publice cogitare. Memorem mendacem eſſe oportere, belle olim dictum eſt. Non meminiſti te in Præfatione dicere, *ſummos in Republica veſtra viros auctoritate ſua perfeciſſe, ut hoc munus ſuſciperes,* contra Salmaſium ſcribendi, *tibique hoc negotium datum eſſe voluiſſe.* Tua hæc ſunt ipſiſſima verba. Quomodo ergo illi potuerunt hanc provinciam tibi demandare, quin de Salmaſio

maſio,

maſio cogitarint? An te vero curare Salmaſium putas, quam de ſe mentem, & cogitationem, habeant ſcelerati latrones, & nefarii parricidæ? Ad te autem quod attinet, Miltone; multo minor eum angit ſollicitudo, quid de ſe exiſtimes. Hoc tamen poſſum vere affirmare, tantam eſſe tuam improbitatem; ut odio omnium bonorum dignus ſis: tantam vero indignitatem; ut omnibus etiam viliſſimis contemptui eſſe debeas, nedum Salmaſio. Si, quia formoſus es, ideo te magni fieri poſtulas: hoc Itali tui viderint, qui pulchritudinem tuam, cum apud eos eſſes, deprædicarunt. Haud ſcio an etiam pædicarint, ipſe ſcis. Facetum etiam aliquando te facis, & ſalem dictis tuis inſpergis. Sed iſta tua urbanitas ſæpe merum rus olet, & frigore legentes ferit. Hoc loco certe inſulſiſſimam deprehendi, & inficetiarum plenam, ubi dicis; *Salmaſium, ac ſi Deo cuilibet votum, ipſo Mida ſtultius, nuncupaſſet, quidquid attrectat, niſi cum ſolæciſmos facit, Grammaticam eſſe.* Lepida profecto comparatio! Si quis eam attrectet, & excutiat, ſtulti & voto Midæ reperietur, & genio ineptiſſimi hominis digna. Preces Deo fecit Midas; ut quidquid tangeret, aurum fieret: votum ſtultum, & viventi pernicioſum. Nihil poterat mandere ſolidi, nihil liquidi haurire; quin eſca, & potio, in aurum verſa, in ipſis dentibus, & faucibus hæreret. Nihil deſcendere in ſtomachum poterat. Quid ſimile poteſt accidere ex Grammatica? Quid votum tale de ea fieri, ut, quidquid tractet quis, id fiat Grammatica? Quis tam fatuus, ſtolidus, & hebes, ſtupidusque, & intelligentia vacuus, cui talis cogitatio poſſit incidere? Incidit tamen in Miltoni mentem. O virum aſtutum, & acutum! ô vernilis urbanitatis fontem! Dignus certe eſt pro tali acumine, & ſale, ut quidquid contrectat, merda fiat. Hoc meum votum eſt. Cloacina Dea, aut Sterculus Deus, me poteſt voti damnare. *Cuilibet,* inquit, *Deo?* Cui Deo, Miltone? An Deum vos habetis alium, quam nos? Ita apparet. Nam & alium Spiritum Sanctum habetis. Et oportet alterius Dei ſit iſte Spiritus, quam qui Chriſtianorum mentibus ex alto illabitur. Veſter vobis inſpirat Regum cædes, & ſupplicia: noſter honorandos eos, & colendos, nobis præſcribit. Quæro etiam ex te, Miltone, an aliquem hactenus videris, qui ſit *doctus ſine doctrina,* & *litteratus ſine litteris?* Ubi talem exhibueris, poteris eadem via mihi divites monſtrare ſine divitiis, malos ſine malitia, arrogantes ſine arrogantia, artifices ſine arte, ſuperbos ſine ſuperbia, & Miltonos ſine imperitia, & improbitate. Ita enim in fine hujus capitis ſcribis, populum illum improbum, qui in Regem ſuum rebellavit, & eum necavit, *doctum eſſe ſine litteris:* Salmaſium *autem eſſe litteratum ſine doctrina.* Cur hæc permutaſti? Nonne rectius, & ſimplicius, ita diceres, *doctum ſine doctrina,* & *litteratum ſine litteris?* Fateor

ſane-

ſane, & tibi aſſentior, homines illos, de quibus intelligis, doctos eſſe ſine doctrina, & litteris. Sed qua in re doctos? In arte rebellandi; poſtquam ſcilicet ſe per vos artem fecit rebellio. Vos ejus primi inventores, & artifices ſummi extitiſtis. Ad hunc diem non eſt repertus, qui artem aliquam ſimul invenerit, & perfecerit. Vos id præſtitiſtis. Vix rudimentis ejus poſitis, profeſſionem iſtam ad ſummum perfectionis perduxiſtis. Si Salmaſius litteratus ſine doctrina, etiam, dubio procul, doctus fuerit ſine litteris. Ita & litteratus erit ſine litteris, & doctus ſine doctrina. *Tot linguas*, inquis, *callet, tot volumina percurrit; tot ſcribit, & tamen pecus eſt*. Ergo, Miltone, pecora tibi ſunt, qui linguas multas callent, qui volumina plurima percurrunt, & qui multa ſcribunt. Qui nihil horum haberet, nec facere poſſet, quo loco tibi eſſet, aut in qua exiſtimatione, dic, Miltone? Hominem ſcilicet eum putares, eruditum, doctum, litteratum. Deus tibi mentem iſtam ſervet, dementem, in æternum. Interim ego malim pecus eſſe ad illud exemplar, quo Salmaſium deſcribis; quam doctus ſine litteris ad eum modum, quo eſſe dicis populum illum, qui nihil ſcit, niſi Reges ſuos ſecuri carnificis trucidare.

CAPUT II.

MAgnum opus ordiri parat Johannes Miltonus Anglus, & pro puſione ſane arduum. Si tantum ingenii viribus valeret, quantum ſe forma præſtare putat, haud ſcio tamen, an par eſſet oneri, cui ſubire voluit, & an poſſet implere quod tanto hiatu promiſit. Promiſit autem ſe evicturum non ſolum ſuis, ſed etiam ipſius Salmaſii teſtimoniis, & rationibus, nullam gentem, aut populum, qui quidem ullo numero ſit; nullam, inquam, gentem iſtiusmodi jura, aut poteſtatem, Regi concedere: qualem, conſenſu omnium gentium, quæ Reges habuerunt, conceſſam fuiſſe vult Salmaſius. Si ſuis autem argumentis id ſe probaturum polliceretur Miltonus, jactantiam ejus utique poſſem ferre. Sed cum illa ipſa teſtimonia, & rationes, quas attulit Salmaſius, ut ſummam Regibus poteſtatem attribueret, ſe adhibiturum eſſe profiteatur, quibus contrarium demonſtret, id vero neutiquam ferendum. Quem ſucceſſum hæc puſilli homuncionis arrogantia ſit habitura, jam videbimus. Salmaſius Regem definierat, eum eſſe, *cujus ſuprema eſt in regno, quod gubernat, poteſtas; qui nulli, niſi Deo, ſubjectus eſt; qui nemini, niſi Deo, actionum ſuarum rationem reddere cogitur; qui legibus ſolutus eſt; cui, quod libet, licet; qui leges dat, non accipit; qui omnes judicat, à nemine judicatur*.

dicatur. Cui definitioni, quæ omnia jura ferme comprehendit, in quibus ſumma, & Regia, poteſtas conſiſtit, ut plena ſit, & ſuis numeris abſoluta, heic etiam adjici velim, *qui unus plus, quam omnes, poteſt.* Hoc enim de eſſentia Regii regiminis eſt, ut unus poſſit plus, quam omnes. Nam ubi omnes plus poſſunt, quam ſinguli, popularis eſt adminiſtratio, non Regalis, nec Monarchica. De Monarchia autẽ loquimur, & quam Ariſtoteles Παμβασίλειαν appellat in Politicis, aut etiam abſolute Βασίλειαν. Cum ſic poteſtatem ejus, qui vere Rex ſit, definierit Salmaſius: non tamen intellexit immania quæque tyrannorum flagitia, Regum eſſe jura. Satis aperte de hoc ſententiam ſuam explicavit; ſi dignatus eſſet attendere Miltonus. Cum autem objiciat, his de rebus longe aliter iam pridem in aliis ſcriptis ſenſiſſe Salmaſium; vellem locum indicaret, ubi hac de re aliter, quam nunc, ſcripſerit. Quod autem ais, pretio corruptum mutaſſe ſententiam: huic calumniæ iam reſponſum, & ipſa per ſe ſatis ſe refellit. An plerique Anglorum etiam, qui Regi favebant, ab hac ſententia abhorruerint, cum ubique mentiatur, & nuſquam verum dicere in animum induxerit, haud ſcio, an hoc illi debeat credi: Hoc ſcio certe, jura, quæ habuere Reges Angliæ, non abhorruiſſe ab ea, quam poſuimus, poteſtatis definitione; ut oſtendit Salmaſius, & nos infra pluribus probabimus. Regi licere quod libet, cum noverca Julia Antonino Caracallæ, uti ad ſtuprum eum pelliceret, perſuadere conabatur, nihil dicebat, quod ſupra Regiam poteſtatem eſſe videretur: ſed non recte tamen ea illum uti poteſtate, & licentia, voluit; quam Reges uſurpare non debent in rebus turpibus, & natura ſua, hominumque opinione, illicitis. Si quis autem rem ex ſuo merito recte ſciat æſtimare, non plus per hæc verba, *quod libet, licet*, Regi poteſtatis, aut licentiæ, tribuitur; quam illis, quibus, *legibus ſolutus* eſſe dicitur, *à nemine judicari*, & *ſolum Deum habere judicem.* Hæc omnia eodem redeunt, ut & illud Salluſtianum, *Impune quidvis facere, id demum eſt Regem eſſe.* Nam certe, ſi Rex quidvis impune poteſt facere, etiam licere illi, quod libet, exiſtimandum. Et qui ab hominibus nec judicium, nec pœnam, timere debet; ſed ſolum Deum judicem habet, impune, quod libet, facit. Nec Salomonis alia fuit ſententia, cum ſcripſit de Rege, *Omne, quod voluerit, facere, & ſermonem illius plenum poteſtate eſſe, nec dicere ei quemquam poſſe, quare ita facis.* Ariſtoteles Regem, cui hoc nomen proprie competit Πάντα πράττειν κατὰ τὴν αὑτοῦ βούλησιν, dicit, in tertio *De Republica*; *Omnia facere arbitratu ſuo.* Eumdem ibidem docet. Πάντων κύριον ἕνα εἶναι, *Omnium Dominum eſſe*, cum *unus ſit*. Hoc eſt, unum plus poſſe; quam

quam omnes. Cicero, in *Philippica prima*, Antonio exprobrans, quod Regium dominatum affectaret, ita ait; *Illud magis vereor, ne, ignorans verum iter gloriæ, glorioſum putes, plus te unum poſſe; quam omnes, & metui à civibus tuis malis, quam diligi.* Chriſtus, in Evangelio, dicit Reges gentium κατακυριεύειν αὐτῶν, *earum dominos eſſe, eis dominari, poteſtatem in eas habere domini.* In Sacra ſcriptura Veteris Teſtamenti, ut ſcias Vetus cum Novo concordare, jam notavit Salmaſius populos, Regi ſubjectos, *ſervos ei eſſe* dici. Servus & Dominus relata ſunt, δοῦλος καὶ κύριος· ſi Reges κύριοι, id eſt *Domini*; ſubditi, ſervorum loco. Qui Dominus igitur eſt omnium; qui unus plus poteſt, quam omnes; qui omnia ex voluntatis ſuæ libitu faciens à nemine judicari poteſt, ſupra omnes eſt, & omnes illo inferiores; & ſic impune illi eſt, quodcumque facit, & quod libet, licet. Hæ juris Regii facultates omnes ita inter ſe nexæ, & copulatæ, tenentur; ut una ſubduci nequeat, quin reliquæ ruant: quia omnes ad eamdem vim poteſtatis, & juris, comprehendendam concurrunt; & hoc unum cunctæ reſpiciunt, ut illi, qui Rempublicam quocumque nomine gubernant, ſumma, plena, & plana auctoritate, nullique alteri poteſtati obnoxia, ea gubernatione fungantur. Quamobrem Salmaſius *hoc jus regale à jure gentium, vel potius naturali, originem habere* ſtatuit. Et quod ita ſtatuat, bellua eſt Miltono, non homo. Fortaſſe hic bellus homo neminem hoc nomine dignum exiſtimat, niſi qui æque ſit pulcher, ut ipſe ſibi eſſe videtur. Quidquid tamen ipſe ſentiat, nihil veritati detrahet, omnium ſæculorum approbatione, & omnium populorum conſenſione, confirmatæ. Ariſtoteles, in tertio *De Republica, Dubitari poſſe* ait, *cui tribui magis oporteat, aut expediat, ſummum dominatum in Republica, utrum multitudini, ſive populo, an ſolis divitibus, an optimis, an uni, qui cæteris bonitate præſtet, an vero Tyranno.* Nimirum vidit ille ſummus Philoſophus, cuicumque regimen civitatis ſuſcipiendum daretur, ſive populo; ſive ditioribus, ſive Optimatibus, ſive ſub unius imperium traderetur, illud debere eſſe cum ſuprema poteſtate conjunctum. Cicero, in Oratione *De Haruſpicum reſponſis*, talem populo Romano dat auctoritatem, quæ ſuperiorem alteram non agnoſceret. *Populus Romanus, cujus eſt ſumma poteſtas omnium rerum, ita juſſit.* Hinc Seneca in ſtatu populari *populum dominum* eſſe dicit, ibi populus eſt τὸ κύριον. Quis neſcit, eum, qui dicitur Dominus, habere pleniſſimam poteſtatem omnium rerum, & omne in perſonas ipſas, quarum Dominus eſt, imperium? Nihil eximitur à tali dominatione, ſive regali, ſive populari, ſive Optimatum. Sic domi ſuæ Dominus eſt paterfamiliâs, ut Rex

regni

regni ſui Dominus audit. Ideo *μοναρχικὴν*, & *οἰκονομικὴν*, poteſtatem eamdem facit Ariſtoteles; quod ad jus, & imperium attinet: ut ſupra dictum eſt. Idem regalem definit, ὅταν ᾖ πάντων κύριος εἷς ὤν· *Cum unus ſummam omnium rerum habet poteſtatem.* Et alio loco; Αὕτη δέ ἐστι, καθ' ἣν ἄρχει πάντων, κατὰ τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν, ὁ βασιλεύς· *In qua Rex omnium rerum habet ſupremum imperium, arbitrio ſuo moderandum.* Omnia Regis eſſe, & quidem jure proprietatis, oſtendit Propheta Nathan his verbis, quibus Davidem alloquitur; *Hoc dicit Dominus Deus Iſrael; Ego unxi te in Regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saülis, & dedi tibi domus Domini tui, & uxores Domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domus Iſrael, & Juda: &, ſi parva ſunt iſta, adjiciam tibi multo majora.* Et notandum in iſtis *Dominum Davidis* appellari Saülem, quia Rex fuit; &, quamdiu Rex fuit, etiam Davidis, & omnium Iſraëlitarum, Dominus erat. Multo etiam clarius Daniel ad Nabuchodonoſorem, omnia ejus, quorum dominator fuit, poteſtati ſubjecta eſſe dicit, his verbis: *Tu Rex Regum es, & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam, dedit tibi; & omnia, in quibus habitant filii hominum, & beſtias agri, volucres quoque cæli, dedit in manu tua, & ſub ditione tua univerſa conſtituit.* Nec alia mens fuit Patrum Eccleſiæ Chriſtianæ de poteſtate ſumma in res omnes, ac poſſeſſiones, & Dominico jure Chriſtianorum Regum. Auguſtinus, in Johannem I. Tractatu VI. *Nolite dicere, Quid mihi, & Regi? Quid tibi ergo, & poſſeſſioni? per jura Regum poſſidentur poſſeſſiones.* Nec alid ſenſit Ambroſius, *Commentariis in Lucam*, lib. 10. cap. 20. *Si tu non vis eſſe obnoxius Cæſari, noli habere quæ mundi ſunt; ſed, ſi habes divitias, obnoxius es Cæſari.* Nam per divitias, quas quis aut in agris, aut aliis in rebus, poſſidet, ſubjectus eſt Regi; qui ſummam omnium rerum poteſtatem, & dominium, habet. Idem Ambroſius contra Auxentium: *Si tributum petit Imperator, non negamus, agri Eccleſiæ ſolvunt tributum; ſi agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vindicandorum, nemo noſtrûm intervenit.* Inde eſt, quod & Regibus aliquando licuit, & cur non etiam hodie liceat, regnum, quod hæreditario jure poſſident, aliis relinquere, præteritis legitimis hæredibus; aut, ſi non habent, ad quemlibet extraneum ſucceſſione tranſmittere, vel etiam illud, dum adhuc in vivis ſunt, alteri dimittere. Sic Attalus, ultimus Pergami Rex, populum Romanum teſtamento regni ſui fecit hæredem. Noſtra ætate Franciſcus primus, ut ſe captivate redimeret, Comitatum Flandriæ, & Ducatum Burgundiæ, Carolo quinto dedidit; jure etiam ceſſit, quod in regnum Neapolitanum habuit. Qui partem poteſt dare,

poteſt & totum cedere. Tralatitium quoque hodie, ut in pactionibus fœderum, quæ inter Principes ſanciri ſolent, belli pace mutandi gratia, ſæpe ita conveniat, ut alter alteri urbe aliqua, vel caſtellis aliquot, vel etiam provincia tota cedat: ſæpenumero & permutationes invicem Provinciarum ſuarum faciunt; ut Rex Galliæ Henricus quartus Marchionatum Salluſſiæ permutavit cum Provincia Seguſianorum; illum tradidit Duci Sabaudiæ, hanc ab eo accepit. Hæc præcipue locum habent in regnis hæreditariis, quæ haud ſecus ferme poſſidentur à legitimis eorum rectoribus, ac patrimonium tenetur à quolibet patrefamiliâs. Non ſolum autem rerum, ſed etiam legum Dominus eſt ille; quem Regem vere appellamus. Et hoc addendum ad definitionem videtur, quam dedit Salmaſius, *Et qui Dominus eſt rerum, hominum, & legum.* Aliud enim eſt, *ſolutum eſſe legibus*, aliud *dominum eſſe legum*, τῶν νόμων κύριον. Poteſt enim aliquis ſolutus eſſe legibus, & tamen non habere poteſtatem legum condendarum. Penès quem arbitrium eſt legis figendæ, & refigendæ, legi abrogandi, derogandi, totam abrogandi, is vere legum dominus eſt. Euripides regimine Regali;

οὐκ εἰσὶ νόμοι
Κοινοὶ, μόνος δ' εἷς τὸν νόμον κεκτημένος.

Euphantus Pythagoreus Regem νόμον ἔμψυχον eſſe dicit. Plutarchus eum τῶν νόμων ἄρχειν. Idem ſcribit Dio Caſſius. Et ſane cum regalem poteſtatẽ ita definiat Ariſtoteles; ὅταν ᾖ κύριος πάντων εἷς, ὢν *quando aliquis omnium rerum ſummum habet dominium*: non etiam excipitur ſupra leges ipſas imperium. Secundum hanc poteſtatem, quam in ipſas leges habet, non poteſt ei metus judicii intendi, nec ullius criminis jure poſtulari. Hinc & Judæi de ſuo Rege dicunt, *non eum judicari*. Quia autem non poteſt ad judicium à quoquam vocari, neque de eo ſupplicium ſumere licet; ideo quidvis poteſt facere impune, &, quod libet, illi licet; reſpectu certe hominum, in quos imperium habet, reſpectu etiam ipſarum legum, quarum Dominus eſt, non reſpectu Dei, quo ſolo minor eſt, & quem ſolum habet judicem, & ultorem ſcelerum, quæ eſt commiſſurus. Non alia exiſtimatio fuit Perſarum de regali ſumma poteſtate, nullis legibus, nulli judicio, nulli ſupplicio obnoxia. Poſt cædem Magorum, cum ſeptem nobiles Perſæ, qui eos occiderant, de Rege eligendo deliberarent, in ea re conſultanda tres fuere diverſæ ſententiæ: una Otanis, quæ regnum prorſus abnuebat, ſed popularem ſtatum malebat; ſecunda Megabyzi, qui Optimatum regimen præferebat; tertia

tia Darii, qui formam regendi priſtinam reſtitui volebat, id eſt, regale imperium. Otanes, ut eos in ſuam ſententiam pertraheret, proponebat incommoda, & mala, quæ ab unius imperio erant ſperanda, & quæ jam experti fuerant ſub Cambyſe ultimo Rege, & ſub Mago, qui regnum uſurpaverat, à quo multas injurias paſſi fuerant. Inter alia igitur non ferenda, quæ propria ſunt regalis regiminis, hoc loco recenſet, quod Regi quidvis facere licet impune. Πῶς δὲ, inquit, ἂν εἴη χρῆμα κατηρτημένον μουναρχίη, τῇ ἔξεστι ἀνευθύνως ποιέειν τὰ βούλεται; *Et quomodo poteſt videri res perfecta unius dominatio, cum ei liceat impune facere quod libet?* Omnes etiam Græci auctores, Philoſophi, Oratores, Hiſtorici, hanc propriam notam Regalis imperii ponunt, & quæ omnino ſit de eſſentia hujus Monarchici ſtatûs, licentia faciendi quod libet impune. Hæc impunitas adeo adhæret omni gubernationi, quæ ſummum imperium habet, ut lege naturæ, & jure communi omnium gentium, omnino ſancita eſſe videatur. Abſque hac impunitate non poteſt conſiſtere ſummum imperium. Cujus veritatis ſenſus adeo omnibus hominibus à natura inſitus eſt, adeoque omnium ſæculorum uſus, & ratio ipſa, in omnibus gentibus eam comprobavit; ut ſi quando vel Rex, vel populus, vel Optimates, quorum eſt imperium, vice ſua munus obeundum alicui velint committere, non aliàs id credant recte adminiſtrari ab eo, cui commiſerint, poſſe; niſi ſummam quoque iis poteſtatem attribuant. Apud Romanos, ſtante Republica, qui mittebantur pro Conſule, vel pro Prætore, ad Provincias regendas, & exercitus ducendos, jus vitæ, ac necis, habebant, & omnia pro ſummo imperio gerebant. Quod idem ſub Imperatoribus obtinuit. Iidem quoque Imperatores, vice ſua, judicandi poteſtatem Præfectis Prætorio dabant; qui vice ſacra judicia exercere dicebantur, & ſine provocatione judicabant. In Græcia liberæ omnes civitates, & Reſpublicæ, cum bellum alicui ex civibus gerendum mandabant, ſumma poteſtate præditos mittere ſolebant, ita ut vitæ, & necis, in omnes milites arbitrium penès eos eſſet. Supremam hanc poteſtatem his verbis exprimit Ariſtoteles, κτείναι ἦν κύριοι. Reges Lacedæmoniorum cum in cæteris eam non haberent, in expeditionibus bellicis obtinebant. Enim vero nec Dux milites, nec Rex cives, alia ratione, in officio poteſt continere, & recte regere; niſi ſummum in eos habeat imperium, & nulli alteri imperio ſuppoſitum. Hollandi quoque noſtri, quamlibet à Regio regimine imprimis alieni, quos tamen in Indias ablegant Generalium nomine, ut vocant, hi, Regia plane poteſtate muniti, Provincias, & civitates, quæ eorum curæ cre-

dita

diræ ſunt, gubernant. Illi quidem, cum inde reverſi ſunt, rationem actuum ſuorum tenentur reddere iis, qui eos miſere; quia precariam hanc poteſtatem à Dominis ſuis acceperunt. Sic & rectores, & præſides, Provinciarum proconſularium, & Prætoriarum, quamvis in adminiſtranda Provincia ſui juris, & poteſtatis, eſſent, jusque gladii haberent, populo tamen olim, & poſtea Imperatoribus, ſubjecti erant: qui & rationem ab his repoſcere eorum, quæ geſſerant, poterant, ſi quid ſequius egiſſent; quia delegata hæc eorum fuit poteſtas,& fiduciaria. At Rex, qui eſt, ac dicitur, cui rationem reddet male geſtorum? Non habet enim ſuperiorem. A nemine miſſus eſt, non eſt cujusquam legatus, aut miniſter, nullius vices gerit, nullum habet poteſtatis ſuæ conſortem, &,cum aliter populum gubernare non poſſit, niſi hæc ſumma ſit, hoc ipſo ſupra leges eſſe debet, & legibus ſolutus, etiam quas ipſe fert. Et per hoc impune etiam ei facere licet, quod libet; quia nemo ſemet ipſum tenetur condemnare, ideo nec leges debet metuere, quibus alius teneretur, ſi ex ipſis condemnari poſſet. Hinc Harmenopulus, auctor juris Græcus, *legibus ſolutum* eſſe interpretatur, *nequaquam poſſe puniri.* Si non poteſt puniri, nec etiam in eum judicium capitis conſtitui. Auguſtinus dixit, *Nec multitudinem excommunicari, neque Principem populi.* In Principe populi, ſive Rege, totius multitudinis poteſtas eſt; quia plus unus poteſt, quam univerſa multitudo. Si puniri fas illum eſſet, eſſe etiam oporteret in regno ejus, & inter ſubditos ejus, qui majores illo eſſent. Quod non datur. Cum ipſe jus ſupplicium ſumendi de cæteris omnibus habeat: ſi & ipſe viciſſim ab aliis eſſet pœna jure afficiendus; ſic poteſtas ſumma, inter Principem, & ſubjectos, deſultorio more luderet, & alternis,modo ab illo in ſubjectos tranſiret, modo à ſubjectis ad illum rediret. Ex quo conſequi neceſſe eſſet, ſummam juris, & legum, & omnium rerum, confuſionem, perturbationem, & ἀναρχίαν. Quid igitur? lex ſupra Regem eſſe debet. At lex res eſt per ſe immobilis, & mortua; niſi ſit, qui eam exerceat, vim ejus exerat, &, ejusdem poteſtate armatus, id, quod illa jubet, exequutioni mandet. Sic ſemper oporteret eſſe aliquem, qui ex lege contra Regem ageret, ad judicium vocaret, de eo judicaret. Et hunc omnino etiam, Rege ipſo majorem, ac ſuperiorem, eſſe neceſſe eſſet; qui de Regis capite ſententiam ferret, & eum morti addiceret. Si eſſet aliquis, qui de Rege judicare poſſet, & eum condemnare, quomodo & ipſe punire alios jure poſſet? Alia omnia, quæ ſunt ejus generis, & juris, ſimiliter ſequerentur; ut viciſſim puniri & punire rex poſſet, judicare & judicari, ſervire & imperare. Dixit Auguſtinus, *Generale eſſe pactum ſocietatis humanæ, Regibus obedire.*

obedire. Perperam hoc dixiſſet, ſi tam ipſe obedire ſubjectis ſuis deberet, quam illi tenentur ei dicto audientes eſſe; ſi æque de eo judicare poſſent, ut ipſe de his judicat. Si denique ut ipſe poteſtatem habet in eos animadvertendi, ita ipſi quoque pari poteſtate eſſent præditi ſupplicium in illum conſtituendi. His, & ſimilibus, rationibus, & argumentis jura Regum, & prærogativas, nec tantum Regum, ſed omnium ſummorum Magiſtratuum, tam in Optimatum ſtatu, quam in populari Republica, Salmaſius aſſeruit. Judicia heic ante oculos poſuimus nobiliſſimarum toto orbe nationum, & maxime imperioſarum, Græcorum, Romanorum, Perſarum, Judæorum; quæ mira conſenſione hæc jura Regibus adſcribunt. Age nunc, Miltone, ſi potes, evince omnibus iiſdem argumentis, & probationibus, ut nuper es pollicitus, nullam eſſe, aut fuiſſe unquam gentem aliquo numero, quæ iſtiuſmodi jura, aut poteſtatem, Regi conceſſerit. Ita loquebaris initio hujus capitis; duabus vix paginis in medio relictis, heic fateris, *Paucos fere libertatem velle, aut ea poſſe uti, ſolos nempe ſapientes, & magnanimos.* Ergo gentes illæ, quas enumeravi, non fuere ſapientes, & magnanimæ; quæ talia jura, talemque poteſtatem, quæ ad ſervitutem homines cogit, Regibus attribuerunt. In ſingulis quot numero putas ſapientes reperiri poſſe. Si qui reperientur, illi ſane præſentem ſtatum ſemper mallent, quam mutationem. An tu ſolos in populo cupidos rebellandi pro ſapientibus habebis? Ita apparet. Fruaris tuo judicio, ac tali ſapientia, cum tui ſimilibus. Deinde heic ſtatim ſubjungis, *Partem longe maximam juſtos Dominos velle.* An putas libertati locum eſſe ſub Dominis, quantumvis juſti ſint? Libro ſuperiore tu nullos omnino admittebas Dominos, cum diceres, *Niſi Dominus tollatur, tolli Rempublicam.* Atqui omnibus illis populis, quos recenſuimus, Dominos fuiſſe docuimus, vel populum, vel Regem, vel Optimates; & nullam omnino ſtare poſſe rempublicam ſine Domino. An præter vos Anglos, qui Domini legitimi jugum excuſſiſtis, nullus eſt in terris populus ſapiens, & magnanimus, qui libertatem velit, aut ea poſſit uti? Atqui tu ipſe ſupra dicebas, non ſapientes apud vos magnanimum hoc facinus exequutos eſſe; *Deum enim eos, qui decreta ejus, in Reges hujus mundi potentiſſimos, exequantur, non multos ſapientes, aut doctos, non multos nobiles eſſe voluiſſe.* Vis ergo, nec enim aliud velle videris, paucos ſapientes, paucos doctos, & non multos nobiles fuiſſe; qui rebellionē iſtā machinati ſunt. Concedo tibi hoc totū. Sed hoc à te requiro, an exiſtimes, nullos nunc habere Dominos novā veſtrā Rempublicā. Si quærā ex te, quo loco ſit in illa veſtra Republica novitia Cromwellius; quid reſpōdebis? Auderesne illi viro in os dicere, quod ille nollet audire? Auderésne vel minimo de ſatellitibus ejus maledicere? Ad alia trāſeamus. Hîc dicis; *Deū nunquā univerſo generi humano tam infen-*

ſum

ſum fuiſſe; ut injuſtos, & intolerabiles Dominos ferendi neceſſitatem populis impoſuerit: neque ullum populum tam ab omni ſpe, & conſilio, derelictum; ut hanc legem, omnium duriſſimam, in ſe, atque in liberos ſuos, ſtatuerit. Hæc verba ſunt, ut ventoſa tua lingua illa ejectat, boni ſenſûs inania, & ſtrepitu tantum ſonora. De Deo primum tibi reſpondeo; nunquam fuiſſe generi humano tam infenſum, ut univerſi homines, eodem tempore, ſæviſſima injuſtorum, & intolerabilium, Regum premerentur dominatione. Sed modo his tamen, modo illis populis, prout illorum peccata ſunt, Reges dare ſolet ejuſmodi, qui eos omni ſeveritate gubernant, ut caſtigentur. Per Oſeam Prophetam ſic populum ſuum alloquitur; *Dedi tibi Regem in furore meo, & in indignatione mea* Ut populi pro delictis ſuis puniantur; bonos illis Reges eripit, & malos ſubſtituit. Per conſcientiam tuam, ſi ullam habes, rogo te, Miltone: Annon putas Deum infenſum Anglis fuiſſe, & iratum; cum optimum Regem illis abſtulit, & nequiſſimos, perditiſſimoſque, parricidas, loco ejus, regnare permiſit? Scio, te non eſſe tam bonum, & ingenuum; ut hoc confiteri velis. Omnes tamen, etiam te tacente, hoc loquuntur, & vident, ſi non ipſe vides; quia, cum cœcus lumine ſis, mente adhuc es cœcior. Eliud, apud Jobum, ſic loquitur, quod ad vos maxime pertinet: *Deus regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.* Tuam fidem, ſi fides eſt in te! an noſti majorem hypocritam, quam eſt veſter Cromwellius? Ego ſimilem, toto in mundo, ipſi non crediderim extare. Sed bona fide tamen dic mihi, vel qualicumque; Quid ſentias, de Neronibus, de Caligulis, de Domitianis, de aliis veteris ævi peſſimis Regibus, & tyrannis; de noſtri Demetriis, & aliis infinitis? unde putes, aut à quo, regnandi jus, & poteſtatem, eos accepiſſe? Annon à Deo? Nonne populi, quibus imperabant, diu eos tulerunt, quamvis maxime eſſent intolerandi? Certe populus nullus eſt, nec extitit, qui hanc unquam legem in ſe tulerit; ut ferre deberet Reges injuſtos, & tyrannice dominantes: tamen, cum tales contigit, ut habeat, debet eos tolerare; ut Judæi fecerunt, ut primi etiam Chriſtiani Idololatriæ reos, Paganiſmo addictos, Hæreticos, impios, moribus & vita improbos, vel propter boni ſui, id eſt publici, rationem tenentur eos ferre. Nulla enim unquam mutatio in bonum ceſſit populis rebellibus; etiamſi deteriorem meliore permutent. Sed de his adhuc erit infra dicendum. Quod ais de *natura, matre mitiſſima*, bultubata ſunt Nævii. An tu neſcis, iſtam naturam, aliorum eſſe matrem, aliorum novercam? Ineptus etiam es, nec tantum ineptus, ſed etiam impius; cum *omnem gentem humanam Deo eſſe dicis ſimillimam.* Homo ad imaginem Dei creatus; ſed non omne genus humanum Deo ſimillimum. Sic nefarii, & impii,

&

& Athei, quales vos eſtis, Deo eſſent ſimillimi. Nunc paras te, ut nos doceas falſiſsima eſſe, quæ Salmaſius poſuit de jure Regum, per eaſdem probationum, & teſtimoniorum, vias, quibus ea conatus eſt aſſerere. Seponis interim locum Salomonis à Salmaſio allatum; quo impunitatem aperte quod libet faciendi Regibus adſtruxit, & ad legem Dei nos provocas, & ipſum Deum audire nos jubes, Deuteronomii cap. 17. *Cum ingreſſus fueris in terram, quam Jehova Deus dat tibi, & dices, Statuam ſuper me Regem, ſicut omnes gentes, quæ ſunt circa me.* In his verbis tantum ponderis ineſſe putat infamis Miltonus, ut omnia argumenta, quæ allata ſunt, pro jure Regum facientia, quod legibus ſoluti ſint, quod ſupra leges ſint, quod Deo ſoli obnoxii ſint, hac ſola mole obruantur, & obterantur. Monet omnes; *Ut etiam, atque etiam, animadvertant, teſte hoc ipſo Deo, penès omnes populos, ac nationes, arbitrium ſemper fuiſſe, vel ea, quæ placeret, forma Reipublicæ utendi, vel hanc in aliam mutandi.* Si hæc omnia tibi concedamus, fatue: quid inde efficies, quo tua cauſa adjuvetur, & id probes, quod te demonſtraturum eſſe promiſiſti? Eſto, penès populum ſit arbitrium Regis eligendi. Hoc quidem neceſſe eſt, ut faciant, qui antea Regem non habuerunt, ſi habere velint, ut eligant; aut, ſi, ſtirpe tota extincta Regia, alterum ex alio genere capere deliberent; aut, ſi aliam formam Reipublicæ deinceps inſtituere cupiant, hæc omnia pendere à populi arbitrio certum eſt. Sed quomodo ex illo loco adſtrues, penès omnes populos, & ſemper, hanc poteſtatem fuiſſe Regis eligendi, aut ſtatûs Reipublicæ commutandi? Quam velint omnes attentiſſime, & diligentiſſime, animadvertant, perſpiciant, & penitiſſime introſpiciant, nunquam in illis verbis videbunt, quod tu, cum iſtis tuis lippitudine occœcatis oculis, videre heic te putaſti. Confecta res tibi eſſet, ſi poſſes oſtendere, hac una tantum ratione, Reges ſemper, & ubique, eligi ſolitos, populi nempe ſuffragiis: ſed an poteris negare alia regna jus armorum dare, alia ſucceſſionem, alia ſortem aliquando dediſſe: primam autem regnorum originem à paterna auctoritate in totum genus ab eodem ortu fluxiſſe. Demus hoc tibi, ut formoſum puſionem iratum non habeamus, non aliter regium dominatum conferri ſolitum; niſi per populi electionem. Quid tum fiet? An ex eo regalia illa, quæ commemoravimus, jura evaneſcent, & in fumos abibunt? Qui facit Regem, concedit etiam illi, ſine quo Rex eſſe non poteſt, nempe ſummum imperium, & illas omnes ſummi imperii appendices, ſine quibus non conſtat, quas ante diximus. Cum autem varii, & plures ſint modi, quibus regnum, & regalis poteſtas, in aliquem confertur, paria in omnibus jura Regi facto competunt, & æqualis omnino poteſtas tribuitur, ſive ſors, ſive jus armo-

rum, ſive electio populi, ſive ſucceſſio paterna regnum largiatur. Nobiles illi Perſæ, qui Magum, ſe pro Rege gerentem, poſt mortem Cambyſis interfecerunt; cum nemo ex Regiâ domo ſuperſtes eſſet, & liberum illis foret deliberare quam formam mallent regiminis, poſtquam, conſultatione ſuper eo habita, ſententiiſque dictis, ubi ſedit illis antiquum ſub Regibus ſtatum non eſſe mutandum, alia dubitatio inter eos orta eſt, utrum Regis novi eligendi arbitrium populi ſuffragiis, an ſorti permitterent. Ut ſortito fieret, placuit. Quocumque modo id factum eſſet, & tametſi populo poteſtas fuiſſet data Regis faciendi, ſua tamen jura ille retinuiſſet, & eadem omnia, quæ ſupra retulimus. Nam, ut jam dictum eſt, unus ex illis Proceribus, cum de eo conſilium haberent, dixit, unius imperium hoc proprium habere, quod ejus compoti quidvis liceret impune facere. Ita in præſidibus, & rectoribus, qui ad Provincias regendas, aut exercitus ductandos, cum ſummo imperio mittebantur, non fuit ulla eorum juris, & poteſtatis, differentia, quando à populo, aut quàndo ab ipſo Imperatore, eam dignitatem acceperunt. Sed tu, Miltone, mirificus es argumentandi artifex, cum id, quod Hebræis ſolis à Deo per Moſen præceptum fuit, ad alias omnes gentes trahere vis, & cum quod ſemel tum factum eſt, ſemper fieri ſolitum contendis. Qua ratione iſtud? Egregia ſane, & Miltono digna. *De Hebræis diſerte hoc dixit Deus*; *de reliquis*, inquit, *haud abnuit*. Accipe fabulam. Quatuor ſocii ſimul iter faciebant, unus illorum hominem in hoſpitio occidit, reliquis tribus dormientibus. Teſtis, in illum productus, diſerte dixit, eum id homicidiū feciſſe, de reliquis non abnuit; ergo illos tres etiam homicidas fuiſſe oportet, & cædis etiam debent poſtulari. Ne longius à re ipſa abeamus, hoc eodem argumento probari poſſet, cæremonias legales, & omne Judaïcæ religionis jus, quod à Moſe Hebræis præſcriptum fuit, cæteris quoque gentibus datum intelligi. Nam Hebræis diſerte hæc præcipit Deus, de reliquis non abnuit. Semel Judæi, cum antea Regem non habuiſſent, de Rege eligendo cogitarunt, & de forma Reipublicæ commutanda. Ubi ſemel id factum; ſucceſſione deinceps regnum in poſteros delatum eſt, & hunc ſtatum ſemper retinuerunt, & in eadem ferme domo, ſaltem in eadem tribu, quod ipſis à Deo injunctum fuerat, conſervare conati ſunt. Argumentum tuum valeret, ſi poſſes oſtendere, omnes omnino nationes, & ſemper, in conferendo regno hoc obſervaſſe; ut populi ſuffragiis Reges conſtituerentur, nec alio modo fas eſſet eos conſtitui. Non melius ratiocinaris, cum ex eo loco Deuteronomii arguis perfectiorem Reipublicæ formam eſſe, quæ ab Optimatibus regitur, quam quæ ab uno, quia talis Deo viſa fuit. Unde, aut quomodo id probas? Contrarium ex illis verbis Scripturæ elicitur, quibus Deus manifeſto

Judæis præcipere videtur, ut, ſimul ac terram Chananæam ingreſſi forent, Regem ſibi ſumant. *Cum ingreſſus fueris in terram Chananæam, & dices, Statuam ſuper me Regem.* Et certe plerique Rabbinorum eam ſententiam tuentur, ex tribus mandatis, quæ Hebræi facere debebant, poſtquam intraſſent eam regionem, primum hoc fuiſſe; ut Regem ſibi adſciſcerent. Si Deus improbaſſet hoc genus Regalis adminiſtrationis, nunquam paſſus eſſet Iſraëlitas ita gubernari, vel re, vel nomine. Nomen enim nihil facit; ubi res ipſa, quamvis alio nomine, eadem deprehendatur. Quis autem inficias ire poſſit, Iſraëlitas ſemper unius imperio fuiſſe ſubjectos? Quid Moſes? an aliter rexit populum in deſerto? an alia poteſtate ab Ægypto eum eduxit, ut in terram à Deo promiſſam eos induceret? Poteſtatem eam habuit primùm, quæ ſumma eſt, & maxima, in Regali ſtatu, legum nempe ferendarum; quam barbari *legiſlanciam* appellant. Idem religioni, & ſummæ Reipublicæ, præerat; quæ duo munia antiqui, & primi, Reges ſemper ſuæ curæ commiſſa habuere. Aaronem, ſummum Pontificem, quod Vitulum aureum petenti populo fabricaverat adorandum, ſevere corripuit. Aaron ipſe *Dominũ* eum *ſuum* compellat, Exodi cap. xxxii. verſu 22. *Ne indignetur Dominus meus.* Et Numerorum cap. xii. verſu xi. *Obſecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtulte commiſimus.* Huic homini nihil deerat omnino ad ſummam, & Regalem auctoritatem, niſi nomen. Ac ne hæc quidem appellatio defuit. Nam in Deuteronomio, cap. xxx. verſu v. diſertis verbis Rex fuiſſe dicitur. In hac poteſtate regendorum ſummo cum imperio, & plane Regio, Iſraelitarum, Moyſi ſucceſſit Joſue, & reliqui deinde Judices, uſque ad filios Samuelis. Exercitus in hoſtes ductabant, jus reddebant ſine provocatione. Nec legimus quidquam eos Synagogæ debuiſſe, aut in judicium vocatos eſſe; cum ipſi judicia in omnes Iſraëlitas ſuprema cum auctoritate exercebant. Quod maxime proprium Monarchiæ; ſinguli regnarunt, uſque ad Samuelis filios, ut dixi: qui & ipſi tamen non conjunctim imperium obtinebant, ſed ſeorſim ſinguli partem ſuam adminiſtrabant. Nam (teſte Joſepho, lib. vi. cap. iii.) major natu in Bethele urbe jus dicebat, alter minor in Berſabee, & ſic inter eos Samuel, pater, partitus eſt quaſi regnum, ſive Regiam adminiſtrationem. Nam ſcribit eos Joſephus accepiſſe, à patre, Samuel, τὴν ἀρχὴν, καὶ τὴν προστασίαν τοῦ πλήθους· & τὸ ὑπακουσόμενον nominat populum, qui eis erat ſubjectus: μερίσας τὸν ὑπακουσόμενον ἑκατέρῳ λαόν· *diſpertito inter utrumque populo, prout ſingulis ſubjectum eſſe voluit.* Et hi duo Judices manifeſto fidem faciunt, quàm ἀνυπεύθυνον, id eſt, nulli alteri poteſtati, aut judicio,

 obno-

obnoxium fuerit horum Judicum imperium: quia, cum luxurioſam vitam, & diſſolutam, agerent, &, pretio corrupti, judicia venderent, & intolerabiles populo eſſent, nemo tamen eos accuſavit, aut citavit ad curiam Synagogæ; populus tantum, eorum regiminis pertæſus, à Deo petiit, Regem ſibi dari, quomodo cæteræ vicinæ nationes haberent. Notandum non ſimpliciter Regem popoſciſſe; ſed ſimilem illorum Regum, qui vicinos ſibi populos dominabantur. Reges quidem fuere illi Judices reapſe, atque ita vocantur in libro Judicum (cap. xix.) quo tempore quaſi Interregnum fuit, & nullus erat Judex in Iſraël. Nam, poſt mortem Sampſonis, ceſſavit Judicum imperium, uſque ad Samuelem. *In illis*, inquit, *diebus nón erat Rex in Iſrael, ſed unuſquiſque, quod rectum ſibi eſſe videbatur, faciebat.* Reges, inquam, revera fuere illi Judices, Iſraëlitarum; nec etiam hoc nominis illis denegat Scriptura; ſed non erant ſimiles Regibus aliarum nationum. Non enim ſatellites, & ſtipatores, vel corporis cuſtodes habebant, non currus, non equos, non etiam diadema, ut cæteri Reges; & regali omni pompa caruerunt. Poſtularunt ergo Iſraëlitæ tales ſibi Reges à Deo, quales erant apud gentes, qui omnem oſtentationem, & magnificentiam regalem, præferrent, in ſatellitio ſplendide veſtito, & armato, in equorũ, & curruũ, & uxorũ, concubinarumq; multitudine, & alio omni paratu, qui deſcribitur à Samuele, cum eos à Rege cupiendo vellet deterrere. Joſephus nominat aurigas, curſores, corporis cuſtodes, eunuchos, equites, armorum, & machinarum fabricatores, unguentarios, mulieres piſtrices, & alios eiuſmodi Regum miniſteriales; quibus omnibus certum eſt caruiſſe illos Reges, qui, Judicum nomine, populum Iſraeliticum gubernabant. Atque hæc cum Samuel in illos Reges convenire dixerit, quorum ſimiles populus tunc ſibi Reges optabat; non eſt probabile illa, quæ habentur Deuteronomii ſeptimo, de Rege, quem Dei juſſu debebant conſtituere, ſimul ac pedem in terram Chananæan intuliſſent, eſſe intelligenda: ſed potius congruere Regibus iis, qui Judices appellati ſunt; quorum primus poſt Joſuam fuit Gothoniel. Nec enim veriſimile eſt, Samuelem, cum Saülem unxit in Regem, prætermiſſurum fuiſſe ea præcepta, quæ Deus per Moſem Regi, qui à populo eligendus eſſet, imponit. Illa præcipue, quæ de numero equorum, & uxorum, non multiplicando, & divitiis non amplificandis, tam expreſſe injuncta ſunt. Quæ adeo neglecta liquet à primis illis Regibus, qui poſt Samuelem fuere; ut ſtatim contra vetitum venerint in omnibus illis mandatis. Tertius certe Salomon, licet ſapientiſſimus Scripturæ teſtimonio judicatus, in tantum opes Regias auxit, tantam multitudinem uxorum, & equorum, habuit; ut vix ſit credibile. Et ea tamen Dei Scriptura narrat, ſine ulla reprehen-

ſionis

ſionis nota, aut peccati criminatione. Saül etiam, & David, primi Regum, ea omnia habuere; quæ ad pompam illam externam, & magnificentiam regalem, ſpectant. Nec omiſiſſet, ut dixi, Samuël, cum Saüli regnum ex Dei mandato contulit, monere eum de omnibus, quæ ſervanda præſcribit Regi futuro Moſes, circa magnum præſertim numerum equorum, & uxorum, & auri, argentique copiam. Poſtrema ratio, quam aſſert Moſes, ne hæc omnia facere debeant, quadrat in illud tempus, quo primus Judex conſtitutus eſt; non in eam ætatem, qua Saül Rex fuit deſignatus. Ideo quippe Regi interdicitur equorum multitudinem habere; ne populum in Ægyptum reduceret, equitatûs numero ſublevatus, ut diſerte ſcriptū eſt capite decimo ſeptimo Deuteronomii. Hanc rationem omiſit Joſephus. Et locus ei rationi magis fuiſſe videtur, recenti adhuc tum ab Ægypto migratione in regionem Chananæan; quā trecentis & amplius poſt annis, cum Saül Rex factus eſt. Poſt mortem Joſuæ, qui primus Rex fuit populi, poſtquam terram eam occuparunt Iſraelitæ, fuit intervallum aliquot annorum, quo alienigenæ Hebræos ſubjectos habuerunt; ut ſcribit Hieronymus ex Euſebio. Græci Chronologi eos annos τὰ πρεσβυτέρων ἔτη appellant, id eſt Seniorum; quia nullus Rex, aut Judex, fuit ſpatio decem annorum, aut amplius, ut alii ponunt, apud Hebræos. Primus Judex conſtitutus eſt, Regia poteſtate, non nomine, Gothoniel. Hi Judices, ut dixi, vere Regiam auctoritatem, & imperium, obtinuere, ſine ullo tamen faſtu, faſtigioque regali; cum nec equos multos haberent, nec ſatellites, nec uxores. Ideo optime in illos quadrat, quod in Deuteronomio legimus; &, quia primus eorum, haud longo tempore poſtquam pedem in terra promiſſa poſuiſſent Hebræi, conſtitutus eſt Rex, ſive Judex regali poteſtate, Reges appellantur in Judicum hiſtoria. Caret autem ratione; ut de illo genere Regum intelligatur, quorum primum, trecentis, & plus annis, poſtquam introducti ſunt Judæi in ditionem Chananæorum, creatum eſſe conſtat. Tum quia de illis mandatis cuſtodiendis, quæ Moſes tradidit, nulla mentio fit in Saülis inauguratione per Samuelem, quæ tamen non videntur fuiſſe omittenda. Quodcumque ſit, ſemper ſub Regio imperio fuiſſe Iſraelitas, poſtquam Chananæan tenere cæperunt, ſic ſatis probatū eſt. Priuſquam autem in Ægyptum venirent, paterno tenebantur imperio, eodemque Regio: ut illorum temporum regna ſemper etiam penès patres familiarum fuiſſe, aut natu majorem in familia filios. Ne altius aſcendamus, Jacobum arripiamus, qui primus cum familia ſua in Ægyptum deſcendit. Cum ei pater Iſaac benedictionē impertivit, quem credebat falſo eſſe Eſavum primogenitū ſuum, dat illi ea

benedictione, ut *ſerviant illi populi, & adorent eum tribus. Eſto*, inquit, *Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ*. Imperium ei, & dominationem Regiam, confirmat ſuper omnes ex eadem ſtirpe oriundos, tamquam majori natu: πρεσβύτατον τοῦ γένους vocat Ariſtoteles, qui & eumdem morem in Græciæ civitatibus olim obtinuiſſe memorat. Et Scriptura quidem ab ultimis deſcendentibus incipit, qui populi ſunt, & tribus, & ad proximos deſcendentes tranſit, qui ſunt fratres. Tanta vis autem fuit primogenituræ; ut, quamvis eam mutaſſet lentis ferculo Eſavus, & quamvis frater minor natu, ac ſi major eſſet, benedictionem à patre accepiſſet, nihilominus, cum, poſt patris mortem, Jacobus, è domo ſoceri, paternam repetens, occurriſſet fratri ſuo majori, eum, tamquam Regem ſuum, & Dominum, excepit, ſepties in terrâ proſtratus eum, cum tota ſua familia, adoravit; cum ipſe Eſavus Jacobum tantum amplexu, & oſculo, dicatur excepiſſe. Ex his, quæ heic poſuimus, liquet, ſemper Μοναρχίαν inter Iſraëlitas fuiſſe obſervatam, non Ἀριστοκρατίαν, ut Joſepho placet. Ille certe parum æquus fuiſſe videtur unius imperio; quod, ejus ætate, Judæi duriſſimam ſervitutem patiebantur ſub Romanis Imperatoribus, & ſub illis Regibus, & Tetrarchis, qui precario imperiũ obtinebant à Cæſaribus. Quod autem vult, in Ἀριστοκρατίᾳ Deum fuiſſe ἡγεμόνα, non video, cur magis ille dux, & præſes, exiſtimari debeat in Optimatum ſtatu, quã in Regio dominatu. Sed hoc fortaſſe voluit, in Principatu unum Regem eſſe veluti Dei vicarium, in Optimatu Deũ cenſeri, quaſi μόνον ἡγεμόνα: quia nullus ſit unus, qui vicem eius teneat, ut in regno. Potiorẽ eſſe dominationẽ, quæ à paucis, quã quæ ab uno exercetur, fuit Joſephi opinio; à quo graviſſimi multi auctores diſſentiunt: de quo infra erit diſputandi locus. Nec ſimpliciter heic dicit Miltonus, & abſolute, Monarchia perfectiorẽ Deo viſã eſſe Ariſtocratiã; ſed magis ex uſu populi ſui eã eſſe. Quod & falſum eſt. Sed, ſi verum, quid hoc ad reliquas gentes? Nugatur idẽ Miltonus, ut ex his, quæ jã docuimus, liquet, qui vult Monarchiã paucorum regimine eſſe deteriorẽ; quia Deo talis viſa ſit, & quia hanc formam inſtituerit, & Regiam, nonniſi ſero petentibus, Hebræis dederit. Dedit tamen tandem, & propterea non peſſimam judicavit. Sed quid dices de Abrahamo, cui Deus pro benedictione promiſit, Reges ab eo egreſſuros eſſe. Geneſis, cap. xvii. *Faciam te creſcere vehementiſſime, & ponam te in gentibus, & Reges ex te egredientur.* Annon jam tunc Reges inſtituit Deus, & probavit? De Iſaaco ſimiliter, cum ei benedicturus eſſet, promiſit Reges ex eo orituros: *Et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, eritque*

eritque in nationes; & Reges populorum ex eo orientur. Iſmaëli quoque benedixit; ſed ut minori, & ex concubina ſuſcepto: non Reges ex eo orituros pollicitus eſt, tantum duodecim Duces, ut Principes, generaturum prædixit. Hinc patet, quanto præſtantius Regum imperium, quam Ducum, vel Principum, ſive Optimatum, eſſe exiſtimaverit. Ideo non per Moſem edixit populo Iſraëlitico; ut Chananæan ingreſſi, Duces, vel Principes, vel Optimates, ad ſe gubernandū conſtituerent; ſed Regem. Si non probaſſet Monarchiā, & regnū, non ſemet ipſum *Regem Regum* appellari voluiſſet. Errat etiam Miltonus, cum heic ait, Deum id populo liberum reliquiſſe, ab uno, an à pluribus Reſpublica adminiſtraretur, cum nihil tale ex loco Deuteronomii, qui nunc eſt in manibus, ſignificetur. Simpliciter, & abſolute, Regē conſtitui debere illis mandat; *Cum ingreſſus fueris in terram, & dices, Statuam ſuper me Regem.* Hoc dicturi erant, Deo ipſo præcipiente, ut Regem crearent. Quod fecerunt etiam, clare oſtendit, non deliberaſſe utrum ſe à pluribus vellent gubernari, an ab uno. Nam ſtatim Judices, qui ſummo cum imperio, Regioque, Rempublicam adminiſtrarent, creaverunt, & quidem non plures ſimul, quam unum, quod eſt vere μοναρχικόν. Leges illi Regi poſitas eſſe voluit, quibus ipſe viveret, & populum regeret. Nihil de eo dubitandum, nec hæc quæſtio eſt; ſed an pœna legum teneatur, ſi eas non obſervet, quæritur. *Regi,* inquit, *futuro leges conſtituit, quibus cautum erat; ut ne multiplicet ſibi equos, ne uxores, ne divitias; ut intelligeret, nihil ſibi in alios licere, qui nihil de ſe ſtatuere extra legem poſſet.* Non id eos intellexiſſe certum eſt, qui contra leges eas, & multiplicarunt equos, & uxores, & divitias. Male utique fecerunt, quis negat? Contra mandatum Dei, quis nôn fateatur? Sed heic in quæſtione, Quid ei faciendum Regi ſit, qui legibus non obtemperavit? Miltonus diceret ſtatim in vincula eum conjiciendum eſſe, ex vinculis cauſam dicere debere, carnificem immittendum eſſe, ſecurim expediendam. Non ita Deus. Quid ille ergo? per Samuelem de Rege populo edixit; *Et vos illi ſervi eritis.* At ſervi de Domino non judicant, nec eum morti, ſi male vivat, & ſuperbe ipſis imperet, adjudicant. Notandum heic interim te mala fide, ſed tua, verba Joſephi citare, parte ſui mutila: ita non Reges tantum ſoletis obtruncare; ſed etiam auctores veteres, ut eos vi in ſententiam veſtram pertrahatis. Sic igitur Joſephum allegas: *Prohibeatur autem, ſi potentior fieri ſtudet, quam rebus veſtris expedit.* In Græcis ſic habetur; Κολυέσθω δὲ, εἴ τι πλέον διὰ σπουδῆς ἔχοι γίνεσθαι τοῦ συμφέροντος ὑμῖν δυναστώτερος· id eſt, *Prohibeatur autem, ſi quid horum ſtudio habeat, per hæc potentior fieri, quam vobis expedit.* Impediatur nempe vim auri, & argenti, immenſam acquirere, &

& multitudinem nimiam equorum ſibi comparare; quia ab iſtis ſuperbiam poſſet aſſumere, & ſupra leges ſe extollere. Hæc enim apud Joſephum præcedunt. Quæ tamen & ipſa à mente, & ſenſu, Scripturæ, illis locis, ſatis longe recedunt. Nihil enim tale in Hebraïco textu habetur. Primum de equis interdicit Moſes, ne Rex futurus copiam eorum magnam velit poſſidere, quæ ab Ægypto petenda erat. Nam Ægyptus equis generoſis abundabat. Deus autem noluit Iſraëlitas quacumque de cauſa in Ægyptum reverti. Septuaginta etiam Interpretes recte ſententiam Hebraïci ſermonis eo loco expreſſerunt; Ideo non debere Regem equorum numerum ſibi multiplicare, ne eos ex Ægypto accerſere neceſſe habeat, & ea gratia Iſraëlitas in Ægyptum mittat. Ὀυ δ' ὐ μὴ ἀποςρέψῃ τὸν λαὸν εἰς Αἴγυπτον, ὅπως πληθύνῃ ἑαυτῷ ἵππον. Deinde ſequitur de uxoribus, ne numeroſas velit congregare; & ratio additur; Ἵνα μὴ μεϑιςῇ αὐτῆ ἡ καρδία· Ne animus ejus, per eas, à recto, & honeſto, prava libidine avertatur. Quod Salomoni accidit. Tertiò, ne magnam vim auri, & argenti, colligat. Heic nihil rationis adjicitur, quamobrem divitiis accumulandis animum adjicere non debeat. Poſtremo ei præcipitur, ut totos vitæ ſuæ dies impendat meditationi legis divinæ, ut cuſtodiat omnia Dei mandata, & cæremonias, lege præſcriptas, diligenter obſervet, & ne ſupra fratres ſuos ſe ſuperbe efferat. Hæc ſi faciat, & à vetitis abſtineat, Deus illi promittit longum, & diuturnum, regnum: ſin ſecus, breve ſcilicet, & non diu duraturum. Quibus verbis planum eſt, Deum ſibi reſervare judicium de Rege, male, aut bene ſe gerente, in regni adminiſtratione; cum ipſe mercedem recte facienti proponat longam vitam, prave autem regnanti non diuturnam. Sic idem Deus in Decalogo liberis, patres, & matres honorantibus, longævitatem pollicetur, Idem porro eſt in Regibus regni diuturnitas, & vita longæva in privato. Nam Reges annos vitæ ſuæ enumerant per annos regni. Quantum autem detrahitur de vita Regis, annorum tantumdem de regni ejus temporibus demitur. Et hæc dierum abbreviatio, quæ peccatori à Deo pro pœna infligitur, mortem ante diem fatalem affert, & à Rabbinis fieri dicitur *Biri Schamajim*, *opera cœli*, & quaſi fari manibus. Joſephus illa verba Scripturæ permiſcuit, & confudit; ut ad eam, quam in animo habebat ſententiam de Regio ſtatu accommodaret. Præceptum autem, quo vetatur Rex, conſtituendus, ſupra fratres ſuos nimis ſeſe efferre, omnimodis convenit illis Regibus, qui ſub nomine Judicum, ut Judices, regnarunt. Modeſte quippe, & civiliter admodum, imperium exercebant, nec à privatis habitu, vivendi

vendi modo, & converſatione, multum differebant. Ut enim ſucceſſerunt Regibus illis, qui regnum, patris familiâs vice, obtinebant, nec cultu externo, & apparatu, diſtabant à veris patribus; ita nec iſti Reges, qui Judicum nomine imperabant, haud multum à privatis, ex tenore vivendi, & agendi ratione, diſcrepabant. At primi Reges, qui poſt Samuelem dominati ſunt, immo ille ipſe, qui ab eo omnino primus inauguratus eſt, ut nomine Regio, ita & nomini congruente vitæ genere, ſupra vulgus fratrum elati, ſplendorem, & magnificentiam imperio dignam, oſtenderunt. Quæ in re ſi præceptis Dei contravenerunt impune, quantum ſibi in alios licere crediderunt, qui de ſe, quod vellent, ſtatuere libere extra legem potuerunt, intelligi poteſt. Quinimmo, ſi etiam in gravioribus peccatis contra legem fibulas ſibi laxarint, nec eo nomine unquam poſtulati in judicio fuerint: ex eo liquet, non timuiſſe humana judicia; ſed juſtitiæ Dei reſervatos fuiſſe: Deo ipſo ita volente, & jubente. De Philone Judæo quæ attuliſti ad hunc locum, nihil magis faciunt ad quæſtionem, quam quæ ex Joſepho protuliſti. *Quod malus Rex ſit hoſtis patriæ, ad perniciem Reipublicæ natus. Quod Rex, & Tyrannus, contraria ſunt. Quod Rex non imperat tantum; ſed paret.* Si ſic haberetur apud Philonem, facilis eſſet explicatio. Rex enim paret, non populo; ſed legibus: idque non coactus; ſed voluntarius. Nam non parere poſſet impune. At populus parere cogitur. Niſi pareat, pœna ſequitur. Sed quid, ſi tibi oſtendo nihil tale apud Philonem reperiri, eo loco, quem citaſti, ex libro ſecundo *Allegoriarum*? Aut valde te impudentem eſſe oportet, aut valde in Græcis imperitum. Verba Græca ita legunt; Ὁ δὲ δεύτερος βασιλεὺς πρῶτον μὲν ἐκ ἐπιτάττει μόνον, ἀλλὰ πείθει. An hoc eſt, ut Latine reddidiſti, *Non imperat tantum, ſed paret*? Immo, Beſtia, vertendum tibi fuit, *Non jubet tantum, ſed perſuadet*. An putaſti idem eſſe ἐπιτάττειν, quod πείθεσθαι? Sed & in illo loco ejuſdem Auctoris, quæ citaſti ex libro *De creatione Principis*, ſi verba, quæ ſtatim apud eum ſequuntur, produxiſſes, quid ſenſerit de poteſtate ſuprema Regis, in Republica gubernanda, ut videremus, feciſſes. Sed quod non præſtitiſti, nos dabimus. Nam continuo poſt illa, quæ allegaſti, ait, principatûs, & imperii ſummi, ſpecimen in omnes fere vitæ partes ſeſe inſinuare, & pervadere omnes regendi formas, quæ ſpecie eædem ſunt, magnitudine tantum, & menſura, diſcrepant. *Quod enim Rex eſt,* inquit, *in Republica, hoc vici magiſter eſt in vico, in domo privata paterfamiliâs, in valetudinario Medicus, in exercitu Imperator, in navi navicularius:* ἐν πᾶσι δύνανται μὲν τό τε εὖ, καὶ τὸ χεῖρον·

Βούλεσθαι δὲ ὀφείλουσι τὸ ἄμεινον· *Qui quidem omnes poſſunt quod bonum eſt, & quod malum; ſed velle quod melius eſt debent.* Medicus primus in ægros, qui ejus curæ commiſſi ſunt, tale habet imperium, ut impune, quos curat, poſſit occidere. Plinius *nullam eſſe legem* ait, *quæ puniat inſcitiam eorum capitalem: Et nullum extare vindictæ exemplum. Ideo Medico hominem occidiſſe impunitatem eſſe ſummam.* Paterfamiliâs quæ poſſit domi ſuæ, vox ipſa, qua Græce Οἰκοδεσπότης appellatur, indicat. Latini, unica etiam voce, *Domnadium* appellarunt. Hoc loco Philo, τὸν οἰκίας δεσπότην. Inde Δεσποτικὰ imperia Ariſtoteli Aſiatica. Dux belli in exercitu necis, & vitæ, habet poteſtatē; Navicularius in navem, cujus dominus eſt, tantū habet poteſtatis, quantum paterfamiliâs in familiam ſuam. Hæ omnes imperandi, & gubernandi formæ, teſte Philone, pares inter ſe ſunt, quoad poteſtatem; διαφέρουσι μόνον μεγέθει, καὶ τῷ ποσῷ, *magnitudine, & quantitate.* Ariſtoteles dixit, πλήθει, καὶ ὀλιγότητι διαφέρειν, *paucitate, & multitudine.* Nunc & poſtea Philonem allegas, bene tibi proceſſit ejus auctoris citatio. Sic perge. Sed tandem tandem, poſtquam jam multa, ad rem nihil pertinentia, & tibi ipſi adverſaria, deblateraſti, quaſi ex ſtupore emerſus, & cœcitate tua perrupta, animadvertere cæpiſti, quid cauſæ proprium ſit, & ipſe tibi ſic objicis: *Vera ſunt iſta, dicet aliquis; verum, ſi ſecus fecerit, qua lege puniendus?* Quid ipſe tibi ad hanc objectionem reſpondes? *Eadem, inquam, lege, qua cæteri: exceptiones enim nullas reperio.* En cor Papiniani! En jecur Ulpiani! Quàm cito controverſiam decidit? Exceptiones nullas ideo reperis; quia quærere non vis. Sed jam ego inventas dedero. Interim quæro; Nihilne Miltonum inter & Cromwellium putas intereſſe? & an credas, ſi in eodem crimine ambo deprehenſi fuerint, Cromwellium ſimili pœna id luiturum, & eamdem legem ſubiturum ſine exceptione, qua Miltonus reus perageretur? Ego ſane vix mihi perſuadeo, ut credam. Si tu, Miltone, hominem de media plebe quemlibet occidiſſes, laqueo tibi cervices frangerentur. At vidimus impune tuliſſe Cromwellium, qui Regem ſuum nefario parricidio trucidavit. Quin, quod majus etiam eſt, ſceleris pretium regnum habet. Nunc ad rem: ſi nulla exceptio datur, ut lex non eadem ſit Regi, quam cæteris civibus, neceſſe eſt inde ſequi, ut omnes ſubditi pares ſint Regi, ut major Rex quolibet privato non habeatur, & nullus privatus minor Rege. Sic non minus in Regem quilibet ſubjectorum imperium ſummū habebit, quam Rex in privatos. In judiciū capitis vocabit Regē ſubditus, ut Rex ſubditū. Si adulteriū Rex commiſerit, aut homicidii poſtulabitur, eadem lege Julia quæ eſt De Adulteris,

conveniri debebit, ut alius quilibet è populo, in carcerem conjicietur, cauſam dicet ante Judices; ſi convictus erit, capite pœnas luet, ſi ſe innocentem probaverit, abſolvetur. Atque ita de throno in carcerem deſcendet, & iterum de carcere in thronum aſcendet. Dum Rex accuſatur, defenditur, & de eo judicium peragitur, quis interim regnabit? Si crimen fuerit, quod exilio mulctandum ſit, quoniam Rex eadem lege puniendus eſt, qua cæteri, Rex exulatum ibit. Quis interim regnum adminiſtrabit? Præſertim ſi relegatio ad tempus ſit. Finito exilii tempore, reverſus inde ſceptrum reſumet, & coronam, exul de Rege, de exule iterum Rex. Rex etiam verberibus per carnificem caſtigabitur, ſi quid dignum verberibus admiſerit; quoniam nulla eſt exceptio, quæ facere poſſit, ut alia lege cum eo agatur, quam cum viliſſimo capite regni ſui. Hæc ſunt ſcita novorum Sanctorum de Regibus, hæc ſunt eorum dictata; hæ regulæ ſunt novi Juris, quo ſuperſtitionem veterem abrogarunt, cum Reges accuſare, judicare, deponere, & carnifici tradere religio fuit. Qui hanc doctrinam tuentur, qualem Reipublicæ regendæ formam probent, difficile eſt dicere. Nam de ea, quæ per paucos adminiſtratur, idem omnino dicturi ſunt, ſaltem debent dicere, ſi modo conſtare ſibi velint, & conſentanea tali diſciplinæ opinari. Nimirum Optimates in eo ſtatu, qui ab Optimatibus regitur, pari jure cum cæteris eſſe debere, & eadem lege, qua plebis infimæ delicta plectuntur, puniendos videri. Et tamen nulla gens, aut Reſpublica, fuit bene morata, & legibus bonis fundata, quin in pœnis irrogandis rationem habuerit dignitatis perſonarum. Legibus Romanis, & Græcis, atque aliorum etiam populorum conſtitutionibus, ſemper in eodem crimine levior in honeſtiores pœna ſtatuta eſt; gravior in vilioris conditionis homines. Aliter liberos, & ingenuos; aliter ſervos puniri juſſit. Crucis ſupplicium ſolis ſervis deſtinatum erat. Verbera à tergo civium Romanorum leges Semproniæ, & Porciæ, removerant. Ne ſecuri quidem eum percuti voluere Romani, qui ſe Romanum civem diceret. Rectores Provinciarum, Proconſules, aut Proprætores, qui Provinciam erant depeculati, & deprædati, infinita flagitia, ſtupra, homicidia commiſerant, & injuſta judicia reddiderant, exilii pœna, aut in Inſulam relegatione, feriebantur. Inde illa Satyrici;

Exul ab octava Marius bibit, & fruitur Dîs
Iratis; at tu, victrix Provincia, ploras.

In omnibus denique publicis judiciis ſemper ejuſdem criminis rei minore pœna plectebantur, qui honeſtiores erant; majore, qui viliores. Lege Cornelia Teſtamentaria qui tenebantur, honeſtiores in Inſulam deportari lex jubebat, humiliores aut in metallum damnari, aut in crucem tolli. *Auctores ſeditionis, & tumultûs, vel concitatores populi, pro qualitate dignitatis*, ait

Pau-

Paulus, in libro Sententiarum, *aut in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur, aut in Inſulam deportantur*. Eodem auctore; *Qui fructiferas arbores ceciderint, ad tempus plerumque in opus publicum damnantur, aut honeſtiores damnum ſarcire coguntur*. Item; *Vinearum, olivarumque, incenſores; aut humiliores in metallum, aut honeſtiores in Inſulam relegantur*. Hinc Philo, in ea contra Flaccum, quiritatur, Judæorum, qui Alexandriæ commorabantur, Magiſtratus, juſſu ejus, eodem flagellorum genere ſectos eſſe, quibus cædi ſolebant privati Judæi, illius civitatis incolæ. Ut autem gradus perſonarum fuit ſecundum cujusque diverſam conditionem, & diſparem dignitatem; ita & diverſa quoque pœnarum genera gradatim, pro reorum qualitate, conſtituta fuiſſe liquet. Ita ſumma ſupplicia fere ſemper infimis, & viliſſimis perſonis, ſervisque, irrogabantur; ut crux, crematio, decollatio. Mediocres delictorum pœnæ erant; metallum, ludus, deportatio. Minimæ; relegatio, exilium, opus publicum, vincula. In Magiſtratu poſiti his ferme pœnis, quæ inter minimas deputabantur, plecti ſolebant. Quid ergo Reges, ſi pœnis ſubjecti fuiſſent, quo genere puniri eos oportuit? Sane minimis. Si leviores ſubinde pœnas imponendo, ejusdem criminis damnandis, prout erunt viliores, vel honeſtiores, quaſi per gradus aſcendamus, à ſervis ad ingenuos, ab ingenuis humilioribus ad honeſtiores, ab his ad eos, qui in Magiſtratu ſunt, ab infimis Magiſtratibus ad ſummos, poſtremo ad Regem, qui ſupremus eſt apex omnium dignitatum; ſic tandem conſtabit, eum, qui ſupra omnes Magiſtratus ponitur, & ſupra leges, in eadem noxa, pro qua graviſſime puniendus veniret infimæ plebis homunculus, Rex abire impunitus prorſus debeat; præſertim cum & multa ſint crimina publicorum judiciorum, quibus obnoxius eſſe non poſſit. In hoc ipſo crimine læſæ Majeſtatis, de quo nunc agimus, eadem ſervata eſt pœnæ differentia in honeſtiores, & viliores. Nam lex Julia de Majeſtate, qui rei eſſent Majeſtatis, humiliores beſtiis objici, aut vivos exuri ſanxit; honeſtiores capite puniri. Hac lege, Miltone, ſi tecum ageretur, vivi-comburio eſſes conſumendus, cum omnibus gregariis, & manipularibus, perduellis, & perfidi exercitus; Cromwellius, cum reliquis ducibus, tribunis, & centurionibus, ad furcas damnaretur. Rex autem hoc crimen incurrere qua ratione poſſet, non video; in quo ſolo eſt Majeſtas: niſi quis dicat, ſemetipſum contra ſe ſic peccare poſſe. Quod eſt abſurdum, & prorſus ridiculum. Hæ ſunt exceptiones, quas Miltonus, quia, cæcorum more, manu potius in quærendo uſus eſt, quam oculis, non potuit reperire. Non minus riſu digna eſt ratio, quam adducit idem parricidarum patronus; ut Rex videri queat eadem lege damnandus cum cæteris. *Sed nec*, inquit, *de Sacerdotibus, ſed nec de infimis quidem Magiſtratibus, puniendis*

les

Lex ulla ſcribitur; qui omnes, cum de iis puniendis nulla lex ſcripta ſit, pari certe jure, & ratione, poſſent impunitatem ſcelerum omnium ſibi vindicare: quam tamen neque eorum quiſquam vindicavit, neque ullam arbitror idcirco iis eſſe daturum. Intelligis, ut puto, parricida, de legibus Judæorum. Sed tam parum in his te intelligere video; ut non mirer, quod, ad cœcitatem mentis, Deus adjungere tibi voluerit corporalis luminis obcœcationem. Argumentaris autem, ut ſoles; hoc eſt, ſine ratione. Hoc tuum eſt argumentum; Nulla lex eſt, quæ mentionem faciat pœnæ Regi irrogandæ, nulla etiam lex, quæ nominatim meminerit, quomodo Sacerdotes, & infimi Magiſtratus, plecti debeant, cum tamen certum ſit, non impunitatem ſcelerum ſuorum ipſis fuiſſe datam; Ergo Rex puniendus eſt pari jure, ac Magiſtratus infimi, & Sacerdotes; quoniam nec de iſtis, ut nec de illo, ne ſupplicio afficerentur, lex excepit: At, ſi Rex pœnæ immunis eſt, quia lex non dicit, quæ pœna ſit afficiendus, æque & illi impune peccabunt, quoniam lex de eorum ſupplicio tacuit. Si tibi, Miltone, non alia ſuppetit probatio, qua vincas, Regem paria debere pati, & facere, cum ſuis ſubjectis, nihil obtinebis. Rabbini, qui ſunt Juriſconſulti Judæorum, in libris ſuis de Jure Synhedrii, aperte profitentur, Regem non judicari; ſummum Pontificem judicare, & judicari. Idem eſt de omnibus aliis Judicibus Hebræorum, tam Eccleſiaſticis, quam civilibus. Nam ſi judicium dabatur in ſummum Sacerdotem, tanto magis, & in cæteros Sacerdotes dari jus fuit, & in reliquos Magiſtratus. Rex vero, ſi nec judicari poſſit, neque teſtis in eum produci, impunitatem malefactorum jure ſuo ſibi vindicaverit. Morte luere lex jubet, ſi quis non obediret ſummo Pontifici, & Principi Senatûs, & ei, quem Deus conſtituiſſet ad regendum populum. Non paria igitur Rex aut facere debuit, aut pati, cum cæteris; quandoquidem nulla pœna indicta eſt Regi, qui vel legi inobediens fuiſſet, vel ſuo populo. Quod ſane debuit; ſi pari jure ſubjecti, cum Rege ſuo, uſi ſunt. Lex eſt in Levitico, ut, Qui mœchatus fuerit cum uxore alterius, capite luat. Hæc ad omnes Sacerdotes, etiam ſummum, lex pertinebat, & ad omnes, tam ſummos, quã infimos Magiſtratus, Rege excepto. Ecce enim! David adulteriũ commiſit, & tamen impunitus exit, & ipſe clare teſtatur, *ſe ſoli Deo peccaſſe*; id eſt, ſe Deum ſolum, judicem, & ultorem, hujus peccati habere. In eodem Levitico lex eſt, quæ mortis pœnam infligit illi, qui hominem percuſſerit, & occiderit. Ecce! idem Rex David hominẽ occidit; & judicium hominum non ſubiit, nec pœnam ex lege ſolvit, ſoli Dei judicio, & vindictæ, reſervatus. Salomon Adoniam interfecit, & Joabũ, cornu etiam altaris tenentẽ; & tamen nemo repertus eſt, qui illi dixerit, *Quare hoc feciſti*? Idolorum, & numinum externorũ, cultus Judæis inter maxima, & atrociſſima crimina, ſub

capi-

capitis pœna, prohibitus. Non minus omnes Sacerdotes, & populi Magiſtratus, hæc lex tenuit; quam omnes populares: ſoli Reges ab ejus pœna exempti ſunt. Quàm multi enim inter illos falſorum Deorum cultui addicti, & imprimis ipſe Salomon? Sed an Reges, inquies, non debuerunt legibus parere, & ea, quæ per Moſem populo Deus præceperat obſervanda, cuſtodire? Debuere ſane, & expreſſe Deuteronomii caput decimum ſeptimum ad Reges dirigitur, & præciſe his injungit omnia, quæ in lege continentur, ſervare; &, quo melius ea memoriæ infigi poſſent, & inhærere, manu ſua deſcribere, & toto vitæ tempore eadem meditari. Quæ deinde pœna ipſis proponitur parere detrectantibus? Nulla ab hominibus, ſed à Deo tantum ſperanda. Longa iis obedientibus in regno vita promittitur, & ſucceſſio poſteritatis in idem jus. Hæc merces eſt bene regnantibus, pœna ergo, contraria huic mercedi, male viventibus intentata, brevitas ævi, regnique, Ita, cum nullo eſſet pœna poſita liberis, parentes honore, ac reverentia debita, fraudantibus; pœnam Deus à ſe minatur, vitæ brevis: quam longam pollicetur, obſequium, & honorem, patri, & matri exhibentibus natis. Tu ad legem Dei nos provocaveras, ὦ πρόβατον, ut probares paribus pœnis Reges delinquentes obnoxios eſſe, ac cæteros: nunc quid ex illa lege concluſum habere poſtulas? *Hactenus*, inquis, *ex ipſa lege Dei didicimus; Regem legibus obtemperare debuiſſe, nec ſe præ cæteris efferre, qui etiam fratres ejus ſunt.* Non magnum ſane, nec rarum quid nos docuiſti: ipſa lex cuilibet legenti hoc ſignificat. Tu plus promiſeras? Cur nos hiantes deluſiſti? Hactenus nullum protuliſti teſtimonium ex iis, quæ à Salmaſio deprompta ſunt; quo demonſtrares contrarium ejus, quod ille voluerit inducere. Atqui hac ſpe nos lactaveras. Sed, ecce! non diutius nos fruſtrabitur. In eo eſt, ut fidem ſervet. Audiamus belluam. *Nunc*, inquit, *an quid aliud Eccleſiaſtes moneat, videamus*. Quid aliud? Dic primum ipſe, quid velis, aut quid intelligas. Proxime dixiſti, quod *Rex debuit obtemperare legibus*. An Eccleſiaſtis de hac re teſtimonium denuntias? Paulo ante poſueras, Regem, cum delinquit, eadem lege puniendum eſſe cum cæteris. Dic, Utram ex his propoſitionibus illo loco Eccleſiaſtis probare intendis? An utramq; eodem recidere exiſtimaſti; quia credis, Regem, non obtemperantem legibus, omni modo, eadem ſupplicia expendere debere cum quolibet ſubjectorum. Atqui hæc duo diverſa eſſe in Rege demonſtravimus, peccare, & puniri: peccantem, in leges, legibus punitum non fuiſſe oſtendimus. Tibi incumbebat contrarium probare. Nos noſtram ex illo Eccleſiaſtis loco contendimus confirmare. Tuum erat infirmare id ipſum ejusdem Eccleſiaſtis, & ex eodem loco petito teſtimonio. An id facias, verba ipſius jam do-

cebunt.

cebunt. Sic ille cap. 8. cap. 1. prout à ſunt citata: *Mandatum Regis obſerva, vel propter juramentum Dei, ne perturbate à facie ejus abito, ne perſiſtito in re mala. Nam quidquid volet, faciet. Ubi verbum Regis, ibi dominatio, & quis dicat ei, Quid facis?* An aliquid his diſertius concipi potuit, ad aſſerendam Regi, omnium, quæ dicat, aut faciat, impunitatem. *Nam quidquid volet faciet. Ubi verbum Regis, ibi dominatio. Et quis dicat ei, Quid facis?* Plusquam caballus, aut aſellus, in clivo laboraret vervecinum pecus; ſi hæc in contrarium ſenſum tenderet detorquere. Nam, ſi quidquid vult, Rex facit, nihil excipitur. Si nemo eſt, qui dicere ei auſit, Quid hoc facis? nemo eximitur. Quid ergo contra hæc pulchellus puſio? *Satis conſtat,* inquit, *Eccleſiaſtem hoc in loco non Synhedrio magno, non Senatui; ſed privato cuique præcepta dare.* Os hominis! An hæc præcepta ſunt, *Quidquid volet, faciet? Quis dicet ei, Cur hoc facis?* Rationes ſunt ex rei veritate ductæ, quibus præcepta illa, quæ dat omnibus, de Rege non offendendo, & ad iram non provocando, innituntur. Non eſt irritandus Rex, quia potens eſt facere quidlibet, & difficile eſt in eum dicere, qui poteſt morti addicere. Hoc ipſum eſt, quod Homerus dixit de Agamemnone, Iliad. β'.

Μή τι χολωσάμενος ῥέξῃ κακὸν υἷας Ἀχαιῶν.
Θυμὸς γὰρ μέγας ἐστὶ διοτρεφέος βασιλῆος·
Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι. ———

Satis, inquis, *conſtat, Salomonem non Synhedrio magno, & Senatui, hoc præcipere, ſed privato cuique.* Unde, aſine, hoc tibi conſtat? An quia Synagogæ, & Senatui, ſubjectum fuiſſe Regem Judæorum noſti? Quomodo hoc probabis? Nonne heic ipſe Salomon Abiatarem, ſummum Pontificē, à Sacerdotio removit, & in exilium miſit; ut privatus tum maneret? At nemo neſcit, quanta auctoritas fuerit ſummi Pontificis, & in Synhedrio, & in Senatu. Præterea, ſi Synhedrium, vel Senatus, prohibere Regem potuiſſet, ne faceret, quod vellet, falſo heic dixiſſet Salomon de Rege, *Omne, quod voluerit, faciet, & quis ei dicere poteſt, Quid facis?* Nam, ſi Synagoga, vel Senatus, hanc poteſtatem habuit intercedendi; ne Rex quæ vellet, facere poſſet, etiam privati per Synhedrium magnum, & Senatum, Regis voluntati obſiſtere potuiſſent. Agrum, aut vineam, ſi privato alicui Rex adimere conatus eſſet, ſtatim ille in jus vocaſſet Regem ad Senatum, vel ad Synagogam; quæ Regem id agere molientē impediſſet. Et cum Samuel prædixit populo, Regem, quem volebant, hæc facturum fuiſſe, & alia ſimilis violentiæ facinora, quæ eo loco commemorat, ſatis ei ipſi indicavit, nihil opis, aut auxilii, futurum talia patientibus à Rege in Synagoga, vel Senatu. Monet deinde Sapientia, *Regis mandatum obſervandum eſſe, vel propter juramentum Dei.* Hoc

eſt

eſt, quod Paulus præcepit; *Regi obediendum eſſe; non ſolum propter metum, ſed etiam propter conſcientiam.* Heic Miltonus, non præter ſolitum ſtultus, & ſtolidus, jubet mandata ſua obſervare, vel propter juramentum Dei. *At quis jurat Regi, niſi Rex viciſſim in leges patrias, ac divinas, juratus eſt?* Ego primum juratus heic poſſum affirmare, *juratus eſt*, pro *juravit*, non eſſe Latinum. Deinde etiam jurare poſſem, Reges Judæorum, cum in regnum ſuccedebant, non jusjurandum populo dediſſe, ſe leges patrias, & divinas, eſſe ſervaturos. Populi ſemper jurejurando ſeſe obſtrinxerunt, ſe fidem, & obedientiam, præſtituros Regi ſuo; non, contra, Reges populis jurabant. Tradit Ariſtoteles antiquorũ in Græcia Regum alios juraſſe, alios non. Jurisjurandi autem hanc formam fuiſſe; ut ſceptrum manu attollerent. Sed in Regibus Hebræorum altum de jurejurando ſilentium. Hoc tamen ſe reperiſſe putavit Miltonus apud Joſuam, capite primo: ubi Reubenitæ, & Gaditæ, obedientiam ſuam Joſuæ pollicentur. Verba hæc ſunt; *Ut dicto audientes Moſi fuimus, ita erimus tibi, modo & Deus tecum ſit, quemadmodum fuit cum Moſe. Conditionem*, ait Miltonus, *vides expreſſam.* Mentiris. Vides tantum mendacium tuum heic expreſſiſſimum. Quæ iſta tua, Miltone, mentis cæcitas, aut judicii perverſitas, aut animi improbitas; ut ſenſus affingas Scripturæ divinæ alienos contra expreſſam Dei ſententiam, quibus verbis claris, & diſertis, continetur? Votum eſt ex parte Gaditarum, & Reubenitarum, quo Joſuæ optant Deum faventem, & propitium; ut fuit Moſi. In verſione vulgari eſt; *Tantum Dominus Deus tecum ſit.* Clarius Græca; Πλὴν ἔϛω Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν μετὰ σοῦ. Pleriq; Interpretum de voto acceperunt. Nonnulli exhortationem eſſe maluerunt. Exhortatio eſt in fine, cum eadem vocula *Rach*: *Tantum fortis eſto, & viriliter age.* Græce; Μόνον ἴσχυε, καὶ ἀνδρίζου. Si conditio heic exprimitur, certe in priore illo verborum complexu ſic etiam erit interpretanda. Nam utrobique Hebræa particula *Rach* habetur. In priore, ut dixi, votum eſt: in poſteriore, exhortatio. Nemo Interpretũ pro conditione accepit. Et certe, ſtultum fuiſſet; ſi Gaditæ ſtipulati eſſent à Joſua, ut Deum haberet propitiũ, & tum demũ promiſiſſent, ſe illi futuros dicto audientes. Hoc ſoli fanatici Angli, & Enthuſiaſtæ, poſſunt ſtipulari, & promittere; qui Deũ ad juſſa quæcumq; paratũ, & promptũ, habent, & Spiritum Sanctũ ejus ita obſequentẽ, ut quo velint, mittant, & unde lubeat, revocent. Enimvero, ſi illi Gaditæ voluiſſent detrectare jugum Joſuæ, in os ei potuiſſent dicere; Tu Deum tecum non habes, ut habuit Moſes, nolumus tibi parere. Sic enim Angli ſuo Regi dixere; Tu Tyrannus es, obſequium, quod tibi, tanquam Regi, debebamus, jam recuſamus. Joſuas rurſus, ſi hanc ipſi Gaditæ conditionẽ propoſuiſſent, ut non aliter eſſent

parati

parati obedientiam præſtare, quam ſi ſcirent, Deum cum illo eſſe, nonne vel mentiri potuit, ita eſſe, ut eos alliceret? Quomodo illi in dubium id vocare potuiſſent, aut negare, quod ille affirmaſſet? Simpliciter igitur ſe illi ſubjectos eſſe declarant; ut in omnibus fuerant Moſi. Tantum optant; ut Deum ſimiliter habeat benignum,& benevolum,ſicut ille habuit. Sed,age,conditio ſit; non votum. Quid inde ſequitur? An id, quod voluit Miltonus? Reges populo juraſſe,ſe leges patrias, & divinas, ſervaturum. Sed eſto etiam juramentum? Quid hoc ad quæſtionem, ſi Reges tunc juraverint? Quæſtionis eſt; Si jurisjurandi fidem fefelliſſent, quæ pœna perjuros maneret? Nulla ab hominibus; ſed à Deo tantum. Nam & perjurium, ne in privatos quidem, vindicari lege Veteres ſcripſerunt: ſed Deo vindictam ejus relinqui debere. *Conditionem*, inquit Miltonus, *vides expreſſam. Alioquin ipſum audi Eccleſiaſten, capite nono; Verba Sapientum ſubmiſſa potius audienda eſſe, quam clamorem Dominantis inter ſtolidos.* Semperne tam ſtolidus eris, aut impius, ut Scripturæ Sacræ mentẽ detorqueas ad libidinem tuam, & verba ejus corrumpas; ut id, quod eam loqui vis, dicat? Deinde, etiamſi locus ille ita haberet, ut à te productus eſt, quid ad rem facit? Ligonem petebat, dedit ſarculum. Conditionem Joſuæ propoſitam aiebas à Gaditis, citra quam non ſe illi ſubjectos, & obedientes, futuros negabant. Ut hoc confirmet, audi, inquit, ipſum Eccleſiaſten dicentem; *Verba ſapientis ſubmiſſa magis audienda eſſe, quam clamorem Dominantis inter ſtolidos.* Quid inde, ſtulte, tu concludi vis? Sapienti cuilibet, leniter, & ſubmiſſe loquenti, parendum potius eſſe; quam Regi, aut Principi, qui dominatur, & clamat inter inſipientes. Cromwellium fortaſſe vis illum ſapientem eſſe, qui blandus eſt, & affabilis omnibus, & delinifica oratione utitur, & idcirco magis audiendum fuiſſe, quam Regẽ Carolum dominantem, & clamantem, inter ſtolidos. Hoc certe videris voluiſſe. Sed modo tu audias oportet ipſos Reubenitas, & Gaditas, illo Joſuæ loco; qui promittunt Joſuæ, ſe omnia, quę juſſerit, eſſe facturos, &, quocumque eos miſerit, ſe ituros eſſe. Poſtea adjiciunt; *Et quicumque rebellaverit tuo ori, & non audierit tua verba in omnibus, quæ præceperis ei, moriatur.* Ex quibus videre potes, quamvis cæcus ſis, quid poteſtatis, & imperii, in populum habuere Moſes, & poſt eum Joſuas, & poſt eum cæteri Judices. Quod ad locum attinet Eccleſiaſtis, quem modo citaſti; non dicit, Verba ſapientis ſubmiſſa potius audienda eſſe, quã Dominantis clamorẽ inter ſtultos; ſed lenem, & blandum, ſermonẽ ſapientis potius audiri, quã Dominantis, qui cũ clamore imperat ſtolidis. Nõ eſt in verbis Salomonis, *audienda eſſe*; aut *audiri debere*; ſed *audiuntur*. Λόγοι σοφῶν μετ' ἠρεμίας ἀκούονται μᾶλλον, ἢ κραυγὴ ἐξουσιάζοντος ἐν ἀνοήτοις·

Verba

Verba ſapientis cum lenitate, & ſuavitate, magis audiuntur, quam clamoſum imperium Dominantis. Hic ſenſus eſt veritatis Hebraicę. Huic ſententiæ affinis eſt, quæ ſequitur proxime; *Sapientia melior, quam arma bellica.* Item illud Comici; *Omnia prius experiri verbis; quam armis ſapientem decet.* Item illud Philonis de Rege, quem ait non ſolum ἐπιτάττειν, ſed πείθειν, id eſt, non pro imperio tantum *jubere*, ſed *perſuadere*, id eſt, ſermone blando, leni, & ad perſuadendum apto, uti. Quid ex proxime allatis Scripturæ teſtimoniis efficere voluerit Anglicus vervex, prorſus me latet, & ipſe etiam, ut opinor, id ignoravit. Non opus igitur erat ea torquere in alium ſenſum, mutare, & corrumpere; quia ne ſic quidem, ut ab eo inverſa ſunt, & perverſa, & perperam expoſita, quidquam illum juvare queant. Pergit ſuo modo interpretari locum Eccleſiaſtis. *Quid porro monet?* inquit. *Ne perſiſtito in re mala: nam quidquid volet, faciet.* Videamus, & rideamus ſimul ejus interpretamentum. *In malos nimirum faciet, auctoritate legum armatus. Nam leniter, aut ſevere, agere, prout volet, poteſt.* Ridiculũ morionẽ potius, quam interpretem! Rex, qui, ſecundũ eũ, legibus omnino adſtrictus eſt, qui nihil poteſt facere contra præſcriptum legum; is tamen omnia, quæ volet, faciet. At quilibet Judex pedaneus idem poterit, quod Rex magnus. Nam, legum auctoritate armatus, eam, quam leges præcipiunt, pœnam malefactis imponet; modo remiſſiorem, modo ſeveriorẽ. Certe non quidquid vult, facit; qui parere legi cogitur in ſuppliciis irrogandis. An hæc legum in puniendis maleficiis tam exacta obſervatio convenire etiã videtur cũ his, quæ continuo ſubjiciuntur; *Ubi verbum Regis, ibi dominatio: & quis dicet ei, Quid facis?* In aliis eſt, Διὰ τὸ τὸν λόγον Βασιλέως ἐξουσιαστικὸν εἶναι. Nihil imperioſũ eſt in verbis Regis, qui legibus ligatur, nec poteſtatẽ habet faciendi quod libet. Præterea non heic ſermo eſt de delinquentibus; neq; de ſupplicio delictis infligendo. *Perſiſtere in re mala,* non debet in eum ſenſum trahi. Monet primus Salomon, non temere, nec cum feſtinatione, recedendũ à Regis præſentia, propter aliquam, ſi forte, injuriam, ab illo acceptam. Μὴ σπεύσῃς ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύεσθαι. *Ne feſtines ab ejus facie recedere.* Sequitur protinus, Μὴ στῇς ἐν λόγῳ πονηρῷ. Quod quidam accipiunt, *Non ſtandum eſſe coram Rege, cum aliqua re mala*; id eſt, cum aliquo propoſito maledicendi illi, aut malefaciendi. Ratio ſubjungitur, Ὅτι ὃ ἂν θελήσῃ ποιεῖ. Non recedendum ab eo feſtinato, nec ſiſtendum coram eo, cum aliquo malo propoſito; quia vindicare ſe poteſt, quocumque velit modo. Si hæc complexus continuandum in unam ſententiam videbitur, hic erit ſenſus. Ne properes ab eo recedere, ne quid ex eo mali tibi eveniat;

quoniam

quoniam quid volet, faciet: Μὴ ςῆς ἐν λόγῳ πονηρῷ. Ne, ex feſtinata diſceſſione, aliquid malæ rei tibi contingat; quia quidquid volet, faciet. Salom. *Et quis dicat ei, Quid facis? Quis dicat?* id eſt, *Nemo dicat*; velut interpres Latinus, recte; nec quiſquam eſt, qui dicat ei, *Quid facis? Sed, ecce, legimus, qui auſus ſit Regi dicere, non ſolum, Quid feciſti? ſed etiam, Stultè feciſti!* inquit Advocatus parricidarum. Quis ille tanti ſpiritûs, & confidentiæ talis? Samuel nimirum. Nempe extraordinarius. Sed ait Miltonus ad Salmaſium, qui dixerat, *Quid extraordinarium in Saüle, & Davide?* Itidem tibi regero, *Quid extraordinarium in Samuele?* Vis dicam tibi, Miltone, quid differentiæ ſit? Saül, & David, Reges. Et hodie ſunt multi hoc nomine, & hac poteſtate. At Propheta nullus, qualis Samuel, aut illi, qui tunc temporis ita vocabantur. Immo reſpondit Miltonus; *Si fuit Samuel Propheta, ſunt & illi hodie; qui ejus exemplo faciunt. Ex voluntate Dei, vel expreſſa, vel tacita, agunt.* Bene mones, Miltone. Non credideram Prophetas eſſe Samuëli ſimiles; qui caput Regi ſuo amputarunt. Iſti etiam Angli Prophetæ, ut & illi, quos habuit populus Judæorum, agunt ex Dei voluntate expreſſa, vel tacita. Deus igitur iſtis Prophetis voluntatem ſuam expreſſit, ut in Regem ſuum arma caperent, eum captivum in carcerem duci juberent, & mox, eductum carcere, carnifici decollandum traderent. Iſti iidem Prophetæ, exemplo Samuelis, id fecerunt. Ubi aliquid tale Samuel egit? Ubi reliqui Prophetæ idem tentarunt? Enimvero, ſi illi Prophetæ fuerunt; veſtri, quos tales eſſe hodie dicis, tales non ſunt. Si vero iſti ſunt Prophetæ, nihil minus, quam Prophetas fuiſſe dicendum ſit; quibus hoc nomen dabat Iſraëlitarum natio. Prophetæ illi non populum incitabant ad rebellandum contra Regem ſuum, non ſeditiones in eum movebant, non illi arma inſerebant, non denique, quaſi ex Dei mandato, Regem bello perſequendum, & interficiendum, denuntiabant, nec capitis judicium in eum conſtituebant. Angli Prophetæ hæc omnia contra Regem ſuum meditati, & exequuti ſunt, rebellionem, judicium, carnificem, ſecurim. Cum tam diſſimiles ergo ſint iſtius generis Prophetæ illis veteribus, ut in totum alii eſſe videantur, certe & à diverſo Deo hæc profecta, eosque diverſo Spiritûs inſtinctu inſpiratos fuiſſe ſtatuendum eſt. Sed ut Diabolum ſuos Martyres etiam habuiſſe dixit Tertullianus, ita & ſuos Prophetas, iſtum nequitiæ, & impietatis, ſpiritum habere certa fides eſt. Et iſti ſunt, Miltone, tui Prophetæ, quos Samueli comparas; quaſi idem ſit Regi dicere, *Stultè egiſti*; & ſecurim carnificum ejus cruore tingere. Quæ duo ſi idem ſunt, concedam & ego tibi, tuos Prophetas Prophetiæ dono cum Samuele poſſe contendere, &, ejus exemplo, id quod egerunt feciſſe. Samuel Saülem, quod man-

data

data Dei non cuſtodierat, ejuſdem Dei monitu, increpavit, & ſtulte egiſſe dixit. Agebatur de re, quæ perniciem populo, non obſervata à Saüle, grandem creaverat; idque fecerat contra expreſſum Dei mandatum. Quid minus, aut levius, poterat illi dicere Propheta, præſertim à Deo ad hoc miſſus, quam quod dixit? Cæterum, quid poſtea, qualem pœnam illi ob neglecta Numinis juſſa denuntiat? Numquid populum ad rebellionem in eum concitat? An, Dei juſſu, arma adverſus illum capienda, ſolioque deturbandum ipſum hortatur? Nihil horum. Quod potuit, & quod debuit, fecit, punitionem peccati ſui à Deo illi minatus eſt, qui ſolus Regum judex eſt, & erratorum, quæ committunt, ultor, & vindex. *Stulte, inquit, egiſti, nec cuſtodiſti mandata Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum; ſed nequaquam regnum tuum ultra conſurget.* Hæc plane conſona iis, quæ in Deuteronomio habentur; ubi brevitas imperii, pro pœna, non cuſtodientibus Dei mandata Regibus proponitur. Redit ad locum Salomonis Patronus carnificum. *Prudenter igitur*, inquit, *Eccleſiaſtes hoc in loco monet privatos, ne cum Rege contendant.* Non ſane prudenter: ſed ſtulte, & ridiculoſe; ſiquidem verba ejus ita exponenda ſint. Quis privatus opus habet hac monitione Eccleſiaſtis; ne cum Rege contendat: cum nemo neſciat, vel duram eſſe cuilibet cum potentiore, vel ditiore alio privato, contentionem? *Privatos*, inquis, *monet.* Ergo neminem excipis. Nam quis non, ſub imperio, privatus, in comparatione ad Regem? Ipſi Magiſtratus, cum illo comparati, loco privatorum ſunt. Hinc, cum Xenophon *τυραννικὸν*, & *ἰδιωτικὸν, βίον* inter ſe comparat; ſub ἰδιωτικῷ etiam Magiſtratus, qui Tyranno parent, comprehendit. Cum vero creatio Magiſtratuum ad Regis jura pertineat, ut & eorumdem abdicatio in manu Regis eſt, ut de privato Magiſtratum facere, ita de Magiſtratu privatum: tanto ergo magis cavere debent Magiſtratus, ne Regem, durius enim increpantes, offendant; quam privati alii; quia, ex illius offenſa, privationem ſuæ dignitatis timere poſſunt. Inepte autem, & penè pueriliter, Sapientiæ Auctor tantopere exaggeraſſet ἐξουσιαστικὸν, & vim dominationis imperioſæ, ſpirantem in Rege ſermonem; ſi in privatos tantum exercendus foret. *Quid ergo?* ut paratragœdiari heic incipit Miltonus, *an Optimates, an omnes reliqui Magiſtratus, an populus univerſus, quoties delirare libet Regi, ne hiſcere quidem audebunt?* Immo, Miltone, ne te iratum ſentiamus, poterunt libere in Regem hiſcere, omnes iſti, quos dicis; ſed quid illo hiatu dignum ſint relaturi, neſcio, ſi Rex eos audire nolit: monere certe Regem poſſunt ſui Conſiliarii, aut Magiſtratus, ſi in regno

ad-

adminiſtrando aliquid ab eo titubatum ſit; ſed, ſi monitis aurem patientem recuſet commodare, quid facient? An eum cogent? An ſtatim ad illud extremum venient, quod Prophetæ Angli amplexi ſunt; ut cervices ejus à capite ſeparent? Apage, ſi fecerint, nullo jure id fiet, & parricidium committent. An tu neſcis, vel in Anglia tua, hoc juris Reges habuiſſe; ut quod utraque Domus Parlamenti, Procerum, & Communium, unanimi conſenſu decreviſſent, niſi Rex id approbaſſet, irritum fuiſſe, & legis vigorem non habuiſſe? Neq; ſane hac in re dictum Salomonis, & factum Samuelis, diſcrepant. Dixit ille, neminem Regi dicere audere, *Quid facis hoc*? Nempe cum effectu. Nam ſi parere monenti, aut increpanti, Rex nolit, nihil fit. Et fruſtra Samuel Saüli dicit, *Stulte egiſti*. Nam nec pœnám illi pro peccato, & pro eo, quod ſtulte fecit, inflixit, & non pretium ſtultitiæ reportaturum comminatus eſt. Quid de Optimatibus heic affers, de Magiſtratibus, de univerſo populo, qui ſic Regi, aliquid molienti, quod bono publico noceat, verba temere fundi tas? Quaſi Optimates, aut Magiſtratus, aut univerſus populus, non Regi æque ſubjecti ſint; ut quilibet è media plebe privatus. An Rex ſuperiorem aliquem, aut parem, in regno ſuo debet agnoſcere? An non unus plus poſſe debet, quam omnes? Nonne legum pœnâ ſolutus habetur? In judicium vocari non poſſe, nonne ſupra probatum eſt? Ergo ex his omnibus liquet Regi, neque Magiſtratus, neque Optimates, neque populum univerſum poſſe dicere, *Quid hoc facis?* aut, *Quare ita feciſti?* Quod de ſolis privatis verba Sapientiæ interpretatur Miltonus, agnoſcere in eo licet Jeſuiticę doctrinę expreſſam imaginē. Ita enim Bellarminus locum Gregorii Turonenſis, Chilpericum Regem ſic alloquentis, accipienda exiſtimat, de privatis ſolis, non de omnibus ſubjectis: *Hiſtoria* lib. ii. cap. vii. *Si quis è nobis, ô Rex, juſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, à te corripi poteſt; ſi vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi; ſed, ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronuntiavit eſſe Juſtitiam.* Non meliorem interpretem poteramus dare verbis Salomonis ſupra allatis, & qui melius confirmare queat omnia, quæ ſupra in hanc rem poſuimus. *Quis te corripiet, ô Rex, ſi juſtitiæ limites exceſſeris?* Ita Eccleſiaſtes, *Et quis dicet Regi, Quid facis?* At vult Bellarminus, & ex eo Miltonus, pari Prophetiæ ſpiritu animatus, *Gregorium ibi loqui de poteſtate, quam habent homines particulares ad cogendos Reges.* Atqui ea loquutus eſt Gregorius ad Regē, toto Concilio aſſentiente, & nemine illi obloquente; cum tantā tribueret, & tam effrænatam, Regi poteſtatem. Ne longius à linea abeamus, hoc idem jus Angli ſuo Regi ſemper tribuerunt, ut de factis ejus nemo ſubjectorum diſputare poſſet, aut eum corripere. Proceres, & Communes, Angliæ, in Parlamento convocato apud Lincolniam ſub Edvardo primo,

anno

anno cIↄ cc II, ita decreverunt, ut eſt in litteris ad Papam miſſis nomine totius Parlamenti, hoc eſt, Epiſcoporum, Baronum, & Communium, & quæ extant apud Thomam Walſinghamum; *Reges Angliæ ſuper Juribus ſuis in regno prædicto, aut aliis ſuis Temporalibus, coram aliquo Judice, Eccleſiaſtico, vel Seculari, præeminentia ſua dignitatis, & conſuetudinis, cunctis temporibus obſervata, nec reſpondebunt, nec reſpondere debebunt.* Ergo Regibus Angliæ hoc datum, haud minus, quam aliis, ut ſupra Judices omnes ſint, & Magiſtratus, tam Seculares, quam Eccleſiaſticos: nec à quoquam poſſunt corripi, redargui, in jus vocari, aut condemnari; cum aliquid eos ſequius feciſſe, manifeſtum fuerit. Et hoc ipſum eſt, quod ſcripſit Bractonus, loco jam ſuperius à nobis citato. *De factis ſuis*, hoc eſt, Regis, *nemo poteſt diſputare.* Quæ mox ſequuntur, Miltone, convitia tua, & maledicta in Salmaſium, nihil moror, & veſano tuo capiti conveniunt, qui mancipium es vile Cromwellii, & Tyrannidis ejus fautor, & patronus impius. De Regibus Orientis, qui ſummo jure, & imperio, in populos regnabant, & quorum ſimilem ſibi Regem dari optarunt Iſraelitæ, ſubjungit Salmaſius, quæ ad rem facere viſa ſunt. Primus reſpondet Advocatus latronum, nihil ad Anglos attinere, *qualem Regem Iſraelitæ voluerint.* Sane credo, nec multum laborare debuit, ut hoc mihi probaret. Quantum enim verbi divini auctoritati, præceptis, & exemplis, iſti homines tribuant, jam omnibus notum eſt. *Deinde*, inquit, *Regem injuſtum, aut legibus ſolutum petiiſſe, non eſſe credibile, qui Samuelis filios, legibus obſtrictos, ferre non potuerunt.* Profecto de Rege injuſto verum eſt, non eſſe veriſimile talem petiiſſe. Et quis hoc dixit? Non enim ipſi. Sed nec Samuel. Ipſi quidem non petierunt injuſtum ſibi dari; cum filios Samuelis ob hoc ipſum repudiaſſent, quod, pretio corrupti, judicia venderent, & venalem haberent juſtitiam. Quod ad Samuelem attinet, deterrere quidem eos voluit à Rege petendo: quia in longa Regum ſucceſſione contingere poterat; ut aliquos haberent injuſtos, & Tyrannice regnantes: ſed quod tunc peterent Regem injuſtum, aut quod talem ipſis Deus dare vellet, nullum in Scripturis veſtigium, nec in verbis Samuelis. Quod autem legibus ſolutum vellent, id ex eo apparet; quod, ad exemplum gentium, ſe regnari poſtulabant. At gentes, & quidē vicinæ Judæorum, nullos alios eo tempore Reges habuere, niſi legibus ſolutos. Quod etiam ais, Miltone, Iſraelitas ferre non potuiſſe filios Samuelis, qui legibus erant obſtricti, id falſum eſt. Quis te docuit, Judices illos, qui ante Reges in Iſraelitas dominati ſunt, fuiſſe legibus obnoxios? Nuſquam hoc ex Scriptura diſcere eſt, cum è contrario probari abunde queat, ſimili poteſtate cum Regibus regnaſſe, non Synhedrio reſpondiſſe, nunquam ad judicium capitis vocatos eſſe; idq; ipſum luculenter confirmatur

matur filiorum Samuelis exemplo: qui, cum injuſte judicarent, & diſſolute viverent, eo nomine, nec à Synhedrio in eos judicium conſtitutum fuiſſe legimus, nec à populo in jus vocatos. Tantum eos unanimiter reliquerunt, & in eorum locum Regem à Deo popoſcerunt. Poſtremo, ac tertio loco, quod Salmaſius ex Virgilio notat, non probare ait Miltonus, Reges Orientis abſoluta poteſtate regnaſſe. Cur non probat? *Apes enim*, inquit, *illa Virgiliana, quæ vel Ægyptiis, vel Medis, obſervantiores Regum ſunt; teſte tamen eodem Poëta, magnis agitant ſub legibus ævum.* Optima ratio, & Miltono digna. Apes vitam agitant ſub legibus: ergo non habent Reges. An illi populi, qui Regio imperio gubernantur, leges non habent? Cur igitur Reges legibus ſoluti ibi dicuntur; ſi nullæ ſunt leges, ubi ſunt Reges? *Non ergo*, inquis, *Apes vivunt ſub Regibus omni lege ſolutis?* Immo vivunt. Nam Reges Apum omnis operis ſunt immunes; ſi Phyſicis creditur. Hæ ſunt leges Apibus. Plinius: *Cum populus in labore eſt; ipſe opera intus circuit, ſimilis exhortanti, ſolus immunis.* Idem *Majeſtate eum armatum eſſe* dicit. *Mira*, inquit, *plebis circa eum obedientia.* Non ita Anglis circa Regem ſuum. *Cùm procedit*, eodem Plinio teſte, *una eſt totum examen, circaque eum globatur, cingit, protegit, cerni non patitur.* Idem paulo poſt; *Circa eum ſunt ſatellites quidam, lictoreſque, aſſidui cuſtodes auctoritatis.* Omnes Apes Rex ille in officio continet; ut ex his Virgilianis conſtat de iiſdem;

——— rege incolumi, mens omnibus una;
Amiſſo, rupere fidem. ———

Angli Regi ſuo incolumi fidem fregere, ut eum perderent, in eo, ratione carentibus animalibus deteriores. Plinius, de Apibus; *Duce prenſo, totum tenetur agmen; amiſſo dilabitur, migratque ad alios.* Idem ſcribit *eas ſine Rege eſſe non poſſe.* Recte igitur de his ſcripſit Poëta, Parthorum gentes, & Lydorum, non magis obſervare, & colere ſuos Reges, quam Apes faciunt ſuos. Ex re nota voluit probare minus cognitam. Nam cui non audita tunc Orientis populorum regna δεσποτικά? Hodieque talia ſunt. Ex Herodoto, Ariſtotele, & aliis antiquis Scriptoribus nihil notius. Servius, ad illum ipſum Virgilii locum, notat ex Salluſtio, *gentibus illis inſitam ineſſe ſanctitatem Regii nominis.* Sancte itaque colebant Reges ſuos, quos ſanctos habuere, neque facto, neque dicto ullo violandos. Contra ea, Angli Regis ſuis parricidas pro ſanctis habent. Quinimmo &, inter crimina Regi objecta à perduellibus, hoc ponitur; quod Sectarios illos, qui adverſus eum rebellarunt, non *Sanctos* vocare ſuſtineret, ut ipſi ſe nominari gaudent; ſed, Sectæ impiæ auctoris nomine, *Brwniſtas*. Duo igitur

ex

ex illis Poëtæ verbis probantur Parthorum Reges, & Lydorum, cum poteſtate abſoluta regnaſſe; quia à populis ſuis mira obedientia, quaſi ſancti, colebantur, & obſervabantur, nec minore obſervantia Apibus ſuos Reges fuiſſe cultos. Ecce aliud notabile crimen! quod Salmaſio impingit Miltonus, quo oſtendere ſatagit, non quidem nebulonem, *ut plerique judicant, eſſe Salmaſium, ſed perſonam tantum nebulonis mutuam ſumpſiſſe.* Gratias tibi pro Salmaſio maximas, Miltone, agere debeo, qui tam bene de illo exiſtimas, & tanti facis; ut nebulonem eum non eſſe velis, ſed tantum videri. Non idem de te ſentio, ſed plane nebulonem eſſe pronuntio, & hominem nequam. Quod iam dicturi ſumus, hoc evincet. Salmaſius, in Apparatu ad Primatum, Papæ doctores quoſdam Tridentinos deriſerat; qui Apum exemplo uſi erant, ut Monarchiam in Eccleſia probarent. Et merito ſane. Cum enim Eccleſiæ regimen non ſit Monarchichum, nec à Chriſto tale inſtitutum fuerit, rem ridiculam præſtabant illi Tridentini Patres; qui, Apum exemplo, Monarchiam Papæ in Eccleſia aſſerebant. Tyrannidem potius iſtam eſſe Monarchiam Papalem, totam ex uſurpatione conflatam, quam verum, ac legitimum regimen Regium. Apes quidem Regem habere, ſed innocuum, & aculeo carentem, qui non verberaret, non vellicaret, non necaret apes ſibi ſubditas. Quid, homo ſtulte, in his reperiſti, quod vel tenuem nebulonis umbram præferet? Niſi ipſe nebulo eſſes verus, ac germanus, nunquam ea ſcripſiſſes, quæ tam bono ſenſu carent, & à veritate ſunt alieniſſima. Quid enim hæc ſibi volunt? *Minime igitur mirum, ſi ita obſervant.* Et item iſta? *Iſtas mehercule apes mala ave tibi tactio erat: Tridentina enim licet ſint, fucum te eſſe indicant.* Immo hæc omnia te animal eſſe brutum, & apibus, fuciſque, de ſenſu communi, & ratione, non eſſe comparandum. Quid autem heic, & in Apparatu, contrarium ſibi dixit Salmaſius? Locum Virgilii heic adduxit, non propter Apes, nec ut earum regimen Monarchicum eſſe adſtrueret; ſed ut obiter oſtenderet, gentes illas Orientis Regibus ſuis fuiſſe addictiſſimas, devotiſſimas, & obſequentiſſimas. Quod & Poëta verſibus illis clare ſignificat, quibus Apum venerationem, & amorem, quo Reges ſuos proſequuntur, majorem etiam eſſe fatetur, quam quanta ſit illorum Aſiaticorum populorum circa Reges ſuos. Idque etiam ad eum locum ex Salluſtio confirmat Servius his verbis: *De illis autem gentibus Salluſtius dicit, adeo iis ingenita eſt ſanctitas Regii nominis; ſed Apes populos illos amore circa Regem ſuum ſuperare dicit Virgilius,* Ibidem verbum *obſervare* exponit *venerari.* Sed tu, parricidii patrone, qui improbas de illo loco Virgiliano Salmaſianam ſententiam; ut etiam nebulonem ea gratia appellare geſtias, quid tibi videtur de Apũ Republica? Qualem eius formam tibi placet eſſe; An popularem? Atqui

populus

populus in ea non dominatur, ſed Rex. An ſub Optimatibus? Nuſquam Optimatū, aut Procerum, in ea deſcribenda mentionē faciunt Phyſici; ſed tantum Regis, & populi, Regis, & plebis. Quem Regem & *ducem*, & *imperatorem*, vocat Plinius. Regalis igitur ille in Apibus ſtatus, & quidem adeo Regalis, ut ſine Rege non vivant, Regem venerentur, colant, & diligant; multo etiam magis, quam Medorum, Parthorum, & Lydorum gentes. Sed ut ſolent illi, qui non ad amuſſim lapidem dirigunt, ſed ad lapidem amuſſim corrigere conantur, ita heic fecit Miltonus. Quia enim Virgilius Apum Regale regimen Aſiaticorum regnorum ſtatui aſſimilavit, circa obſervantiam, & amorem; quo Reges ſuos colunt: cum ipſe imbiberit, Apum eſſe Rempublicam popularem, quæ non à Rege, ſed à lege regnabit; ideo & Aſiaticas illas nationes voluit tales habuiſſe Reges, qui, ſecundum legum dictata, publicum ſtatum gubernarent. Et, quod magis mirum eſt, certioremque ejus prodit imperitiam, Ariſtotelis etiam auctoritate tueri contendit hanc falſam, & ineptam, aſſertionem. *Ariſtoteles autem*, inquit, *rerum Politicarum ſcriptor diligentiſſimus; Monarchiæ genus Aſiaticæ, quod & barbaricum vocat, κατὰ νόμον, id eſt, ſecundum legem, fuiſſe affirmat.* Certe auctor ille rerum civilium diligentiſſimus; ſed tu mentis ejus, & verborum, interpres negligentiſſimus, & ſtultiſſimus; Aſiaticæ Monarchiæ genus, quod & βαρβαρικὸν nuncupat, κατὰ νόμον quidem fuiſſe dicit; ſed non ſecundum legem, vel per leges, gubernatum, ut tu videris velle, intelligit. Legitimum quippe, & νόμιμον, fuiſſe ſignificat; quia ex voluntate populi erat, non ex uſurpatione, nec per vim obtineri ſolitum. An tu negabis Ariſtotelem dicere ibidem, hoc genus ſingularis imperii, quo regebantur Aſiæ, & Orientis populi, plane δεσποτικὸν fuiſſe? hoc eſt, quale ſolet eſſe Dominorum in ſervos? En tibi ipſius Philoſophi verba, ex III. *De Republica*, cap. XIIII. διὰ γὰρ τὸ δουλικώτεροι εἶναι τὰ ἤθη φύσει, οἱ μὲν βάρβαροι τῶν Ἑλλήνων, οἱ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν τῶν περὶ τὴν Εὐρώπην, ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχήν· *Quia barbari ſervili magis ingenio ſunt quam Græci, & Aſiatici quam Europæi, ideo dominatum deſpoticum ſerunt.* Poteſtatem illam, qua dominatio deſpotica, qualis eſt Dominorum in ſervos, utitur, Tyrannicæ ſimilem idem eſſe ait ibidem. Cæterum eſſe κατὰ νόμον· quia volentibus imperant, non, ut Tyranni, nolentibus, id eſt legitimam, & juſtam. Si interpreteris *ſecundum legem*, ut placet Miltono: quomodo poterunt hæc duo contraria ſimul conſiſte-

re; ut Tyrannica ſit poteſtas, & tamen ſecundum legem adminiſtratio procedat? In Rebus enim publicis, ubi νόμος eſt κύριος, *lex* eſt *Domina*, ſecundum legem adminiſtratur illa Reſpublica; ſive ſub Rege ſit, ſive ſub Optimatibus, ſive à populo regatur. Idem Ariſtoteles; lib.III. cap. XI. Ὅτι δεῖ κυρίους εἶναι τοὺς νόμους κειμένους ὀρθῶς· τὸν ἄρχοντα δὲ, ἄν τε εἷς, ἄν τε πλείους ὦσι, περὶ τούτου εἶναι κυρίους, περὶ ὅσων ἐξαδυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς· *Quod leges dominari oportet recte conſtitutas, ſive unius ſit imperium, ſive plurium; hos autem arbitrium, & poteſtatem, habere eorum tantum, de quibus lex non potuerit aliquid ſtatuere.* Sed hæc locum non poſſunt habere in ullo ſtatu, ubi unus eſt κύριος, & quidē δεσποτικῶς, & τυραννικῶς, imperitans; nam ſupra leges eſt, & ut eſt κύριος τῶν πάντων, *Dominus omnium*, ita etiã legum. Quod ſemper obtinuit in Aſiaticis, & Orientalibus omnibus imperiis, quæ δεσποτικὰ, & Tyrannicis ſimilia, fuiſſe tradit Ariſtoteles. Cujus mentem quomodo aſſequutus ſit Miltonus, in recenſendis Monarchici imperii variis formis, videamus. Hæc verba ſunt parricidarum defenſoris; *Immo, cum Monarchiæ quinque ſpecies enumerat, quatuor ſecundum legem, & ſuffragante populo, fuiſſe ſcribit; Tyrannicas autem, quod iis tanta poteſtas, volente licet populo, data erat: regnum vero Laconicum maxime regnum videri; quod non omnia penès Regem erant.* Miram heic deprehendere eſt hominis nequiſſimi juxta, & imperitiſſimii, in ſententia Ariſtotelis referenda pravitatem ſimul, & inſcitiam. Primum, ut iſtas quinque ſpecies à Philoſopho dicit enumerari, ambiguum eſt ex verbis, quibus hoc memorat, quot ſint, & plures omnino videntur eſſe, quam quinque. Nam, ecce! quatuor ait ſecundum legem, & ſuffragante populo, ab Ariſtotele poni. De ſuffragiis populi nihil ille habet, niſi quod dicit, ejus generis regni, quod eſt Ducatûs militiæ ad vitã, duas ſpecies eſſe, unam, quæ ſucceſſione à patribus in natos tranſit, alteram αἱρετὴν, hoc eſt, ſuffragiis populi dari ſolitam. Nihil tale de imperiis Orientis populorum ſcripſit, neque de Heroicorum temporum Regibus; neque etiam de Laconicis. Nam omnes iſti Dominatus Regii non ſuffragio populi dabantur; ſed omnes erant hæreditarii, & πατρικοὶ, ut vocat Ariſtoteles. De Æſymnetis, quod nomen Regalis ſtatûs fuit Antiquis Græcis, hoc etiã tradit fuiſſe genus μοναρχίας, Tyrannicæ ſimilē, unde αἱρετὴν τυραννίδα, *Tyrannidem ſuffragante populo deferri conſuetam* appellat. At bonus vir, Miltonus, quatuor illas ſpecies Monarchiæ, Ariſtoteli memoratas, ſuffragiis populi tribui ſoli-

tas ſcribit; quod eſt falſiſſimum. Nec minus falſum, quod Tyrannicas omnes à Philoſopho appellatas hoc loco notat. Nam de ſolo Æſymnetico imperio veterum Græcorum, & de Deſpotico Aſiaticorum populorum, dicit Tyrannidi proximam poteſtatem habuiſſe, κατὰ νόμον tantum fuiſſe. id eſt, ἔννομον, *legitimam*, & *juſtam*; quia in volentes exercebatur. De Laconica autem regnandi forma, & de Heroica, nihil ſimile ſcripſit, & longe aberant à Tyrannica poteſtate, præcipue Laconica. Cur igitur eam inter Tyrannicas numeras? ſi comprehendiſti illam quatuor priorum generũ Monarchiæ numero, falſo omnes illas quatuor Tyrannicas ab Ariſtotele vocatas aſſeris. Nihil enim minus, quam Tyrannica, quæ apud Laconas erat. Nec hoc Ariſtoteles dixit: Τυραννικὴ dominatio erat Κυρία πάντων, domina rerum, hominum, legum omnium. At Λακωνικὴ, teſte eodem Sopho, non Κυρία πάντων· Nam jus vitæ, & necis, non habuit; niſi in bellicis expeditionibus. Sin vero ſeparas Laconicam regnandi formam à quatuor prius nominatis: jam non quinque ſpecies μοναρχίας ab Ariſtotele recenſitæ fuerint; ſed ſex. Nam hæc erit quinta, quum ſexta ſequetur, quæ Παμβασιλεία ab eo proprie nominatur. Sed qui hoc in animum induxeris, omnes Reges Tyrannos eſſe, haud mirum eſt, ſi Laconum Reges, quia ſic vocabantur, in cenſum Tyrannorum, ac numerum, revoces. De Laconico, quaſi verbis Ariſtotelis, ſcribis, *Maxime regnum videri, quod non omnia penès Regem erant.* Nihil magis alienum dici poterat ab auctoris mente, ac ſententia; longe aliter quippe tinnit in ſua lingua. Et tu merus impoſtor es. Dicit ille, Laconicam regnandi formam ex illis maxime videri eſſe, quæ ſecundum legem ſunt, non omnium tamen poteſtatem habere. Ἡ γὰρ ἐν τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ δοκεῖ μὲν εἶναι βασιλεία μάλιστα τῶν νόμων, οὐκ ἔστι δὲ κυρία πάντων· *Imperium, ſive principatus, in Laconica Republica videtur quidem maxime eſſe Regalis ex illo genere regnorum, quæ legitima habentur, non tamen penès eam formam omnium poteſtas eſt.* Ut Miltonus ea Latine concepit, debuit in Græcis ita legi: Καὶ ἐν τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ, δοκεῖ εἶναι μάλιστα βασιλεία, ὅτι οὐ κυρία πάντων ἐστὶ· Sic enim reddidit; *Regnum vero Laconicum, maxime regnum videri, quod non omnia penès Regem erant.* In quibus perfidus ille duplicem fraudem admiſit. Non enim ſimpliciter, & abſolute, dixit Ariſtoteles Laconicum regnum maxime regnum videri. Sed videt maxime regnum eſſe ex illo genere regnorum, quæ κατὰ νόμον gubernantur. Deinde non id pro cauſa adfert, quod

quod maxime regnum videatur, quia non habent Dominatum in omnibus. Contrarium omnino vult, unam rem obſtare, ne proprie regnum eſſe videatur, quod nimirum non ſit penès ejusmodi Reges ſumma in omnibus poteſtas. Sic enim verba ejus ſonant. *Laconica quidem Republica imperium maxime videtur eſſe ex illo regnorum genere, qua* κατὰ νόμον *gubernantur, non tamen eſſe penès Regem ſummam, & omnimodam poteſtatem.* Quaſi diceret; Hæc res ſola impedit, ne regnum proprie eſſe videri queat, quod Regium in omnibus, & ſummum non habet imperium. Nemo tam imperitus eſt linguæ Græcæ; quin videat, non poſſe aliter locum illum exponi. Ipſe auctor paulo poſt confirmat Laconici imperii formam non eſſe proprie Regalem, ſed potius pro Ducatu bellico, aut Imperatoris perpetui ad res belli adminiſtrandas munus perpetuum. Τετάρτη δὲ ἡ Λακωνικὴ τούτων, αὕτη δ' ἐστιν, ὡς εἰπεῖν, ἁπλῶς στρατηγία κατὰ γένος ἀΐδιος· *Horum quarta Laconici imperii forma eſt: ipſa eſt, ut uno verbo ſimpliciter abſolvam. Ducatus belli, vel munus Imperatorium perpetuum, à patribus in filios ſucceſſione deveniens.* Idem, eo loco, de eodem Laconum principatu; Αὕτη μὲν οὖν ἡ βασιλεία οἷον στρατηγία τῶν αὐτοκρατόρων, καὶ ἀΐδιός ἐστι· κτεῖναι γὰρ οὐ κύριος· *Hoc quidem Regale Laconum imperium eſt veluti Ducatus bellicus, vel Imperatorium officium, & perpetuum: non autem vitæ, & necis, habet poteſtatem.* Rationem hanc reddit, cur non ſit proprie βασιλεία; ſed στρατηγία, potius: quod nimirum jus vitæ, & necis, non habeat; ſicut habent omnes Reges. Ariſtoteles illa Rerumpublicarum diviſione, quarum quinque facit ſpecies, omnes κατὰ νόμον eſſe ſcribit; id eſt, legitimas, quod vel in volentes exerceantur, vel etiam populi ſuffragiis, & electione deferantur. Quaſdam ex his dicit, Tyrannicæ ſimili præditas eſſe poteſtate, ut Æſymneticas veterum Græcorũ, & Deſpoticas Aſiaticorum; quæ tamen κατὰ νόμον ſunt, id eſt, legitimæ, & juſtæ, partim quia ex voluntate ſubjectorum tenentur; partim quia hæreditariæ, & in natos à patribus tranſituræ. Omnium horum regandi generũ, quorum rectores appellantur Reges, non eumdem eſſe modum, nec parem menſuram imperii, ibidem tradit Ariſtoteles: Καὶ τῆς ἀρχῆς, inquit, ὁ τρόπος οὐχ εἷς ἐστι πασῶν· *Nec unus eſt imperii modus omnibus.* Aliæ ſiquidem plus, aut minus, habent Regalis poteſtatis; aut magis, aut minus, legibus obſtrictæ tenentur. Ex his Laconicum maxime videri regnum τῶν κατὰ νόμον, id eſt, *maxime legitimum, & juſtum*, vel *ſe-*

cundum

cundum legem; quia legibus magis obſtrictum ſit, quam cæteræ quatuor, & minus extenſa, & magis circumſcripta, gaudent poteſtate. Ideo magis quidem videri legitimum; ſed minus tamen nomine regni dignum: cum ſit potius στρατηγία, Imperatoris bello gerendo deſtinati munus. Inde eſt, quod idem Ariſtoteles, capite decimo ſexto ſcribit ejusmodi regni ſpeciem, quæ dicitur κατὰ νόμον, non eſſe referendam inter regiminis Politici genera. Ὁ μὲν γὰρ κατὰ νόμον λεγόμενος Βασιλεὺς οὐκ ἔστιν, ὡς εἴπομεν, εἶδος πολιτείας. rationem affert; quia ejusmodi Reges in omnibus ferme Rebuspublicis tum reperiebantur: cum potius eſſent Duces, vel Imperatores, ad bellum gerendum; quam Reges. Et tales fuere Laconum Reges, ut ibidem aſſerit. Hujus generis Reges tam in Optimatum ſtatu, quam in populari, creari ſolebant. Ἐν πάσαις γὰρ ὑπάρχειν ἐνδέχεται στρατηγίαν ἀΐδιον, οἷον ἐν Δημοκρατίᾳ, καὶ Ἀριστοκρατίᾳ. In Carthaginenſium Republica *Suffetes* eorum, ſive Judices, qui Romanis Conſulibus ſimiles erant, etiam *Reges* vocabantur. Conſules Romani ſummum imperium habebant, & pene Regium. Regem proprie dici, id eſt βασιλέα, qui ſumma, & abſoluta, in omnibus polleat auctoritate, ipſe Ariſtoteles teſtis eſt; cum quintum genus imperii ſingularis nomine Παμβασιλείας donavit. Ergo eam definit, καθ' ἣν ἄρχει κατὰ τὴν αὑτοῦ βούλησιν ὁ Βασιλεύς· *Per quam omnium habet ſummam poteſtatem, & ad libitum ſuum imperat, qui Rex dicitur.* Alio loco ita eum deſcribit; Πέμπτον δὲ εἶδος βασιλείας, ὅταν ᾖ πάντων κύριος εἷς ὤν· *Quinta Regii imperii forma eſt, cum unus plus poteſt, quam omnes, & omnium habet ſummam poteſtatem.* Hic longiſſime diſtat ab eo Rege, qui κατὰ νόμον proprie dicitur; quales fuere Laconum Reges. Nam iſte legibus obnoxius eſt: ille, ut in omnes, & omnia, dominatur; ita & legibus etiam ſuperior eſt, cui voluntas nimirum eſt pro lege; cujus eſt dicere, *Sic volo, ſic jubeo.* Apud Juſtinum; *Antiquitus Regum arbitria pro legibus fuêre.* Cæſar, cum Regiam poteſtatem invaſit, dicere ſolitus eſt; *Debere homines jam conſideratius loqui ſecum, & pro legibus habere quæ dicat.* Ideo & Ariſtoteles in duobus extremis has duas Regii dominatûs formas ponit; Laconicā, & quam vocat Παμβασιλείαν. Hæc plurimum habet de Rege; immo Rex propriè, & abſolute, dicitur: illa minimum. Hic dicitur Παμβασιλεὺς, id eſt, *Rex in omnibus, & per omnia*: ille *in*

multis Rex non eſt, ὁ Κύριος πάντων. Nam nec necis habet poteſtatem; & propterea non ſummum, nec Regium in omnibus, imperium obtinet. De iſta Regalis regiminis ſpecie, quam Παμβασιλείαν appellat, & quinto loco numerat Ariſtoteles, Miltonus ita exiſtimat; quaſi Chimæra ſit ab illo Philoſopho propoſita, quæ nusquam gentium extaret, nec in ulla parte terrarum cognita eſſet. *Quinta, inquit, quam* Παμβασιλείαν *vocat, & ad quam ſolam id refert, quod tu Regum omnium jus eſſe ſcribis, ut ad libitum regnent, ubinam gentium, aut quo tempore unquam obtinuerit, non dicit: nec aliam ob cauſam feciſſe mentionem ejus videtur, quam ut abſurdam, injuſtam, & maxime Tyrannicã eſſe demonſtraret.* Quid, Miltone, putas adeo ſtultum, & tibi ſimilẽ, fuiſſe illum Philoſophum; ut formã Μοναρχίας quæ nusquam, nec unquam, extiterit, ad hoc tantum commemorarit; ut oſtenderet eſſe injuſtã, abſurdã, & maxime Tyrannicam? Si nulla talis fuit, certe nec Tyrannica fuerit, nec injuſta. An credis, ſi talis ulla extitit, τυραννικωτέραν fuiſſe illis Barbaricis, & Aſiaticis, quas δεσποτικὰς nominat, & quibus plane Tyrannicam poteſtatem attribuit? Certe ſi tales illæ Dominationes fuere, quales ſunt Dominorum in ſervos, nulla poteſt dari, aut fingi, magis Tyrannica. Atqui de hac ipſa, quam Παμβασιλείαν vocat, nusquã docuit, fuiſſe τυραννικήν· ut de Æſymnetica Græcorũ dixit, & de Deſpotica Aſiaticorũ. Vis igitur tibi dicã, fatue, cur Ariſtoteles, ubinam gentium, aut quo tempore extiterit illa, quam vocat Παμβασιλείαν, mentionem non faciat? Quia ubiq; gentiũ erat, & quia omni tempore extitit. Hæc forma eſt Regalis imperii, quam, libri quarti capite decimo *De Republica*, proprie, & maxime Βασιλείαν appellari docet. Hæc enim communiſſima forma Regalis imperii tunc fuit, & ſemper fuit, nunc, & olim, maxime uſitata. Hæc nomẽ generis obtinuit, & βασιλεία proprie vocata eſt, & μοναρχία· cujus quatuor ſpecies enumeravit, quæ quarumdã gentiũ peculiares fuere; ſed hanc pro quinta poſuit, quæ generatim apud omnes fere gentes tũ obtinuit, hodieq; obtinet: in qua qui Rex dicitur, omnium habere ſummã in regno ſuo poteſtatẽ creditur. Cæteræ quatuor, ut dictũ eſt, ſpeciales apud nonnullas nationes regnãdi formæ per unũ fuere, quæ ab hac longius, aut minus longe abſcedebant, prout, de ejus ſummo imperio plus, aut minus, habuere, plurium, aut pauciorũ, rerum dominatum obtinuere. Laconica propria Lacedæmoniorum fuit; Æſymnetica veterum Græcorum; Heroica Heroum; Deſpotica Aſiaticorum Regum, qui in Oriente imperarunt. Quinta proprie βασιλική, vel παμβασιλική· quæ

cōmunis omnium ferme Regū fuit. Talis hæc in imperio, quod ab uno tenetur: qualis eſt Optimatū in ἀριστοκρατείᾳ; & populi in δημοκρατείᾳ. Ut populus in ſtatu populari ἁπάντων eſt Κύριος, Optimates in Optimatum Republica πάντων Κύριοι· ita & unus, in Regali, omnium ſummā habet poteſtatem, &, ut loquitur Ariſtoteles, πάντων ἐστὶ Κύριος, *omnium Dominus eſt*, & πάντα κατὰ βούλησιν αὐτοῦ πράττει *omnia agit ad libitum*. Majorem ut hæc habet poteſtatem, quam Laconica, aut Heroica, quæ certis finibus erant circumſcriptæ; ita minorem, quā Aſiaticorum Deſpotica. Sic enim hæc nuncupata eſt, quod par in ſubjectos imperiū obtineat, quod Dominus in ſervos. At illa, quæ proprie βασιλικὴ appellatur, & παμβασιλεία, ſimili prædita eſt poteſtate, quam paterfamiliâs in domum ſuā, hoc eſt, in uxorē, liberos, & famulos habet. Ideo Ariſtoteles hunc μοναρχίας ſtatum οἰκονομικῇ comparat, id eſt rei familiaris ſub uno patrefamiliâs gubernationi; ut ante docuimus. Hæc ergo οἰκοδεσποτικὴ dominatio eſt potius, quam δεσποτική. Patris autē familiâs dominatio in tribus generibus conſtat; uxore, natis, & ſervis. Iſta plane οἰκονομικὴ μοναρχία eſt, quæ ex tribus modis regendi mixta eſt, Regio ſive βασιλικῷ, πολιτικῷ ſive Ariſtocratico, & Deſpotico. Deſpotico in ſervos, Ariſtocratico in uxorem, & Baſilico in liberos. Ex his tribus gubernatio, ſive Monarchia patris familiâs compoſita eſt, qui unus pater eſt ſuæ familiæ ſimul, & Rex: & totidē ſunt partes οἰκονομικῆς, quā idem Philoſophus βασιλείαν τῆς οἰκίας appellat, & μοναρχίαν. Pater autē, & Rex, ut natura differunt, ita genere eadem ſunt; eodem Ariſtotele auctore: & ſic paternum imperium, & Regium, genere idem. Quod jam ſupra demonſtravimus. Et recte Homerus Jovem indigitat, Πατέρα ἀνδρῶν τε, θεῶν τε· Τῶν βασιλέα τούτων ἁπάντων. φύσει γὰρ τὸν βασιλέα διαφέρειν μὲν δεῖ· τῷ γένει δὲ εἶναι τὸν αὐτόν. Maneat igitur jam fixū, & ſtabile, ex Ariſtotelis mente, eum, qui propriè Βασιλεὺς dicitur, cujus Dominatus Παμβασιλείας nomine nūcupatur, omnia poſſe, quæ velit, & ſummā poteſtatē unū habere, & impune, quæ libuerit, ei facere licere, haud minus, quam populo in populari ſtatu, & Optimatibus in Ariſtocratico. Quot errata cōmiſerit infamis Miltonus, qua ſciens, qua imprudens, in paucis Ariſtotelis verbis exponendis, jam omnibus puto liquere. Pro-

fecto, ſi carnifex ei ſic collum obtorqueret, ut mentem auctorũ quos allegat, in eum ſenſum, quem ſibi optimum fingit, & quem accommodatiſſimum cauſæ ſuæ putat, detorquere conatur, digna digno pœna imponeretur. Ecce alia ex aliis, fraudis, impoſturæ, & inſcitiæ Miltonianæ, argumenta! Non ceſſat quæ conducere arbitratur propoſito ſuo, per fas, & nefas, quo jure, & qua injuria, ingerere admirantibus Anglis ſuis, & Batavis. Ut ante Ariſtoteli affinxit, de quibus ille ne cogitavit quidem; ita heic Salmaſium ea confingit ſcripſiſſe de jure Regum apud Samuelem, quibus tamen contraria, & diſerte quidem expreſſa, continetur ſententia. Quis non ſtupore defigatur ad tantam hominis impudentiam? Aliquot ſignanter paginas impendit non alio, ut videtur, fini, quam ut cavillatorem ſe ſummum, & impoſtorem, probaret. Et quo melius in clara luce pateant ejus offuciæ, lubet componere inter ſe, & conferre, quæ Salmaſius explicavit ad Samuelis interpretationem, & quæ Miltonus ad eum exponendum, quaſi cum Salmaſio pugnantia, propoſuit. Niſi eadem utcumque de ea re eſſe commentatum oſtendero, volo, vincat Miltonus, & non ſit hominum, ſicut eſt, improbiſſimus, atque inſcitiſſimus. Dicere ait, Salmaſium, cum Samuel Iſraëlitas ab eligendo Rege deterreret, jus illis Regium expoſuiſſe; *Unde*, inquit, *hauſtum, à lege Dei?* Unde ipſe hoc hauſiſti? An Salmaſius hoc dicit? *At illa lex*, inquis, *longe aliud jus Regium, ut vidimus, exhibuit.* Quænam illa lex? Quod jus Regium? An intelligis eam, quæ expreſſa eſt capite XIX. Deuteronomii? Atqui nullum illa jus Regium exhibet. Præcepta quidem aliquot continet Regi futuro obſervanda; ſed quam ille Rex auctoritatem, quam poteſtatem, quod jus ſit habiturus, non exponit. Admonetur, ne ſe efferat ſupra fratres ſuos. Nihil juris, aut poteſtatis, quod Regi competat, hæc admonitio præſcribit. Immo potius, non illi jus eſſe docet in fratres ſuos ſuperbire. Addis ſtatim; *An ab ipſo Deo per Samuelem loquente, hoc nempe jus hauſtum? At improbavit, vituperavit, vitio dedit.* Numquid ex Salmaſio tenes, adprobaſſe, laudaſſe, & commendaſſe? Vel uno verbo id ab eo factum oſtende, & vir eſto. *Non igitur*, inquis, *jus Regium divinitus datum, ſed morem regnandi praviſſimum, ſuperbia Regum, & dominandi libidine, arreptum expoſuit Propheta; nec quid debebant Reges, ſed quid volebant facere.* An alia ſunt ab tua ſententia, quæ Salmaſius heic poſuit? ſane ſub finem hujus capitis concedere ſe fatetur, loco illo Samuelis; quo jus Regium recenſetur, *jus Tyrannorum à Propheta deſcribi, & ſignificari, non quod bonus Rex faceret, ſed quod malus facere poſſet.* Deinde ſubjungit, & quidem cum affirmatione; *Sane Tyranni jus, & licentiam, ibi proſequitur Propheta, minaturque etiam talem quandoque Regem exoriturum Iſraëlitis, qui aſpere, & Tyrannice, eos tractet.* Initio capitis ſequentis diſerte tradit juris illius Regii

ar-

argumento probari poſſe; *non ſolum juſtos Reges; ſed etiam injuſtos, & Tyrannos, impune quod volunt facere.* Ergo juris illius deſcriptionem ad Tyrannos pertinere exiſtimavit potius, quam ad bonos Reges. In hoc ipſo tractatu, quem refutare ſe ſimulat Miltonus, cum idem, quod ipſe, dicat, hæc ejus verba leguntur; *Certum omnino eſt, exceſſum, ſive* παρέκβασιν, *ab remiſſa, & clemente dominandi ratione, deſignari à Samuele in aſperiorem, & duriorem.* Ergo jus illud Regium Samuelis Salmaſius de injuſta, dura, & aſpera regnandi ratione interpretatus eſt: proinde non primus Miltonus, ſed ante eum Salmaſius, rationem dominandi odioſam, & Tyrannicam, vocavit; quod in Hebraico textu *Miſphat* dicitur. Quo loco notandum eſt obiter, Miltonum Typographi vitium Salmaſio tribuere; qui *Meſchaphat* ſcripſit pro *Beſchaphat*, & ſolœciſmum Hebraicum id appellare. Ut antea ſolœciſmum cum barbariſmo confudit, ita heic quid ſit ſolœciſmus, neſcire ſe profitetur. Senator ille Romanus, qui ſcribebat *ixi* pro *ipſi*, barbariſmum committebat. Quod in antiquis inſcriptionibus Romanorum ſæpe occurrit, *Se vivus poſuit*, ſolœciſmus eſt, non barbariſmus. Abi, Miltone, & inter Grammaticorum cathedras vapula. Paulo poſt idem Salmaſius aperte diſtinguit inter jus verum & juſtum Regum, & jus illud improbum, quæ licentia eſt prava in dominantibus faciendi quod libet. *Aliud eſt quippe jus, quo Rex debet facere quod ſe decet; aliud, quo poteſt facere, quod vult. In priore juſta & clemens dominatio verſatur: in poſteriore, jus merum & ſummum faciendi quod libet, idque ſæpe injuſtitia, & injuria, proximum deprehenditur. Ideo cum Samuel Iſraëlitas vellet deterrere ab eligendo Rege, & ſtatu, qui obtinebat, commutando, quid juris Rex haberet, ipſis oſtendit, ſi quando poteſtate ſua abuti in animum induceret.* Idem etiam alio loco ſcribit hujus capitis, *ſe non illis accedere, qui cenſent de jure majeſtatis*, jus Regium Samuelis *intelligi debere, quod proprium ſit ac legitimum omnium regnantium, jus illud fuiſſe licentiæ, quo Reges uti non decet, non oportet.* Miltonus jus illud Regium de conſuetudine Regũ explicat, quæ ita deſcribitur à Cicerone, in ea pro Rabirio, his verbis: *Nemo noſtrûm ignorat conſuetudinem Regiam. Regum ſunt hæc imperia, Animadverte, & dicto pare.* Non occupavit ita explicare, ſed ante eum Salmaſius hoc ipſo capite jus Regiũ docuit accipiendum de eo, quod facere ſolerent Reges. Sic enim ait, *Non de facto nudo, ut quibusdam placet, jus illud accipiendum, niſi factum & jus idem eſſe contendunt, ſed de eo jure, quo quid fieri ſoleret à Regibus impune, & cum aliquo dominatu Regis proprio.* Et ſane quod quis facere conſuevit, id etiam facere impune intelligi debet. Quod enim committitur cum aliqua pœnæ formidine, in conſuetudinem deduci non poteſt. Quippe cum frequenter fieri nequeat, quod ſemel admiſſum auctori impunitum abire non poteſt. Jure ergo ſuo quodammodo id facit, & more ſuo, qui id facere impune ſe

poſſe ſciat. Quæ omnia ſatis fuſe expoſuit Salmaſius hoc loco, ut non opus ſit ea heic repeti. Miſerum Miltonum, ridiculumque ſimul, & improbum! qui tanto ſtrepitu, & tumultu, refellendum Salmaſium in hac juris Regii Samuelis expoſitione ſuſcepit, quem non poſſit dicere, niſi cum impudentiſſimo mendacio, aliud quam ſe ſenſiſſe, & ſcripſiſſe. Jam vero, cujus vecordiæ eſt, vel impudentiæ, ut tuas tibi voces reddam, ut Salmaſio imponas; *Eum, contra omnes, præſertim Orthodoxos, mores Regum ab ipſo Deo damnatiſsimos in jus Regium convertiſſe; & honeſta juris præſcriptione defendere?* Ubi hoc impoſtor, ubi hoc Salmaſius, vel verbulo uno attigit? Nonne contraria omnia toto hoc capite diſertiſſime docuit? Quæ ex eo attulimus, id plene evincunt, & te oris ferrei, & animi omni improbitate pleniſſimi, ibidem eſſe oſtendunt. Cavillaris etiam, & inſcite ſic ludis. *An quiſquam ſic ſui juris unquam fuit, ut rapere, agere, proſternere, permiſcere omnia ſibi liceret? An Latini hæc ſuo jure ab aliquo fieri unquam dixerunt?* Inepte, an tu negabis; cum hoſtis in hoſtem hæc facit, ſuo jure id facere dici poſſe? Nempe, quia hoc facit impune. Quis enim eſt, qui ſciat id, quod à ſe fiat, citra pœnæ metum fieri poſſe, quin is credat, quaſi ſui juris eſſe, ut faciat? Hoc igitur licet cuique, atque etiam jus eſt facere, ob quod factum, nec judicium, nec pœnam poteſt timere. An de Regibus dubitabis, quin hoc idem eorum jus ſit, cum certum habeatur, impune illis fore quidquid fecerint? Salmaſius Salluſtium allegaverat, qui ſcripſit; *Impune qualibet facere, id eſt Regem eſſe.* Quid Miltonus opponit ad elidendam vim huius teſtimonii? *Cum,* inquit, *Memmius, Tribunus plebis, in ſuperbiam, & impunita flagitia nobilitatis invectus, apud Salluſtium dixerat, Impune qualibet facere, id eſt Regem eſſe.* Quid hoc valet ad infringendam huius dicti auctoritatem, quod non ex ſua perſona Salluſtius eam ſententiam dixit: ſed ex perſona Memmii Tribuni, declamantis in ſuperbiam nobilitatis? Quis eum ita declamantem inducit? Annon Salluſtius? Nonne ipſe illam Orationem conſcripſit? Fingamus vel pronuntiatam ſic à Memmio fuiſſe. Quid tum? An minus ponderis habebit? Nonne ille ex communi opinione omnium hominum hæc eloquutus eſt: & pro uſu, ac jure, quod in omnibus per illa tempora regnis obtinebat; Regibus nimirum impune eſſe quidquid facerent? *At,* inquis, *An hoc Regium jus aſſeruit?* Immo aſſeruit. Quid enim planius? *Annon,* inquis, *plebis ignaviam potius increpuit, qua nobiles impune dominari ſineret?* Quid potius? Quæ hæc argumentatio eſt? ſemper tibi ſimilis es. An quod plebis ignaviam increpabat tum Tribunus ille, ideo minus erit verum, quod ibi ait de Regibus, impune eos facere quidquid velint? Ridiculum ubique te præbes. Ex certa, & vera ſententia, quod impune facere quælibet, id eſſet Regem eſſe, invehitur in nobiles

les, qui hoc modo Regium jus affectare vellent, & Regios mores imitari. Ergo tunc erat omnibus notum, & probatum, id vere eſſe Regium, impune quidlibet facere. Non parum pro te id faceret, ſi poſſes probare, Salluſtium id ſolum dixiſſe, vel Memmium apud Salluſtium. Nullus vero eſt auctor, cuiuscunque litteraturæ, ſacræ, aut profanæ, Græcus, aut Latinus, Orator, Poëta, & Hiſtoricus, vel Theologus, qui non idem aſſerat. An Salluſtius tibi juris Tyrannici patronus? Quaſi dixiſſet ille, *Quaelibet facere impune, id eſt, Tyrannum eſſe.* Atqui ille dixit, *Regem eſſe.* Ergo omnes Reges jure eodem uſi. An aliud voluit Ariſtoteles, cùm tradit eum, qui Βασιλεὺς abſolute dicitur, πάντα κατὰ τὴν βούλησιν αὐτοῦ πράττειν, *omnia pro libitu ſuo agere?* Si quid eſſet, quod Rex non faceret impune, id omnino facere non poſſet ad libitum ſuum. Nam voluntas reprimitur, judiciorum, ac pœnæ, metu. Qui omnia, quæ vult, facit, etiam impune ea facit. Summum jus, ne fallaris, non ſolum id dicitur, quod in formulis Latinis occupatur, & minutas tricas occupatur, ſed etiam ſummum eſt imperium, & poteſtas ſuprema, quæ cum nimis intenditur ab his, qui eam obtinent, ut ſunt Reges, ſæpe ad injuſtitiam vergit. An tu neſcis hoc nomen Jus eſſe τῶν μέσων, ut Grammatici appellant, ut *dolus*, & *venenum?* Inde & *jus bonum*, & *jus æquum* apud auctores occurrit; quin aliquod jus eſt iniquum, & injuſtum. Putasne illum, qui Scripturam Sacram in Latinum convertit ſermonē, ignoraſſe quomodo ſumeretur apud Romanos vox iſta *Jus?* Cur igitur *jus Regium* appellavit, quod in Hebræo eſt *Miſphat*; cum jus illud, quale ibi à Samuele deſcribitur, in rapinis, injuriis, contumeliis, & violentiis conſiſtat? *Jus hoc erit Regis, qui vobis imperaturus eſt.* Non dicit, Tyranni, ſed Regis, ſed ejus Regis, qualem ſibi petierunt, quem Deus ipſis erat daturus, & qui in eos erat regnaturus. At Regem petierant, qualem vicinæ gentes habebant, eodem nimirum jure in ſe dominaturum, quo ſolerent gentium illarum Reges dominari. Fatuus hic credit, non aliter jus Latinis dici, quam de illo jure, quod de fonte juſtitiæ manat. An ignoras, funge, jus etiam poni apud Romanos Scriptores pro auctoritate, poteſtate, licentia quodcumque agendi, vel loquendi; dummodo id fiat impune? Qui *juris ſui* dicuntur, an ſuæ ſunt juſtitiæ; vel ad illud jus pertinent, quod de fonte manat juſtitiæ, & norma eſt æqui ac juſti, & à perpetrandis maleficiis homines avertit. Immo qui ſui juris eſſe dicuntur, ſuæ ſunt poteſtatis, nec ab alterius arbitrio dependent, quos αὐτεξουσίους Græci nominant. Ergo *jus* in ea loquutione idē eſt quod ἐξουσία, *poteſtas, libertas, licentia, auctoritas.* Hinc qui pro ſua auctoritate aliquid agit & dicit, cum alterius voluntati non ſit obnoxius, ſub veſtræ Independentiæ vexillo militet,

nonne

nonne id ſuo jure agere, vel loqui, poteſt dici? Cicero, in ea pro Archia: *Noſter Ennius pro jure ſuo ſanctos appellat Poëtas.* Quod illud jus erat? Nonne auctoritas meritis quæſita, vel etiam uſurpata, vel conſenſu populi attributa? Ille, qui *jus datum ſceleri* dixit in illo carmine, quo deſcripſit bella civilia Cæſaris & Pompeii, an illud intelligit, quam poteſtatem & licentiam ſceleri datam, quodcumque libere agendi, etiam quæ nefanda factu forent? Quod agitur *jure belli*, & eo jure, quod eſt in armis, aut jure *victoris*, quod habet victor in victos, nihil, aut parum admodum, ex juſto, vel æquo trahit. Jus vitæ, & necis, an aliud eſt, quam poteſtas occidendi? Ariſtoteles Græce hoc ita exprimit, κτεῖναι κύριος ἦν, id eſt, *poteſtatem habebat necandi.* Hoc jus qui habebant, ut patres in liberos, domini in ſervos, plerumque cum magna injuria & injuſtitia illud exercebant; ut patres, quibus licebat, liberos ſuos, ſimul ac nati eſſent, exponendos curare, aut interficiendos, ſi alere eos nollent. *Jus* itaque *Regum* Samuelis nihil aliud eſt, quã poteſtas Regia faciendi quod libet. Νόμον Chaldæus Interpres addidit, quia lex eſt hæc Regibus, mos, & jus, ut pro lege ſit quidquid ipſis facere placuerit, ut reſponderunt olim Cambyſi ejus conſiliarii. Marcum Tullium paulo poſt conſulendum à Salmaſio fuiſſe doces. *Is*, inquis, *& Salluſtium, & Samuelem rectius interpretari nos docuiſſet.* Age, ergo, conſulamus. Hæc verba ejus ſunt, ex Oratione *Pro Rabirio* jam ſupra à nobis citata. *Nemo noſtrûm ignorat conſuetudinem Regiam. Regum ſunt hæc imperia, Animadverte, & dicto pare.* Sed dic, beſtia, quid hæc contra Reges, aut jus Regium, faciunt? Sunt quidem veriſſima: ſed adeo hebes es; ut non animadvertas, quid cauſæ tuæ poſſit prodeſſe, quid eidem obſit. Certo hæc noſtræ non nocent, quæ ultro agnoſcimus. Dic tamen verum, ſi potes, an alia conſuetudo, aut alius ſermo tui Cromwellii cum ſuo Parlamento? An aliquis impune dicto ejus parere nollet? An tu ipſe, qui hæc ſcribis? Væ tibi, mancipium, qui, ut ſemel animũ obfirmaſti iſti tyranno palpari, quo bucceas aliquas panis ex ejus tyrannide corraderes, corroderesq;, defenſionẽ parricidii, mendaciis, & calumniis contextã, conſcribendã ſuſcepiſti! Cum ille Cromwellius, Parlamentũ ſuum exauctorare voluit, an alia voce uſus eſt, quã *Animadverte, & dicto pare?* Et ſane omnes ſtatim dicto tum paruerint. Video te valde ſtudioſũ eſſe Ciceronis. Et ſane merito. Fuit ille vir amantiſſimus patriæ ſuæ libertatis. Iterũ igitur tibi placet eum teſtẽ advocare. Salmaſius hunc ejus locum jam citaverat, ut probaret, hoc eſſe jus Regis; ut poſſet, ſi vellet. Tu Miltone, hoc ipſo teſtimonio confodi, & confici, Salmaſium dicis. Sic autẽ ille; *Quæ cauſa juſtior eſt belli gerendi, quam ſervitutis depulſio? In qua etiam ſi non ſit moleſtus Dominus, tamen eſt miſerrimum, poſſe, ſi velit.* Quid heic contra nos, aut jus

Regium?

Regium? Immo apertè ait, hoc eſſe jus Regum; ut poſſint quod velint. Ideo in Republica, quæ libertatem tot per ſæcula retinuerat, miſerrimam eſſe dicit; quod jam habeat Dominum, qui, quamvis ſatis æquus ſit, & minime moleſtus, hoc tamen vix eſſe ferendum, quod poſſit, ſi velit, id eſt, etiam injuſtum eſſe, iniquum, & importunum. Hæc mens Ciceronis, qui idem quod Salluſtius dicit, *Impune facere quidlibet, eſſe Regium.* Quid contra hæc parricidii, & Tyrannidis, patronus? poſſe vi ſcilicet. Nam de jure ſi loqueretur, repugnantia diceret, & ex juſta belli cauſa injuſtam faceret. Quæ ſunt ineptiſſima, & nihil ad rem. Quoties illi dictum eſt, jus illud, de quo intelligimus, & de quo Samuel, non eſſe juſti, & æqui, normam; ſed eo nomine deſignari poteſtatem, quam Rex habet ſummam faciendi quod velit impune: ut *jus vitæ, & necis*, nihil eſt aliud; quam poteſtas perdendi, & ſervandi. Qui ſervare poteſt, idem poteſt & perdere. Ipſe ille Cicero, quem te delectat toties audire, & conſulere, cum tamen nihil pro te faciat, vide an te juvare poſſit his verbis, quæ in Oratione *Pro Dejotario* habentur; *Tamen eſt ita inuſitatum Regem capitis reum eſſe; ut ante hoc tempus non ſit auditum.* Si Reges, eo tempore, criminis alicujus rei fieri non poterant, de quo nulla antea memoria extaret; certe impunitum illi habebant, quidquid facerent. Hæc omnia quippe recidunt, Regem non poſſe reum fieri, impune facere quælibet, & poſſe quod velit, & πάντα κατὰ τὴν βούλησιν αὐτοῦ πράττειν, *omnia facere ad libitum*; ut ait Ariſtoteles. Et hoc eſt plane jus Regium, ſive poteſtas Regum; ut heic repetamus iterum iterumque: ſed fatendum ſane eſt, in tali poteſtate jus, & vim, non multum differre. Nam jus habet cogendi, cum ipſe cogi non poſſit. Hinc Dio Imperatorem ſcribit ἐλεύθερον εἶναι ἀπὸ πάσης τῆς ἀναγκαίας νομίσεως· *Ab omni lege, quæ cogere poteſt, eſſe liberum.* Ut probaret Salmaſius haud mirum eſſe, ſi, cum omnia liceant Regibus, quorum pœnam expectare non ab ullo homine, quia nullum habent ſuperiorem, aut parem, ſed à Deo ipſo, etiam quædam eſſe docuit, inhoneſta quamvis, & ſceleri proxima, quæ privati pro ſuo jure facere poſſint, id eſt, quæ liceat vel privatis impune committere. *Licet privato mentiri: licet ingrato eſſe.* Ita Salmaſii verba abbreviata refert. Deinde ſubjicit ipſe; *Licet & Regibus: quid inde efficis?* Quid inde efficio? Te eſſe ſtolidiſſimum bipedum. Sed in illa ſtoliditate etiam eximium eſſe cavillandi artificem. Si integrum Salmaſii locum attuliſſes, jam omnes viderent, ſi tu præ malitia, aut animi cœcitate, videre non potuiſſes, quid inde efficere voluerit. *Privato mentiri licet; licet*, inquis, *& Regibus* Mirum profecto, quã tu nunc ſis liberalis, & munificus erga Reges, qui ultro illis

con-

concedere geſtias, quod vel privato licere vis. Ego vero plus dico poſt Salmaſium, etiam privatum impune pejerare, quia perjurii pœna Deum ſolum habeat judicem, & ultorem, non homines; cum tamen privatus quilibet reum cujuscumque criminis poſſit facere. Quidni ergo Regi liceat impune rapere, ſtuprare, occidere, quem nemo nec privatorum, nec Magiſtratuum, in jus vocare poteſt, aut capitis arceſſere? Hoc eſt ergo, quod inde efficere voluit Salmaſius. Quid oppones? An Davidem adulterii ſimul, & homicidii, accuſatum, & condemnatum? An Salomonem ob cædem etiam prope ipſum Altare commiſſam, ob Idololatriam, ob alia multa crimina, judicio capitali pulſatum, & neci datum? Fortaſſe hæc exempla te moverant; ut aſſeverares Regem, ejus dem criminis poſtulatum, pari quoque pœna, ac privatum, teneri debere. Addis continuo; '*Quid intereſt ad injuriæ gravitatem, Rex, an latro, an aliunde hoſtis, populum occidat, diripiat, in ſervitutem agat?* Nihil etiam, ut res eſt, putabis intereſſe, ad injuriæ, & rapinæ, magnitudinem; utrum Angli Parlamentarii, an Turcæ prædones, piraticam in mari exerceant, & prædas agant ex Hiſpanis, ex Suecis, ex Hollandis, & omnibus, qui maria navigant, tam Mediterraneum, quam Oceanum? Et tu latrones heic nominare audes cum Regibus, tamquam idem ſit Rex, & latro: quaſi majus unquam poſt homines natos latrocinium commiſſum ſit, quam quod à veſtris Sanctis patratum eſt; cum Regem ſuo regno, patrimonio, vita privarunt; cum Reginam, cum totam ſtirpem Regiam, cum omnes regni Proceres bonis omnibus ſuis, & fortunis, exuerunt. Et quo jure hæc omnia facere? An Regio? Immo latronum, & parricidarum, jure. Ut jure piratarum omnia maria infeſta habetis, & nemini parcitis, non vicinis, non confœderatis veſtrorum olim Regum nationibus; quin eas vexetis, diripiatis, & mergatis. Quicumque habet aliquid, quod poſſit perdere, & quod vos rapere poſſitis, hoſtis veſter eſt. Sed ede, quæſo, quis populum occidit, aut poteſt occidere? Poſſet quidem univerſus uno ictu interfici, ſi unam cervicem haberet. At Regi veſtro decem millia cervicum optaviſtis; ut omnes poſſent abſcindi, quo crudelius tot mortibus cruciaretur. Cæterum quis unquam Regum Angliæ plures è populo, è Nobilitate, ex omnibus Ordinibus, inauditos, innocentes, hoc ſolo nocentes, quo Regi ſuo fideles extitiſſent, occidiſſe memoratur? Hoc vere eſt populum occidere. Quis populum diripuit; niſi vos: quem immanibus tributis non ceſſatis onerare, quorum vix centeſimam partem ſub anterioribus Regibus tolerarunt? Quis populum in ſervitutem egit, & hodie ſervire cogit, præter vos, qui ſpecie, & ſpe, libertatis oſtentatæ, nunquam datæ, ſæviſſima Tyrannide colla ejus premitis. Et cum omnia jura ſocietatis humanæ, & legis divinæ, tot

nefariis

nefariis factis violaveritis, impunitatem tamen etiam ab ipſo Deo vobis audetis polliceri: nec hoc tantum; ſed etiam præmium, & mercedem, quaſi ob rem præclare geſtam, in hac vita proſperitatis temporalis, in futura felicitatis æternæ ſperare. O ſanctos homines, & beatos! Hujus ſanctitatis hoc argumentum etiam luculentum oſtendit Miltonus, quo Regem gravius puniri, juſtiusque, debere, quàm latronem affirmat; *quod is*, inquit, *tot beneficiis, & honoribus noſtris auctus, cotamiſſam ſibi, ſub juramento, publicam ſalutem prodat.* Agnoſco libens. Non potuiſtis magis. Certe ſumma illa beneficia, & magni honores, fuere, quos in Regem veſtrum contuliſtis; carcer, carnifex, ſecuris. Sic meritum ejus, inquies; publicæ nempe ſalutis proditoris. Vos ille prodidit, an vos illum? ſcilicet contra vos rebellis fuit, veſtràs arces, & oppida, vobis eripuit, veſtrum Parlamentum voluit perdere, & extinguere. Potiorem ejus partem, & principaliorem, ex Nobilibus compoſitam, exterminavit; ſic ſalutem nimirum publicam prodidit. Vos autem optimè ſaluti ejus, ac honori, conſuluiſtis. Pergamus. Concedere Salmaſium ais, *Leges dari à Moſe, ſecundum quas ille, quandoque eligendus, imperare debebat*; *quamvis diverſas ab illo jure, quod Samuel propoſuit.* Quibus ſtatim ſubnectis, dupliciter id cum aſſertione Salmaſii pugnare, cum enim Regem legibus omnino ſolutum poſuerit, nunc obſtrictum dicere. *Deinde jus juri contrarium ponere, Moſis, & Samuelis; quod eſt abſurdum.* Abſurdum ſane eſſet, ſi verum foret, quod Salmaſio objicis. Si quid apud illum tale oſtendis, viceris. Sed abſurdus ipſe es, cum duo jura contraria tibi fingis Moſis, & Samuelis. Moſes nihil dixit de jure, & qua auctoritate, vel poteſtate, Reges, in Judæa conſtituendi, dominari deberent; ſed certas leges poſuit, juxta quas vivere eos oporteret. Magna igitur differentia eſt inter præcepta, quæ, quaſi ex mandato Dei, Regibus futuris obſervanda præſcripſit Moſes; & modum poteſtatis, ac menſuram licentiæ, quam pro jure ſuo poſſent uſurpare. Adeo clare, & liquido, hæc, diſcrimine utriusque loci Scripturæ, expoſuit Salmaſius, ut nihil aliud à lectore deſiderem, quã ut videat, quæ ibi ab eo explicata ſunt, & quæ contra hæc repoſuit Miltonus. Nam, ex horum comparatione, intelliget frivola eſſe, & nugatoria, nec ad rem pertinentia, quæcumque hic ineptus advocatus parricidarum obloquitur. Per illud jus Samuelis Rex libere agit, quæ libet, & voluntatẽ propriã ſequitur pro ratione, & lege, & hoc jus illi eſt, ſive licentia, & facultas, impune faciendi quodcumq; ipſi collibitum eſt. Adeo autem clara ſunt Samuelis verba; ut non indigeãt explicatione. In verbis Moſis obligatur Rex ad eorum præceptorũ obſervationẽ, quæ Deus ei miniſterio Moſis mãdat cuſtodienda. Nec tamẽ, cũ hæc ita ſint, ſibi contradicit Salmaſius, nec hoc pugnat cum eo, quod poſuit, Regẽ legibus ſolutũ eſſe. Non eſt quidẽ dubiũ; quin

legibus

legibus divinis obſtrictus ſit, quas ei Moſes præcepit ſervandas. Sed de hoc quæſtio non eſt; cum vel illas, quas ipſe ſtatuerit, cuſtodire teneatur, ſi quidem recte velit imperare. Hoc enim quæritur, Si eas transgreſſus fuerit, quomodo, & à quo ſit puniendus? tam Moſes, quam Samuel, à Deo, non ab ullo homine, pœnam pro noxa in eum ſtatuendam pronuntiarunt. De Moſe clarum eſt; cum dicit, ut jam ante docuimus, *Cuſtodiat verba ejus, & cæremonias, quæ in Lege præcepta ſunt, ut longo tempore regnet ipſe, & filius ejus, ſuper Iſrael.* Hoc præmium promittitur à Deo recte, & ex præſcripto legis divinæ, dominantibus. Ergo pœna contraria, ſequius quam oportet regnantibus, breve regnandi tempus. Nihil iſtis hominibus loci relictum eſt ad Reges malos puniendos. In Samuele etiam res clarior, ubi mala omnia commemorat, quæ à Regibus, poteſtate ſua abutentibus, eſſent populo eventura, non ei dat licentiam ſe liberandi ab ejus injuriis, & violentia: ſed à Deo vindictam expectare debere; quam & quidem fruſtra inclamatent. Ita certe locum illum Samuelis interpretati ſunt omnes antiqui, & recentiores Theologi; exceptis ſolis Angliæ Sanctis, quorum Antiſtes Miltonus aliam in his, quæ ſequuntur, nobis dat expoſitionem. De qua ibi viderimus. Nunc quod in manibus eſt agamus. Reges Judæorum, ut Dominos, in populum regnaſſe Iſraëliticum expreſſe notat Scriptura per Prophetam, his verbis; *Et vos eritis ſervi.* Miltonus, iſtorum verborum vinculis quaſi conſtrictus, *non quidem abnuere ſe* fatetur, *quin ſervi fuerint*; *non tamen jure Regio ſervos fuiſſe vult*; *ſed Regum fortaſſe plurimorum uſurpatione, & injuſtitia.* Illud *Fortaſſe* diffidentis eſt, vel hominis potius, qui de veritate rei, quam ponit, plane deſperat. Et certe inſulſiſſima hæc dubitatio eſt, nullaque nititur ratione. Nam quo jure alio, quam Regio, aut Dominico, poterant Regis eſſe ſervi? Præterea quàm ineptum eſt dicere, Regum plurimorum uſurpatione, & injuſtitia, hoc factum fuiſſe? Qui ſunt illi plurimi Reges? vel unum nominet. De primis intelligit, an de poſtremis, an de mediis? Dicat etiam, ſi poteſt, quando, aut quo ſub Rege, cœperit iſta ſervorum appellatio? De primo Rege, qui electus eſt, hæc dicere Prophetam quis non videt? ſi non mihi credis, crede Deo ipſi, qui, Samuelis II. cap. XII, Saülem vocat *Davidis Dominum*, quia ipſius Rex fuit; *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Ego te unxi in Regem ſuper Iſrael; & ego erui te de manu Saül, & dedi tibi domum Domini tui, & uxoris Domini*, id eſt, uxoris Saülis, qui Rex erat tuus, & Dominus tuus. Ipſe David ita eum appellat, Samuelis I. cap. XXIV. *Propitius ſit mihi Dominus; ne faciam hanc rem Domino meo, Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum;* Joſephus Δεσπότην Græce reddit; unde imperia Δεσποτικὰ qualia fuere Regum omnium Orientis, quibus ſimile optarunt

habere

habere Iſraëlitæ. Οὐ δίκαιον, εἶπε, φονεύειν τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην, οὐδὲ τὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ βασιλείας ἀξιωθέντα. Ita David eum vocavit illo tempore, quo inimicum ſuum eſſe certo ſciebat,& à Deo ipſo abdicatum, & à quo hoſtilia omnia, vel ad necem uſque, expectabat. Angli, Davide juſtiores, & ſanctiores Prophetæ, Regem,ubi in poteſtatem eorum devenit, ne Regis quidem nomine dignabantur, ſed Carolum Stuartum vocarunt. Davidem quoque Dominum ſui appellarunt, cum Rex fuit, Samuelis II. cap. XIII. *Reſpondens autem Jonadab, filius Semnan fratris David dixit, Ne æſtimet Dominus meus Rex; quod omnes pueri Regis occiſi ſunt.* Atque ita paſſim Item capite XV. *Si autem in civitatem revertaris, & dixeris Abſalom, Servus tuus ſum, Rex, patere me vivere; ſicut fui ſervus patris tui.* Parvi æſtimabit Miltonus Imperatores Romanos *Dominorum* appellatione, cum erant Gentiles, à Gentilibus ſubjectis donatos. Quid ſi conſtet à Chriſtianis hoc nomine compellatos? Quid ſi etiam, ubi Chriſti fidem amplexi ſunt, non ſolum à privatis ejuſdem religionis; ſed etiam ab Epiſcoporum primo, hoc eſt, Papa Romano, ſic fuiſſe appellatos? Gregorius Magnus Mauritium Imperatorem, in Epiſtolis ſuis, ita ſemper vocat. Reges Franciæ Chriſtiani ab Epiſcopis regni ſui hoc elogio fuere donati. Propius ad lineam accedamus; ut rem magis tangamus. Angli ipſi, in Statutis Parlamentorum, & in aliis formulis Judicialibus, nunquam aliter Regem nuncupant; niſi *Supremum Dominum ſuum, & Regem.* Quod etiam antea docuiſſe memini. Memineris etiam, Miltone, paulo ante ita Salmaſium honoris gratia compellaſſe. *Diſce verna, diſce maſtigia; niſi Dominum tollis, tollis Rempublicam; privata res eſt, non publica; qua Dominum habet.* Nunc reddam tibi tua. Diſce latro, diſce parricida, vos Rempublicam perdidiſſe; cum Dominum ejus, id eſt, Regem, ſuſtuliſtis. Cæterum ut ſtylo facundus eſt, ita etiam rationibus fœcundus incedit Miltonus, ſic enim argumentatur; ut Dominos ex omnibus regnis, & Rebuspublicis, funditus tollat. *At vero,* inquit, *ſi Regi, legibus ſoluto, quidquid libet, licuerit; profecto Rex longe plus quam Dominus erit, populus infra omnium ſervorum infimos plus quam infimus* Apparet ex iſtis, Miltone, te in genere Hyperbolico dicendi ſatis valere Prius quidem veritatis eſt indubitatæ. Poſterius etiam conſequenter veriſſimum, ſi ſic enuntietur, *Profecto Rex Dominus erit, & populus ſervus.* Tu vero infra ſervos aliquid δουλικώτερον tibi reperiſſe viſus es, & ſupra Dominos aliquid δεσποτικώτερον. Quaſi ſuperior aliquis ſit Domino, aut inferior ſervo. Sane videmus in Sacra Scriptura Reges *Dominos* tantum indigitari, & ſubjectos *ſervos.* Sed auguror, quis te, fatue, error deceperit: putaſti

putaſti nimirum, ſervos veterum eosdem fuiſſe cum hodiernis: liberi homines ſunt, mercede operam ſuam ad menſem, aut annum, locantes, prout convenerit. Finito ſervitii tempore recedunt, aut etiam ante tempus. Nemo enim invitos poteſt retinere. Dominis eorum non licet in illos, quidquid libuerit. Tales tamen ſervi Dominis ſuis non ita addicti, & mancipati ſunt; ut ſubjecti Regibus. Nam, ſi dicto parere nolint, abeunt, aut ſi moleſta eis ſervitus ſit. Antiquorum omnium populorum ſervi mancipia fuere, ære empta, in quos jus vitæ, & necis, Domini habebant. Idem jus & in ſubjectos habuere Reges. Quos Ariſtoteles dicit, κτῆναι κύριοι ἦσαν: infra hos ſervos nihil magis infimum, ut ſupra Dominos nihil magis Deſpoticum. Cum hoc nolit eſſe, & pati non poſſit talem in Regibus poteſtatem Miltonus, rationem adfert è Scriptura petitam, quare Reges non meliori conditione eſſe debeant, quam Domini privati, vel patresfamiliâs, qui ſervos habebant. *Servus enim*, inquit, *vel alienigena, legem Dei vindicem injurioſum in Dominum habebat: populus univerſus, libera nimirum gens, vindicem in terris neminem, nullam legem habebit, quo læſus, afflictus, & ſpoliatus confugiat.* Hæc ſatis ῥηθορικῶς, ſed gratis garris. Quid tricaris? fruſtra circumlambis, quod tibi abſorbendum eſt. An ſatis hoc videtur, ut pro ratione valeat quod dicis, oportere legem eſſe, quæ ſubjectos ab injuriis Regis defendat, quandoquidem lex ſit, quæ ſervum vindicet de contumelioſo Domino? Mirum genus demonſtrationis! ſed Miltono dignum. Servi habebant legem pro ſe contra aſperos Dominos, cur non haberent cives liberi contra Reges inclementes? Tuum erat probare, talem aliquam legem in Scriptura extare in gratiam ſubditorum, ut eſt aliqua in gratiam ſervorum. Si poſſes eam nobis digito indicare, quanto ſtrepitu te moveres? Ne legibus quidem Romanis ſemper licuit ſervum impune occidere, at Regi unum de ſubjectis ſuis occidiſſe quando fuit capitale, aut ubi? Jam videndum eſt, quomodo tibi procedat, quod inſtituiſti demonſtrare de lege, quæ deberet tueri cives contra Reges ſuos, ex ſimilitudine legis Dei pro ſervis latæ. *Servus*, inquis, *vel alienigena legem Dei vindicem habebat.* Quid hoc eſt? *ſervus, vel alienigena?* Duplex genus fuit ſervorum apud Hebræos ex indigenis, & alienigenis. Indigenæ erant ex Hebræis civibus, qui ſe vendebant fratribus ſuis ad ſerviendum ipſis, quod tum erat licitum apud Iſraelitas, ut apud Romanos, & Græcos, apud quos multi ſe in ſervitutem ſpontaneam venumdabant, vel ad pretium participandum, vel creditoribus ſuis, ut ex operis æs alienum diſſolverent. Iſti ſervi Hebræi juſtiore, & clementiore, ſervitute utebantur apud Dominos, quam alienigenæ; lege Dei poſt ſeptimum annum debebant liberi dimitti. De iisdem, non de alienigenis lex illa

etiam

etiam fuit lata, quam heic Miltonus *vindicem appellat injurioſum in Dominum.* Nam, ſi Dominus tali ſervo oculum eruiſſet, vel dentem excuſſiſſet, non alia in eum pœna ſtatuebatur, quam ut libertate ſervum donaret. At, ſi civis in civem hoc commiſiſſet, pœna talionis plectebatur, ut dentem pro dente daret, oculum pro oculo. Hoc igitur privilegium tantum fuit ſervorum indigenarum, qui ſemet pretio vendebant fratribus ſuis, non alienigenarum. Nam in hos competebat Dominis jus vitæ, & necis, tam apud Hebræos; quam apud alias nationes. Falſo heic igitur poſuiſti *ſervi, vel alienigenæ,* hanc legem fuiſſe. Ecce igitur! Dominus Hebræus, qui ſervo Hebræo dentem excuſſit, vel oculum effodit, non aliam pœnam pro ea injuria incurrit, quam ut liberum eum è ſervo faciat. Si Rex alicui ex ſuis ſubjectis ſimilem injuriam intulerit; quid patiendum illi fore dices? An talionis legi obnoxium eſſe contendes; quia non meliore conditione eum debere eſſe exiſtimas, quàm unum civium? At hoc abſurdum, nec unquam uſitatum in Regibus legitur. Quinimmo Scriptura tantum abeſt, ut exæquet ſubditos Regi; ut hos ſervos ſuis Regibus eſſe paſſim teſtetur, & Reges Dominos ſuis ſubjectis. Ergo imperium habuere in ſubjectos, quale Dominus in ſervos. An igitur Rex tenebitur, ut quilibet Dominus, ſi ſervum indigenam, & Hebræum, male tractaſſet, dentem excutiendo, aut oculum eruendo, abſolvere eum Sacramento fidelitatis, & Regia poteſtate liberum dimittere? Hoc etiam eſt ridiculum, & inauditum. Quali genere obedientiæ, & ſervitutis, obſtricti erga Reges ſuos tenerentur in Judæa ſubjecti, oſtendunt Gadianitæ, & Rubenitæ, in libris Joſuæ, capite primo, his verbis, quibus ſe eidem Joſuæ ſubjiciunt, ut antea Moſi ſubjecti erant; *Quicumque rebellaverit ori tuo, & non obedierit verbis tuis, in omnibus, quæ præceperis ei, interficietur.* Quibus aperte ſignificatur, quod hi ductores, ut & Judices, qui illis ſucceſſere, Κτεῖναι κύριοι ἦσαν; ut loquitur in hoc jure exprimendo Ariſtoteles: poteſtatẽ nimirũ occidendi habuerunt rebelles, aut dicto inaudientes. At Miltonus, ſupra, voluit Regẽ eadẽ lege, & pœna, teneri, quą cæteros cives delinquẽtes; & paulo ante, latrones, & Regẽ injuſtũ, eodẽ jure eſſe debere. Quomodo ex Scriptura hoc probabit, leges omnes, quæ criminibus dictæ ſunt in Veteri Teſtamẽto per Moſẽ, cõprehendiſſe etiã Reges ſub nomine cuiuſcumq; peccantis Iſraelitæ. Cur igitur neminẽ privatũ ex civibus adulterum, neminẽ furẽ, aut raptorẽ, neminẽ homicidã impune tuliſſe quod fecerunt, legimus: & Regibus hæc delicta citra pœnã ceſſiſſe verũ eſt, ut Davidi ſtuprum, & cædẽ; Salomoni, Adoniæ & Joabi homicidiũ; Achabo eripuiſſe vineã Naboth, aliis multis Regibus idolorum cultum; qui nulli privatorum impunitus relictus eſt? Cur leges proprie datas ipſis Regibus à Moſe, in xvii. Deut. de uxoribus, & equis multiplicandis, & divitiis am-

amplificandis, primi Reges ſtatim impune tranſgreſſi ſunt? Nam & Saül plures uxores habuit, ut Scriptura expreſſe docet; quæ teſtatur Deum dediſſe uxores Saülis Davidi: David præter illas etiam alias habuit plures. De Salomone notum eſt, greges eum uxorum, qua legitimarum, qua concubinarum, aluiſſe. Sed Idololatria, quæ tam ſevere lege Dei in privatos vindicata eſt, in Reges, ſi eadem lege, & pœna, qua cæteri, tenebantur, maxime debuit vindicari. Nam in Deuteronomio Lex divina non dat veniam fratri, nec marito, nec parenti, qui fratrem, uxorem, & natos non detulerit, ſi quidem hujus criminis rei facti ſint, aut hortatores etiam extiterint, quin & primi lapides in impios jacere jubentur. A filiis tamen hujus ſceleris reos poſtulari parentes nuſquam lege Dei præceptum legitur. Quinimmo, cum in Exodo Moſes Levitas arma capere jubet ad expiandam Idololatriam, atque ita quidem, ut ſingulis præcipiat non abſtinere à ſanguine natorum, fratrum, & uxorum, de parentibus tacuit. Multo minus de Regibus intellexerit, qui *Patriæ Parentes* habentur, & vocantur; etiam impii, etiam Idololatræ. Nullum etiam Regum de hoc crimine, nec alio quopiam, reum delatum, accuſatum, aut punitum apud Hebræos Scriptura meminit; cum tot Reges veri Dei cultum deſeruiſſe, & idola coluiſſe, memoret. Ipſe porro David, cum pœnitentiam ſecreto apud Deum pro adulterio, & homicidio, quæ commiſerat, ageret, ſe *ſoli Deo peccaſſe* clamat. Quæ verba omnes antiqui Græci, Latinique, Theologi, cum pleriſque recentiorum, hac mente ab eo prolata fuiſſe contendunt; quod neminem agnoſceret mortalium judicem, aut vindicem ſuorum peccatorum, præter Deum; utpote qui nullis legibus obſtrictus eſſet, nec ulli homini ſubeſſet. Ipſi etiam Rabbini idem probant ex loco Pſalmi XVII: ubi canit David, à facie Dei ſuum judicium egredi; *quod nimirum nullus homo, creatus, de Rege judicare poſſet, ſed ſolus Deus benedictus*. Quod ab aliis rite non jam obſervatum. Quod ſi nunc, Miltone, te obtorto collo vinctum traham, ut teſtis ipſe ſis contra te, an defugies auctoritates? non certe poteris; quantumvis ſis obſtinate pertinax, & refractarius. Meminiſtine te paulo ante, cum modo tuo exponeres verba illa Eccleſiaſtis, *Ubi verbum Regis, ibi dominatio eſt, & quis dicit ei, Quid facis?* te dicere, hæc de privatis intelligi debere? Si nemo ergo privatus Regi poteſt dicere, *Quid facis?* an ab ullo privatorum Regi poterit actio intendi? Non poterit Rex ab ullo reprehendi, multo minus accuſari, & reus fieri. Non licebit id facere ne illi quidem, qui læſus eſt, non parentibus, aut cognatis ejus, qui à Rege occiſus fuerit, aut illius, quam ſtupraverit. Sunt & crimina publica, quorum poſtulatio cuilibet è populo licita eſt, & libera. Sed nemini privato licet dicere Regi, *Quid facis?* Ita enim de eo loquitur Scriptura, non poſſe à quoquam illi

dici,

dici, *Quid facis?* At, ut apud Joſuam, *Quis avertet eum, & quis dicet ei, Quid facis?* Et apud Danielem, *Non eſt, qui cohibeat manus ejus, & qui dicat ei, Quid facis?* Ergo nec Regi quiſquam privatorum id dicere jure ſuo liceat; quia vicarius Dei eſt in terris. Si Miltonus aliquem Regum Iſraëlitarum poſſet producere, qui ab aliquo privato cujuslibet criminis reus factus eſſet, multum ſe jactaret, & vix eſſet præ faſtu ferendus. Nunc ne mutire quidem miſer poteſt, nec alio confugere, quam ad inſulſas ratiocinationes, quæ nihil agunt, niſi ut ineptiam, & vanitatem auctoris ſui prodant. Nam & ſtipulæ pondere levior eſt ratio, quam ſtatim adjicit. An à ſervitute Regum Ægyptiorum ideo liberatus fuit; ut uni ex fratribus ſuis duriore, ſi libeat, ſervitute opprimendus traderetur? Quaſi vero ulla durior ſervitus eſſe poſſet illa ſervitute, qua Iſraëlitæ ab Ægyptiis premebantur. Ad opus quaſi damnati ſub Ægyptiorum Rege, in ergaſtulis, luto tractando, & lateribus inde faciendis addicti erant. Atqui hæc pœna fuit ſervis nequam à Dominis infligi ſolita, ut in ergaſtulum dati, ac vincti, opus facerent. Tali genere ſervitutis in Ægypto Judæi oppreſſi gemebant. Inde liberati ſunt; ut legitimo imperio ſubderentur Regum, qui ex fratribus ſuis ſumpti in eos dominarentur. Nemo eſt, qui neſciat, quanta fuerit differentia illius ſervitutis, quam ſub Regibus ſuis tolerarunt, & illius, quam ſub Ægyptiorum regnatoribus paſſi ſunt. Nemo etiam ignorat, Judæos ſemper ſub Regibus fuiſſe, aut iis, qui poteſtatem in illos habuerunt Regiam. Moſes quippe, qui eos ab Ægypto eduxit, & ea ſervitute liberavit, Regio jure iis imperavit, jus vitæ, & necis, in eos habuit. Poſt eum Joſuæ eadem poteſtas attributa, ut & Judicibus, qui ei ſucceſſerunt. Quid de Regibus dicet, qui ſucceſſores dati ſunt Judicibus? an minori jure, & auctoritate, regnarunt? Cum hæc ita ſint, ſtolidus hic ſtipes *liberam gentem* appellat, quæ ſemper Regium dominatum perpeſſa eſt. *Populus*, inquit, *univerſus, libera nimirum gens, vindicem in terris neminem, nullam legem habebit; quo læſus, afflictus, & ſpoliatus confugiat.* Libera iſta gens, quam vocas, Regio imperio ſubjecta, ſi in libera Republica, & populo, vixiſſet, annon magis liberam putares fuiſſe, quam ſub Regio dominatu fuit? Apparet, te exiſtimare nihilo plus habere auctoritatis in cives ſuos Regem, quam populi Magiſtratum, ubi populus Dominus eſt. Ideo æque liberam vis videri eſſe gentem, quæ Regem habeat, & quæ non habeat, utpote cum Regem illius, tamquam unum ex civibus, conſiderari, & æſtimari velis, iisdemque omnibus legibus, & pœnis, cum quolibet privato teneri. Hæc Fanaticorum, tuique ſimilium Enthuſiaſtarum opinio; quæ omnia jura divina, & humana, violare nihil penſi habet, dum ipſi regnent, ſub alio tamen quam Regio nomine, quamvis non alio jure. Sed vis ſcire, patrone latro-

num,

anum, quo confugere debuit liber ille populus, cum à Regibus ſuis læderetur, affligeretur, ſpoliaretur? Nempe ad Deum ipſum. Nam & ita Deus hoc illi edixit per ſuum Prophetam; *Et exclamabitis die illa propter Regem veſtrum, & ille non exaudiet.* Et hæc à principio Deus populo denuntianda curavit prius, quam Rex eſſet conſtitutus, ut ſcirent quale remedium eſſent habituri, aut quam opem imploraturi contra illum, cum male ab eo tractarentur. Si ullam legem illis dare Deo placuiſſet, quæ defenderet eos ab injuriis, violentiis, & rapinis Regis futuri, non auxilium in ſe ſolo iis poſitum prædixiſſet; ſed dixiſſet, Vos legem habebitis, & eam vobis dabo, quæ vindicet vos & liberet ab ejus oppreſſione, & Tyrannide. Statim addit Miltonus, quaſi rem confectam inviſibilibus argumentis, & teſtimoniis irrefragabilibus Scripturæ haberet; *Quod cum neque divinæ Legi, neque rationi, conſentaneum ſit, dubium nemini eſſe poteſt; quin Propheta mores enarraverit, non jus Regium, neque mores prorſus Regum omnium, ſed plurimorum.* Mirifica beſtia es, qui, cum nullum ex lege divina teſtimonium produxeris, quin contra te aperte faciat, & omnia contraria tuæ aſſertioni doceat, audes tamen Scripturæ auctoritatem venditare. *Nemini*, inquit, *dubium eſſe poteſt; quin Propheta mores Regum enarraverit.* Immo contrarium nulli poteſt eſſe dubium. An Scriptura dicit eo loco mores hos Regum eſſe? De jure Regum diſerte loquitur. Ita enim Deus Samueli; *Prædic illis jus Regiũ.* Et ipſe Samuel; *Hoc*, inquit, *eſt juris Regii.* In Hebræo, *Meſchaphat Hamelech.* Alii ſunt *mores Regum*: aliud *jus Regium.* Jus Regium poteſtas eſt, quã omnes Reges habent, faciendi ſcilicet, quod volent. Mores Regum ſunt ſpeciales habitus ſingulorum Regum, quo aliter alius alio moratus dicitur. Non enim iidem mores omnium Regũ, ut nec omnium hominum. Nam ex morum ratione haud aliter conſiderantur Reges, quam cæteri homines. At jus Regium, ſumma eſt poteſtas Regum, quæ communis eſt omnium, qui Regio nomine dominantur, quamvis ea non omnes æque utantur; ſed parcius alii aliis. Interpretes Græci δικαίωμα heic reddunt; Chaldæus etiam *Bemedſagh*, id eſt, νόμος. Eam vocem Septuaginta aliquando ἐθισμὸν exponunt; alibi etiam τὸ καθῆκον, id eſt, *officium.* Hic mos eſt Regum, hoc jus, hæc lex, hoc officium hæc poteſtas; ut impune faciant quod libet. Eam conſuetudinem, & hoc jus, & hanc poteſtatem, non omnes ſummo cum rigore exercent; ſed alii remiſſius, alii ſeverius agunt. Et certe prout morati ſunt Reges, ita iſto jure Regio, quod ſummum eſt, & valde liberum, nec ullo limite circumſcriptum, minus, aut magis exerte, utuntur. Cum ipſum omnium ſit commune, uſus non omnium, ſed, quoniam ita vis, plurimorum: plures enim mali. Sed quod ais, id non eſſe conſentaneum legi divinæ, nec rationi, ut Reges ſumma cum auctoritate regnent,

&

& jus habeant faciendi quod volunt, fugit ipſum te ratio. De lege divina jam ſatis probatum eſt, eam contra te facere. Si legi divinæ hoc conſentaneum eſt, quod diximus, utique etiam à ratione non erit alienum. Nam lex divina cum ratione optime convenit, cum fundamentum in ratione habeat. Cæterum, ſi conſiderare placeat rationem per ſe nudam, & ex humano ingenio ſeparatam à lege divina, nihil magis conſentaneum rationi reperietur, quam id, quod docuimus. Primum heic omnis ratio poſtulat; ut quod Reipublicæ ſalutare eſt, hoc pro lege æterna, & nunquam refigenda, habeatur. Publicum autem bonum flagitat, ut non frequentes fiant in regimine civili rectorum mutationes. Nihil eſt enim, quod majoribus, & pluribus periculis rem ſummam exponat: quam crebræ mutationes eorum, qui illam gubernant; etiamſi in melius fieri videantur. Si malum Regem ad libitum populi deponi placebit, aut reùm criminis capitalis fieri, & eo nomine puniri, nunquam deerunt factioſi, qui in bonos Reges arma ſumant, aut accuſationes falſas inſtruant, quo è vita, & regno, expellantur. Malus erit, quemcumque bonum videri nollent conſpirationis ſocii, & quibus expediet talem haberi, qualem ipſi exiſtimari è re ſua putabunt. Et certum omnino eſt, etiam peſſimi Regis abjectionem non poſſe fieri ſine maximo regni detrimento. Nunc æſtimetur, quantum mali ſit redundaturum in Rempublicam ex optimi abdicatione. Documentum hujus rei dedit illuſtre ipſa Anglia. Quod adeo notum eſt, ut ipſi Angli id ſentiant, omnes exteri videant. Malum quod ex malo Rege timetur à ſingulis, compenſatur majori bono, quod in totam multitudinem ſubjectorum redit, evitatione damni, quod conſequi ſemper ſolet ejus expulſionem. Præterea ſæpe fit, ut, pro malo Rege, qui ſublatus eſt, pejor in ejus locum ſubſtituatur, aut deterior etiam gubernandi ratio inſtituatur. Sicut in Anglia nunc accidit, ubi Tyranni plures, pro uno Rege legitimo, imperant. Et heic locum habet, quod traditum eſt de anicula Syracuſana; quæ, cum in fano deprehenſa eſſet vota Diis faciens pro ſalute Dionyſii Tyranni, atque interrogata cur hoc faceret, ſcite, ac vere, reſpondit, quia metuebat, ne deterior alter illi ſuccederet, ut jam videret pejorem patri, pariter Tyranno, ſucceſſiſſe. Ideo omnes ſemper in omnibus regnis ſapientes nefas duxerunt, Regē, etiā malum, è gubernaculis deturbare; partim quoq; propter conſcientiam, quia à Deo conſtituti eſſent Reges improbi æque, ac probi. Hinc Joſephus ille, cui auctori multū tribuis, de Davide, qui Saülē noluerat occidere: Τὸν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ κεχειροτονημένον βασιλέα φήσας εἶναι δεινὸν ἀποκτεῖναι, κἂν ᾖ πονηρός· ἕξειν γὰρ αὐτῷ παρὰ τοῦ δόντος τὴν ἀρχὴν σὴν χειρονῷ τὴν δίκην· *Nefas eſſe dicens, Regē occidere, etiāſi ſit nequā. Tempore*

pore ſuo venturam ſuper eum vindictam ab eo, qui dederat principatum. Nempe à Deo, quem ſolum eſſe Regum judicem, & ultorem, vel hic locus probat. Si Regem ſimplici nece afficere illicitum; multo minus per carnificem id liceat, adjunctâ ad mortem ignominiâ, præſertim cum ne quidem maledici Regi, vel Principi, ſine ſcelere poſſe Scriptura teſtetur. Hinc illa Exodi; *Diis non maledices, nec populi tui Principem execraberis.* Et apud Samuelem (II. cap. xix. verſu xxi.) Simei mori debere pronuntiatur, *quia maledixerit Christo Domini.* Et in Jobi Hiſtoria impius nominatur, qui dixit Regi, *Rem injuſtam facis,* & qui dicit Principibus, *O impiiſſime.* Si Rex non haberet poteſtatem ſummam in ſubditos, non tam latis honorum, jurium, privilegiorum, & prærogativarum limitibus diſcerneretur à privatorum ſorte, & conditione. Et ſane ratio etiam poſtulat, aut, ut tecum loquar, rationi conſentaneum eſt, ut talem habeat poteſtatem, cum ſine imperio populos, curæ ſuæ commiſſos, regere non poſſit. Quomodo in officio continebit, qui ſponte illud facere neſciunt, ſi cogere vi non poſſit, qui obedientiam præſtare juſſis ejus nollent? ſi à quolibet privato accuſari, reus fieri, & puniri poteſt, non plus auctoritatis in eo erit, quam in quolibet de plebe. At vult Miltonus Regem parem eſſe civibus cæteris, & cæteros cives pares Regi. Egregia vere forma Reipublicæ, in qua Regio jure ſubditi Regi imperabunt, & Rex ſubjectis ſuis erit ſubjectus! Hoc regimen adprobet ſuo Cromwellio, & exercitui, qui nunc dominatur; perſuadeat, nihil plus illis poteſtatis competere, quam alicui *apprenticio,* ut apud eos vocantur. Quod de Regis ſummo imperio dico, non minus experit & in Optimates, qui Rempublicam adminiſtrant, in eo ſtatu, qui ab illis denominatur; & in populum, cum popularis eſt gubernationis forma. Et recte quidem Ariſtoteles, cum ſcripſit, libro tertio *De Republica;* Ἀνάγκη δ᾽ εἶναι Κύριον, ἢ ἕνα, ἢ ὀλίγους, ἢ τοὺς πολλούς· *Neceſſe eſt, ut ſinguli Domini ſint, aut pauci, aut multitudo.* Qui eſt Κύριος in adminiſtranda Republica, jus habet Domini, quod eſt Regium jus Samuelis, ut facere poſſit, quod velit. Et hoc tam rationi, quam Scripturæ conſentaneum eſt. Fac parem Regem ſuis ſubjectis, eadem ratione Magiſtratum feceris parem reliquis civibus, patronum clientibus, dominum ſervis, magiſtrum diſcipulis, patrem liberis; ſic imperium cum ſubjectione idem erit, & omne rerum diſcrimen tolletur: at miſerabilis genus humanum invadet ἀναρχία, & confuſio. Advocatus perduellium, auctoritate legis divinæ fractus, quam fruſtra in ſuas partes trahere voluerat, Rabbinos per vim ſuos facere tentavit, in quo oſtendit feliciores fuiſſe, quos defendit, in committendo parricidio, quam ipſe eſt in eo excuſando

ſando. *Caput iſtud*, inquit, *de Rege, in quo R. Joſes jus Regium autebat contineri, Deuteronomii eſſe, non Samuelis, manifeſtum eſt.* Vis te moneri, quomodo manifeſtum id ſit? Ut omnia ſunt, quæ pro talibus obtrudis: quibus nihil eſt obſcurius, incertius, nec etiam falſius. Et hoc ſane unum de falſiſſimis. Potesne dicere qua ratione ſic hoc manifeſtum? An in Deuteronomio ulla mentio ſit, nominatim *Meſchaphat Hamelech, juris Regii?* Atqui bis nominatur in illo capite Samuelis. Ergo eo capite contineri, longe manifeſtius eſt, in quo diſerte ſic appellatur, quam in illo, ubi nulla omnino mentio ejus extat. Rem ipſam videamus. De jure Regio, quo ſingillatim enarrantur omnia, quæ Rex facere poteſt impune, nullum verbum in Deuteronomio, quo leges, & præcepta tantum, dantur Regi, quem Iſraelitæ conſtituere debebant, ubi ingreſſi eſſent terram Chananæorum. Jus Regium autem non conſiſtit in legibus, quas Rex accipit, & quibus ſe ſubmittere tenetur; ſed in illis, quas ipſe dat, & in illa libera agendi poteſtate, qua quod vult facit. At de tali jure plane tractatur in illo Samuelis capite, in quo exponit quæcumque pro illo jure, quod ibi Regium nominatur, facere Regi, ſi libeat, etiam licet: jus ibi poteſtas eſt, quam Reges habent, faciendi quod volent. In Deuteronomio nihil habetur de ejusmodi poteſtate, vel imperio Regio. Præterea Kimchius ſcribit R. Joſe jus illud Regium è Samuelis illo capite accerſere. Certe, & Maimonides inde etiam accerſit. Rationem autem addit Miltonus, cur illud Regis jus non poſſit è Samuele peti; *Samuelis enim caput ad terrorem dumtaxat populo injiciendum pertinere, rectiſsime quidem, & contra te, dixit R. Judas.* Niſi improbitas tibi mentis lumen excœcaſſet, videres id, quod nunc præ cæcitate, & ſtupore non vides. Rogo te, utrum putes, verum illum, an falſum terrorem fuiſſe; quem incutere populo voluit Propheta? Si verus fuit, ut aliter exiſtimare non licet, ex vera injectum eſſe narratione, & comminatione, oportet: vera igitur illa omnia fuere, quæ de Regio jure dixit Samuel, quod hæc, & illa, facturus eſſet pro ſuo jure, ut populum abſterreret à Rege ſumendo. Hoc etiam dixit Salmaſius, *deterrere, & avertere populum voluiſſe Samuelem à Rege eligendo, cum mala enumeravit, quæ, ex poteſtate illa Regis effrænata faciendi quod libet, venire populo poſſent*; tantum abeſt, ut hac in re adverſarium Judam habuerit. Mox ais; *Perniciosum eſt enim id jus nominari, atque doceri; quod injuſtitia plane eſt.* Quo pertinet illud tuum *enim*? An rationem reddis, cur R. Judas illa Samuelem dixiſſe tantum voluit ad terrorem populo inferendum? Ergo jus non eſt, ſed terriculamentum dumtaxat populo intentatum: Samueli itaque ipſi dicam ſcribe, qui jus Regis hoc nominavit, & quidem bis. Si μορμολυκεῖον illud fuit, & moſtreſſum inane, Iſraelitis, quaſi

pueris, à Samuele oſtenſum, impoſtor ille, oportet, fuerit, & pſeudopropheta; qui vano metu terrere voluit populum Dei: ſi hoc non capit veri Prophetæ ſanctitas, & ſinceritas, jus illud verum fuit. Certe illud ipſum jus, quod Reges haberent, quale eſſet, populo propoſuit Samuel; ſiquidem verus Propheta, & homo Dei extitit; ut eum dimoveret ab hac cogitatione regis accipiendi. Ut jus illud perniciosum videatur, & mera injuſtitia, eodem pertinere exiſtimat Miltonus verſum decimum octavū; *Et exclamabitis die illa propter Regem veſtrum; ſed non exaudiet vos Deus. Obſtinatos enim,* inquis, *iſta nimirum pœna manebat; qui Regem, nolente Deo, ſibi dari voluiſſent.* Hæc nihil ſunt, id eſt, Miltoniana. Præmonet tantum Samuel, pœnitentiam aliquando acturos; quod Regem petiiſſent, ubi in malum incidiſſent; & fruſtra Deum invocaturos, ut eo ſe liberarent. Falſum eſt autem, nolente Deo, Regem illis datum; cum longe antè Moſes eis prædixiſſet in Deuteronomio, ex Dei voluntate Regem habituros, quando intraſſent in terram Chanaan. Ergo Deus in Deuteronomio voluit, ut Iſraëlitæ Regem haberent: in Samuele noluit. Concilia hæc, ſi potes, & deſine nugari. Non jam nugæ ſunt; ſed impietas immanis, quod in ſequentibus ſubjicis. *Quanquam,* inquis, *iſta verba non prohibent, quo minus & vota, & quidvis aliud, tentare potuerint.* Iſte Prophetiarum interpres, Miltonus, Anglus, ex gente Prophetica, longe major eſt Propheta ipſo Samuele, & virtutis longe efficacioris. Ille miſer, & ineptus Samuel populum ad inanes tantum preces decurrere voluit; quoties de Rege aliquid conquerendum ad Deum haberent, nec ultra quidquam tentare: iſte, nova illuminatione ex alio ſanctiore inflatus ſpiritu, quidvis populo experiri permittit; ut ſe ab importuno Rege expedirent. *Nam procul dubio,* inquit, *ſi populo licet contra Regem ad Deum clamare; licebit etiam, omnem aliam rationem inire, qua ſe liberent.* Nimirum armis eum perſequi poterant, capere vivum, abducere in carcerem, ad tribunal ſiſtere, ſententiam capitis in eum dicere, & carnifici decollandum tradere. Quaſi ſcilicet cui minus licet, ei etiam majus liceat. Ego poſſum alapam impune famulo meo dare, licebit ergo mihi etiam eum occidere. Tales ſunt omnes Miltonianæ conſequentiæ, & præclaræ concluſiones, & ratiocinationes. Non miror etiam hanc eſſe nunc religionem novorum Prophetarum, qui veterem ſuperſtitionem aboleverunt, quæ multum ab hac diſcrepantem opinionem, & doctrinam tenuit. Sed non poſſum ſatis mirari, quod hanc eamdem velint eſſe mentem Samuelis; ut qui ſub nomine precum & votorum, quæ populo permittit, extrema quæque, etiam manu, contra Regem tentanda intellexerit. Sed illud maxime mirandum, cum tot Prophetæ poſt Samuelem ſub Regibus vixerint, nemini eorum in mentem venire potuiſſe ſic interpretanda eſſe

verba

verba Samuelis. Neminem quippe in uſum ea convertere conatum eſſe, Iſraëlitas ad arma vocando contra Reges improbos, injuſtos, idololatras, quales plurimi extitere. Quin, è contrà, multi Prophetarum à Regibus incarcerati ſunt, & necati impune; cum nemo ex eo numero vatum, qui eodem tempore vixerunt, auſus ſit contra Regem eo nomine inſurgere, illi maledicere, aut populos ad ſeditionem concitare. Notandum autem, Samuelem dicere, ne vota quidem populi contra Regem ſuum à Deo eſſe exaudienda. At iſte ſacrilegus ſceleratas, & impias manus rebellium in Regem armari, fas, piumque, ſub nomine Divinæ invocationis, quaſi ex ſententia Samuelis pronuntiat. Cur igitur Apoſtoli, & proximi temporibus Apoſtolorum Eccleſiæ Doctores, pro Regibus orandum eſſe præceperunt, etiam Chriſtianæ fidei oſoribus, ac perſecutoribus? Longe abfuiſſent iſti Miltonianis his verbis ſuſcribere; *Quis quovis malo cum premitur, ſic ad Deum clamat, ut cætera omnia, quæ officii ſunt, negligat, ad otioſas tantum preces devolutus?* Secundum hanc execrabilem profani & blaſphemi hominis doctrinam quilibet Chriſtianus, Regi alicui, vel Principi ſubjectus, qui aſperum in ſuos dominatum exerceat, officii ſui credet, non tantum talem Regem, & Principem votis interficere, & ad otioſas tantum preces confugere: ſed diſertius aget, ferrum parabit jugulo ejus, aut lateri infigendum; aut ſicarios ſubornabit, qui id faciant; aut multitudinem ad rebellionem incitabit contra Regem ſuum; & ſic voti ſui compos, & Regis, eum tradet carnifici ſub oculis univerſi populi ſecuri parricidali percutiendum. Atqui legibus omnium fere populorum, quæ de majeſtate latæ ſunt, etiam Anglicanis, vel meditatum dumtaxat, contra Regem ſcelus pœna capitis vindicatur. Et Salomon in Eccleſiaſte, *Ne in cogitatione quidem Regi eſſe detrahendum* præcipit, capite decimo, verſu viceſimo. Cæterum vidit, quaſi per lippitudinis ſuæ nebulam, Miltonus, non adeo probabilem omni hominum generi videri poſſe hanc divini Prophetæ verborum explicationem, & quaſi ea jam diffidens, ita paululum ad ſe redit. *Verum,* inquit, *utrumque ſit, quid hoc ad jus Regium? quid ad noſtrum?* Quid, nebulo? Nihil pertinere putas ad jus Regium, quod ille, à quo explicatur, ipſiſſimo hoc nomine *Jus Regum* appellavit. Quod adjeciſti, verum eſt; *Quid ad jus noſtrum?* Optime ſane. Nam jus veſtrum non amplius Regium eſt; ſed Tyrannicum, & militare. Jus eſt, quod in armis dicitur, quod jus belli vocatur, jus victoriæ, jus perduellionis, jus parricidii. Quo jure, ut quod commodaſti bona fide tibi reſtituam, nihil eſt perniciosius, nec injuſtius. Quæ ſequuntur, qualia ſunt, non poſſum dicere. Melius ex ipſo poterimus audire. *Qui Regem, nec invito Deo, unquam petivimus, nec ipſo dante accepimus; ſed jure gentium uſi, nec jubente Deo,*

nec vetante, noſtris legibus conſtituimus. Hæc vindicibus flammis per carnificem in medio foro potius expiari merentur, ut factum Toloſæ, & Lutetiæ, quam refelli. Fanatici hominis hæc oratio eſt, in Deum impia, hominibus abominanda, & auctori, ſi quando juſtitiæ locus erit, per jugulum reditura, immo & vivicomburio digna. Scelerate, an aliquid Deus facit invitus? Ergo coactus facit. Quis illum, aut quæ res poteſt cogere? Ne reges quidem mortales cogi ſe patiuntur ad hoc, ut aliquid contra voluntatem ſuam ingrati faciant, nedum rex æternus, & rex regum permittat quidquam fieri, quod nolit. Omnia fiunt, vel Deo jubente, vel permittente, utique ſemper volente. Nam niſi vellet, non fierent. Tu ſæpius heic repetis, *nolente Deo, invito Deo*, regem Iſraëlitas & petiiſſe, & ſupra ſe conſtituiſſe. Aſpicite gentem ſanctam, quæ Deo non dante reges ſibi facit, eoſque conſtituit, nec jubente Deo, nec vetante! Ergo connivente aut dormitante, certe alias res agente. Nullæ igitur ſecundum hos Sanctos divinæ providentiæ partes ſunt in reges populo ponendos. Negotium ſuum agat Deus: nos noſtrum agimus. Nihil ad illum pertinet videre quos reges nobis eligamus. *Jure gentium uſi, legibus noſtris eos conſtituimus.* Audire videor impium Mezentium apud Poëtam ita loquentem:

Dextra mihi Deus, & telum, quod miſſile libro.

Sic iſti, Noſtra lex nobis Deus in regibus creandis. Nihil iſtic habet Deus, quod agat. Nec ſuum jus hoc peculiare eſſe contendunt, ſed omnium gentium commune aſſerunt: Hanc nimirum deteſtandam doctrinam in nationes ſpargi volunt, & ad omnes populos pertinere, ut ex jure gentium profecta videatur. Atqui nec gentilitas quidem ipſa cum ſuis falſis diis, & inſanis ſuperſtitionibus, hac adeo execranda opinione ſe conſceleravit, ut crederet, reges accipi populis, Deo eos non dante. Paſſim agnoſcit, Reges divinitus conſtitui, id eſt, ex Dei determinatione dari. Διοτρεφεῖς & διογενεῖς, appellantur eorum Poëtis. *A Jove eſſe Reges* iidem canunt. Judæi non aliud de iis ſenſerunt. Eſſeni ideo ſe Principibus fideles fore jurabant. ὐ γὰρ δίχα Θεοῦ τινι περιγίνεσθαι τὴν ἀρχήν. Si Scripturæ ſacræ fidem haberent, & à Deo dictatam crederent, non hanc impietatem mentis imbibiſſent, Reges à Deo non dari. Ubique lex divina inſinuat, tam bonos, quam malos reges gentibus imponi à Deo: malos, offenſum & iratum, ad punienda peccata populi, cui dantur, eum aſſignare, non tamen invitum; bonos, benignum & faventem indulgere. Hinc *Chriſti Domini, paſtores Domini, electi Domini*, paſſim vocantur. *Deus regna transfert, & conſtituit.* Et, *Dominantur in regno hominum,*

hominum, & quem vult, conſtituit in eo. Deus ipſe dixit in eodem Daniele, *Reges per me regnant.* Jobus; *Regnare facit Deus hominem hypocritam propter peccata populi.* Chriſtianorum doctrina ab ipſis Apoſtolis tradita, & per manus à Patribus Eccleſiæ accepta, non alia fuit. Unde & Paulus, *Non eſſe poteſtatem niſi à Deo, & quæ ſunt poteſtates, à Deo eſſe ordinatas.* Tertullianus *à Deo eligi Imperatorem* in Apologetico ſcripſit. Et qualem Imperatorem? Quales fuere, qui tunc imperabant, profani, infideles, Eccleſiæ Dei perſecutores, Tyrannice regnantes: *Imperatorem*, inquit, *neceſſe eſt, ſuſcipiamus, ut eum, quem Dominus elegit.* Gentiles, Judæi, Chriſtiani olim omnes in eamdem fidem de regibus à Deo dătis, conſtitutis, electis, κεχειροτονημένοις, conſenſerunt. Sed hæc prius fuere, nunc recondita ſenent quiete. Soli Angli hodie reges ſuis legibus conſtituunt, Deo acceptos eos non referunt,

Nec curare Deûm credunt mortalia quemquam.

Cum ſanior, & ſanctior, diſciplina providentiam Dei vel ad minima quæque extendi teneat, nedum in re tanti momenti, qui rectores orbis gentibus, ex quibus univerſorum ſalus dependet, imponendi ſunt, ea locum habeat. Sed nondum per hæc hominis impietas exhauſta eſt, adhuc largius exundat in his, quæ ſequuntur pro concluſione. *Quæ cum*, inquit, *ita ſe habeant, non video quamobrem nobis laudi atque virtuti tribuendum non ſit, Regem abjeciſſe, quando quidem Iſraëlitis crimini eſt datum, Regem petiſſe.* Ut argumentatur carnifex! ut Scripturæ divinæ illudit! ut fucum facit! ut veteratoriè execrandum patricidium, in regem commiſſum, ſolo abjectionis nomine tegit! certe egregiam inde laudem reportaſtis, ſic regem abjeciſſe! Ut legibus veſtris vos eum conſtituiſſe dicis, an leges etiam habuiſtis, quæ ita abjici juberent, ut per carnificem neci daretur? Concluſio hæc ipſa quomodo cum præmiſſis paria facit? Deo nec vetante, nec jubente regem conſtituimus: ergo magnæ virtutis fuit opus, eum carnifici tradidiſſe. Ratio etiam inſanior, quam ſubjicit, & falſior. Iſraëlitis crimini datum eſt, Regem petiiſſe; nobis ergo laudi tribuendum, quod noſtrum, quem nobis conſtitueramus, ſupremo per carnificem ſupplicio affecimus. Quaſi hæc duo inter ſe contraria ſint; regem petere, cum antea non habueris; & necare, cum habueris. Aut quaſi ex his duobus contrariis alterum in vitio, alterum in laude. Quid ſi Iſraëlitæ regem à Deo non petiiſſent, ſed, ſicut vos, invito Deo eum conſtituiſſent? Nonne majus crimen commiſiſſent? Anglos ita feciſſe conſiteris, pariter ergo criminoſos in rege faciendo, ac tollendo. Sceleſte, ubi legiſti, & unde didiciſti, criminis loco deputatum fuiſſe Iſraëlitis, quod regem petiiſſent? An Scriptura hoc docet?

Eſto, hoc verum ſit, quod tamen non eſt. Si crimen fuit Iſraëlitarum, Regem petiiſſe, male etiam fecit Deus, immo peſſime, qui petitioni eorum annuit. Majus quippe crimen fuit habuiſſe, quam petiiſſe. At hujus peccati Deus auctor illis, qui dedit petentibus. Sed invitus dedit. Deus nihil facit invitus. Sed, ſi invitus, haud poſſit effugere, quin vel ſic hujus peccati auctor fuerit. Si crimini autem datum eſt Iſraelitis, regem petiiſſe; an inde ſequitur, vobis in laudem ceſſiſſe, quod regem, quem conſtituiſtis, abjeceritis? Nam & illi ipſi, qui fatentur, reges à populo conſtitui, poſſe etiam deſtitui non concedunt. *Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes:* ita Rex majori crimine abjicitur, quam petitur, aut conſtituitur. Si non petatur, nec admittatur, nihil inde periculi in Rempublicam timendum. Ita, cum maximo rei ſummæ detrimento ſæpe ejicitur. *Conſtituimus*, inquit, *Regem legibus noſtris.* Male ergo feciſtis, qui conſtituiſtis talem, idque invito Deo, ſaltem non petitum à Deo, qui poſtea cum laude fuit abjicendus. Ergo vere eum creaviſtis, & vitioſæ illæ leges, ex quibus eum vobis impoſuiſtis. Ubi autem leges illæ? Quæ leges? aut quomodo conſtituiſtis? An electione populi per ſuffragia creatus eſt? Non aliter potuit à vobis conſtitui. Sed quis neſcit huic veſtro Regi, quem abjeciſtis, jus ſucceſſionis, non electionis, regnum detuliſſe? A Gulielmo Conquæſtore, ne anteriora repetam, an alia fuit ratio in Anglia recepta regis conſtituendi? Hæc lex, non alia, vobis dedit hunc regem. Vos feciſtis ſcilicet; ut Dominus eſſet legitimus, & principalis omnium terrarum, quæ à quoquam in Anglia poſſidentur. An ullum eſt jugerum agri in iſto regno, cujus dominium non habeat penès ſe Rex Angliæ, cum poſſeſſiones omnium privatorum ab eo, jure primario, teneantur: ſubditi autem, qui eas jure fiduciario tenent, fidem illi, & fidelitatem, ſacramento etiam promiſſam, ſervare debeant. Quod omnes, qui Angliam incolunt, clientes, ac vaſalli Regis ſint, vos ſcilicet illi contuliſtis. Idcirco & abſtuliſtis. Quod igitur Regi non dediſtis, quomodo ei eripere ſine ſummo crimine, & ſcelere potuiſtis? Non Regem tantum, ſubditi; ſed etiam Dominum, ſervi, & vaſalli, necaviſtis. Et hoc vobis virtuti, & laudi tribuendum jactatis? Væ talibus Sanctis, qui omnem ſanctitatem profanant, & jura omnia violant! Sed ab eventu factum hoc judicandum, ſanctorum Savernæ antiſtitum patronus pronuntiat. *Res*, inquit, *ipſa comprobavit. Nos enim, qui Regem, cum haberemus, deprecati ſumus, tandem exauditos Deus liberavit: illos, qui, cum non haberent, à Deo efflagitabant, ſervire juſſit; donec, Babylone redeuntes, ad priſtinum Reipublicæ ſtatum reverſi ſunt.* Quot verba, tot impoſturæ, tot impietatis argumenta. *Res ipſa comprobavit.* Quid comprobavit? Vos recte Regem veſtrum capitali ſupplicio affeciſſe, & ſic abjeciſſe. Hoc enim agebatur. Quid inde boni conſequutum eſt? Immo quid non

mali?

mali? Servitus intoleranda ſub prætextu libertatis impoſita; graviſſima tributa ſuperindicta; cædes, & ſupplicia innocentium; everſiones plurimarum familiarum; & omnia, Tyrannidem ſequi ſolita, infortunia cum Reipublicæ totius interitu. *Regem, cum haberemus, deprecati.* Quando à Deo precati eſtis, ut talem Regem à vobis amoliretur? Statim à vi, & armis, ad eum ejiciendum, & perdendum incepiſtis. Quæ autem ratio vos compellebat ad Deum recurrere, ut à vobis illum tolleret; cum Dei auxilio, & ope non opus vos habuiſſe dicas ad eumdẽ conſtituendum? Deſtitutio ejus non magis requirebat Dei gratiam, & favorem; quam conſtitutio. *Tandem nos exauditos liberavit.* O gentem Deo dilectam! Deus illam exaudivit, cum audire noluerit Iſraëlitas, ejus opem implorantes contra Regem, quem ipſe dederat. Et jure quidem Iſraëlitæ à Deo efflagitabant, ut illum, quem dederat, repeteret, & auferret: ſed quo jure Angli Rege ſe liberari poſtularunt à Deo, qui non ab ejus manu illum acceperant? Nonne ipſis reſpondere debuit Deus; Talem vobis Regem impoſuiſtis, eum vos quoque, ſi vultis, tollite: Nihil heic habeo, quod agam, aut curem. Jobus dicebat de bonis, quibus exciderat, & liberis, quos amiſerat; *Deus dedit, Deus abſtulit.* Angli de Rege, quem ipſi abjecerunt, audent dicere; *Deus non dedit, ſed Deus abſtulit.* In parricidio committendo, quale nunquã Deus in ullo unquam Rege factum probaſſe certa fides eſt, vos, Deum auctorem ſequutos, ejus mandata exequutos mentiri ſuſtinetis. In eo vero eligendo nullam Deo partem aſſignatis; omnia contraria veriſſima ſunt. Nec vos hunc vobis Regem elegiſtis; ſed jus ſucceſſionis regnum ei dedit: ut in omnibus regnis hæreditariis fieri amat, quæ πατρικὰ ideo Ariſtoteles, & κατὰ γένος, & κατὰ νόμον vocat; quia legitima ſunt, & ex hæreditatis paternæ & ſucceſſionis jure, in ejusdem familiæ Principes ab avis, atavisque devolvuntur. Et tali conditione fuiſſe regnum Angliæ à Gulielmo uſque Conquæſtore, ne ulteriora memorem, nemo eſt, qui neſciat. *Illos, qui cum non haberent, à Deo efflagitabant, ſervire juſſit.* An aliter Deus eos ſervire juſſit, quam quomodo ſubjecti ſolent eſſe ſervi Regibus ſuis, id eſt, Dominis? In juris Regii deſcriptione Samuel hoc quoque adpoſuit, *Et vos eritis ei ſervi.* Regẽ ſibi petierunt dari, ſicut vicinæ gentes habebant; Deus eorum preces, & poſtulata exaudivit, & Regẽ pari jure, & conditione illis indulſit, ut illi erant, qui populis finitimis imperitabant. *Donec, Babylone redeuntes, ad priſtinũ Reipublicæ ſtatũ reverſi ſunt.* Quis ille priſtinus Reipublicæ ſtatus, ad quẽ reverſi ſunt, è Babylonia reduces? An potes monſtrare aliũ fuiſſe, quã Regiũ? Nonne Moſes jure, & poteſtate Regali, populum ex Ægypto migrare juſſit; & per totum tempus, quo in peregrinatione fuere, rexit? Rex etiã in Deuteronomio fuiſſe dicitur. Dubiũne cuiquã

eſt, quin Joſuas in eadem poteſtate, & jure, ei ſucceſſerit? Jus utique necis habuit in ſubjectos inobedientes. Non minus etjam certum Judices re potius, quam nomine, populum Regio imperio gubernaſſe: ſed nec nomen Regium eiſdem defuiſſe, quod Scriptura illis dat. Hinc in Eccleſiaſtico ſcriptum legimus, capite quadrageſimo ſexto; *Samuelem Prophetam Dei renovaſſe imperium, & unxiſſe Principes in gente ſua.* Renovavit nempe imperium Judicum, quorum ibidem paulo ante in eodem capite facta mentio, unctis Saüle & Davide in Reges. Sic re, ac jure, idem imperium fuit Judicum, & Regum; nomine diverſum, & luxu, pompaque Regali, quæ Judices non habuerunt. Poſt remigrationem ex Babylone, nemo in ipſos vere regnavit appellatione, & poteſtate Regali. Nam, cum ea, quæ religionem, & cæremonias ſpectarent, libere adminiſtrare Perſarum Reges Judæis, in patriam reducibus, permiſiſſent, Cyrus, Darius, & Artaxerxes; Templumque ædificare: provincia tamen Judæa, cum reliquis Syriis, & Ægypto, ſub imperio Perſico manſit, poteſtate Eccleſiaſtica penès ſummos Pontifices relicta. Ubi regnum Perſarum ab Alexandro everſum fuit, ſub ejus ſucceſſoribus Ptolemæis, Antigonis, Antiochis, Ægypti & Syriarum Regibus, eadem facies Reipublicæ in Judæa ſervata eſt. Et velim credere αὐτονομίαν iſtos Principes Judæis conceſſiſſe; non tamen ut poteſtas, & appellatio Regia per omnia iis ſimul indulta eſſe intelligi queat. Maximus Pontifex rei ſummæ præerat, idemque regimen tenuit; donec Romani, Macedonibus ex Ægypto & Syria ejectis, rerum in Judæa potiti ſunt, uſque ad Ariſtobulum, qui primus, diademate accepto, & Regio nomine aſſumpto, convenientem nomini dominationem arripuit. Et cum antea nihil ſine Synhedrii ſententia gererent, ubi Reges tam re, quam appellatione, facti ſunt, in hujuſmodi quoque faſtigium aſcenderunt, ut ſupra Synhedrium ſe collocarent, & omnia ad libitum facerent, ipſoſque ſummos Sacerdotes deponerent. Nunquam tamen bona fide ſui juris fuerunt, ſed ſemper aut ſub Perſis, aut ſub Macedonibus, aut ſub Romanis vicariam poteſtatem obtinuerunt, ἐθνάρχαι, aut τετράρχαι verius, quam legitimi, & abſoluti Reges. Falſo igitur falſius eſt, quod heic aſſerit mendaciſſimus bipedum, Judæos rediiſſe ad antiquum Reipublicæ ſtatum, poſt reductionem è captivitate Babylonica. Talmudicum deinde ludum aperuiſſe ait Salmaſium; ſed ſiniſtro augurio. An feliciores aves viderit iſte bonus augur, jam experiri libet. Ex tractatu Sanhedrin oſtendit Salmaſius Regem non judicari. *Rex nec judicatur, nec judicat. Sacerdos ſummus & judicat, & judicatur.* Hoc, inquit Miltonus, *cum petitione iſtius populi pugnat? qui ideo Regem petebant, ut judicaret.* Quid hoc ad rem? Id tantum quæritur hoc loco: An

Rex

Rex judicetur; non, An etiam judicet? Non autem cum petitione tantum ipſius hoc pugnat; ſed etiam cum ipſo jure, & more Regum, perpetuo eorum uſu confirmato: quia ſemper judicia eos conſtat exercuiſſe; ut ex plurimis Scripturæ teſtimoniis probari poteſt. Quomodo tamen id intelligendum ſit, quod in Tractatu *De Synhedrio* ſcriptum eſt, conatus eſt Salmaſius explicare. Hanc controverſiam diſcutiendã arripuit Miltonus. In hac totus eſt, relicta quæſtione principali, quæ magis ad negotium noſtrum pertinet, & quam ſolam nunc urgemus, *Regem non judicari.* Si quid habebas, quod huic veritati opponeres, in numerato tibi ſolvendum fuit; non divagari ad alia, quæ non ſunt hujus loci. A primo Rege Saüle ad captivitatis Babylonicæ uſq; tempora, eo jure uſos fuiſſe omnes tam Iſraëlis, quam Judæ Reges, certo certius eſt, ut judicarent, nec judicarentur. Et Miſnæ auctoritas tanti eſt, ut prævaleat omniũ Rabbinorũ poſteriorum ſententiæ; quia aut aliter tradiderunt, aut diſcrimen facere voluerunt inter Reges Judæ, & Iſraëlis. Nam abſolute Miſna docet ſine ulla diſtinctione, Regem non judicari. *Conſuetudine id factum* vult Miltonus; *non jure, aut, ſi jure, pœnas petendi Regis luebant.* Quæ ſtultiſſima eſt ratio; in qua tamen mirifice ſibi plaudit; nam ter eam una in pagina repetiit; ideo ſervos Regi factos, & regem ipſorũ judicium capitis non ſubiiſſe, quod regẽ obſtinate petiſſent, in pœnam ſcilicet criminis, quod hac petitione incurriſſent. Quo nihil poteſt fingi abſurdius. Jus ſcilicet illud regum à Deo inſtitutum eſt; quo reges à ſubjectis non judicarentur, & quo ſubjecti, ſervi eis eſſe deberent, ut hoc modo culpam commiſſã luerent, quod regem poſtulaſſent. Nihil eſt, quod magis adverſetur Scripturæ menti. Non enim crimini datum eſt Iſraëlitis, quod regẽm petiſſent: non pro pœna ipſis propoſita juris regii licentia effrænata. Sed, cum vellet eos deterrere Propheta à petendo & habendo rege, propoſuit illis, quale eſſet regium jus, & quæ eorum poteſtas in populos ſibi ſubjectos, & quæ mala, & incõmoda ex tam abſoluto imperio eos manerent. Conſuetudinem tu vis potius eſſe, quam jus. Sit ſane conſuetudo, ſic etiam jus erit. Nam quod quis ſæpiſſime facere conſuevit, etiam pro jure ſuo libenter facit, & quidem impune. Jus fuiſſe verius præſtantiſſimi Rabbinorum affirmant. Maimonides, de quo dictum eſt, *Ab altero Moſe non fuiſſe alterum ſimilem Moſem,* ſcripſit, *Quæcumq; in eo loco Samuelis dicta ſunt, competere Regi.* Kimchius ex Rabbino Joſe notat, quidquid in eo textu à Samuele de jure regio traditum eſt, *licere Regi.* Et ipſe vocem *Miſphat* per *Thora* explicat: quod eſt *ſtatutum,* vel *lex* Chaldæus Paraphraſtes, Jonathã Ben-Uziel, *Numeſa Miſphat,* id eſt, νόμον interpretatur. Latinus quoq; Interpres in Verſione Vulgari idẽ vocabulum Hebraicum, quod nomine Latino *jus* reddiderat, *legem* vertit, cũm de eodẽ jure regum loqueretur, Samuelis lib. I

primi capite decimo. Nam Samuel, ut ibi dicitur, de jure Regio, ſive regni, librum ſcripſerat. In Hebræo eſt *Meſchaphat.* Vulgaris Verſio habet *legem,* quæ capite octavo Samuelis, cum de eadem re ſermo eſſet, *jus* nominavit: *Et loquutus eſt Samuel ad populum legem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino.* In Græco eſt, Καὶ εἶπεν ὁ Σαμουὴλ τὸ δικαίωμα τῆς βασιλείας. Et idem omnino eſt, quod vocavit, capite octavo, δικαίωμα τοῦ Βασιλέως, *jus Regis*, ſive *legem Regis*: Καὶ ἀπαγγελεῖς αὐτοῖς τὸ δικαίωμα τοῦ Βασιλέως, ὃς βασιλεύσει ἐπ' αὐτούς· *Et prædices jus Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.* Quid eſt proprie Græcis δικαίωμα? Id nempe, quod quis ex jure ad ſe pertinere, & officii ſui eſſe exiſtimat. Unde & τὸ δικαίωμα τοῦ ἱερέως, libro I. Samuelis, cap. II. quod Sacerdos jure ſuo, & ex officio Sacerdotis, ſibi tribuendum eſſe intendebat. Nam verbum δικαιοῦν nihil aliud proprie ſignificat, quam aliquid juſto titulo ſibi vindicare, & aſſerere. Unde δικαιώματα Ariſtoteli ſunt cauſæ firmamenta. *Juſta ſua allegare* Terentio ſunt τὰ δικαιώματα αὐτοῦ, quæ in jure quis poteſt allegare ad jus ſuum defendendum, & cauſæ ſuæ juſtitiam aſſerendam. Jus regni, ſive lex regni, de qua librum ſcripſerat Samuel, idem eſt cum iure Regis, quod Iſraelitis, quale eſſet, denunciavit, cum ab ipſo Regem periiſſent. Huius iuris Regii pars fuit, ut ne Rex in jus vocaretur; nec iudicium in eum conſtitueretur. Sed Miltonus reponit Schickardum dicere; *Reges Hebræorum judicari poſſe, atque etiam ad verbera damnari.* An tanti tibi videtur teſtimonium Schickardi, ut Miſnæ auctoritati præiudicare queat; Angle, Miltone? *Judicari,* inquis, *atque ad verbera damnari!* Ergo *judicari* tibi minus eſt, quam *capitis damnari;* An etiam *ad verbera damnari* plus eſt, quam *capitis condemnari?* Atqui hoc etiam *judicari* eſt. De omni quippe iudicio, quo pœna quævis etiam capitalis indicitur, hoc verbi intelligitur. Ut undequaque imperitiſſimus es, qui quod nomen generis eſt levius eſſe putes, quam eam pœnæ ſpeciem, quæ eſt leviſſima. Reges ergo Judæorum ex ſententia tua non tantum judicabantur; ſed etiam ad verbera damnabantur. An capitali quoque ſupplicio afficiebantur? Audi Schickardum illum, quem pro te teſtem citaſti. Ubi docuit verberationem illam, qua Reges caſtigabantur, minime infamem apud Judæos fuiſſe, qui ultra hanc pœnam nihil in ſuos Reges unquam attentarunt, ſubjicit protinus hæc ipſiſſima verba, quæ ferreo tuo ori, carnifex, impingenda ſunt. *Non exauctorarunt eos, ut barbari quidam ſuos; mul-*

eo minus ad furcam damnarunt, ut Senatus Romanus Neronem; minime per inſidias necarunt: quia Diabolus tunc Clementinas, Caſtellanas, Ravalliacinas artes ſimpliciori ſæculo nondum calluerat, quando etiam ſimulatus tantum Regicida vanam gloriationem capite luebat. Si fato dilatus in hoc ævum, necato ab Anglis per carnificem Rege ſuo, hæc ſcripſiſſet, verbis illis pro clauſula talia ſine dubio adjeciſſet; *Non, ut Angli parricidæ, infando & infami judicio ſuum, ſecuri percuſſerunt.* Jam ſentis, bellua, quam parum tibi profuerit, meminiſſe Schickardi. Verbera illa, ut dixi, notam infamiæ non inurebant. Etiam Sacerdos ſummus eo genere caſtigationis affici ſolebat. Sic puniti dignitati ſuæ, & famæ integritati, ſtatim reſtituebantur. Quin & illud falſum, & à ſtultis Rabbinis excogitatum, de tali pœna verberum Regibus inflicta: cuius rei nec vola, nec veſtigium, nec ullum omnino exemplum in libro Regum extat. Tres tantum caſus notant delirantes Magiſtri, in quibus locum fuiſſe huic verberationi in Regem ſtatuendæ memorant: cum multiplicat equos; cum uxores plures ſumit; & cum argenti, & auri vim amplificat. Atqui primi ſtatim Reges harum legis transgreſſionum rei facti ſunt, & quidem impune, ut patet legentibus Scripturam. Quot millia plagarum prægnantium inferri Salomoni debuerunt, ob prodigioſam multitudinem equorum, mulierum, & auri, argentique talenta innumera, quæ poſſedit, ſi hoc nomine verberibus culpas ipſas eum luere oportuit. Enimvero, ſi Rex ob talia debuit ad verbera condemnari, falſum eſt, quod in Miſna ſcribitur, *Regem non judicari.* Nam, ſi ad verbera damnatur, utique etiam judicatur. Verberum quippe damnatio non potuit procedere abſque judicio. At vocari Reges in judicium fas non fuiſſe, ac proinde nec judicari, vel illud arguit, quod ex eodem Miſna evincitur, nec teſtem eum contra aliquẽ produci poſſe, nec cuiusquã teſtimonio premi. Nemo autem citari poteſt in alterum teſtis, niſi veniat in judicium, nec in quemquam teſtis adduci, niſi qui in jus vocatus ſit, & accuſatus. Ne quis dicat, ſtolidum, & ferocem tantum eſſe Miltonum; iam præſtabo acutum, & ingenioſum plus quam credi poſſit. Nulla cauſa eſt, quin obtineri queat tali defenſore. Ut evincat etiam capitali iudicio aliquando damnatos fuiſſe Reges Judææ, duo affert è Scriptura exempla, ſane perquam idonea ad probandum quod voluit. Primum eſt de Saüle, *qui cum filio Jonathane Judicium ſortis ſubiit, & quidem capitale, ſuoque ipſe edicto paruit.* Ecce judicium capitis à ſorte conſtitutum in Saülem, & eius filium! A ſorte ergo judicatus eſt. Ergo potuere judicari Reges Judæorum. Non ſtertorium hoc acumen; ſed hominis plane ſtertentis. Reſponde quæſo, Miltone, quis Saülem huic judicio ſubmiſit? Omitto, quod *judicium* appellas, ut ſic judicatos doceas aliquando Reges Iſraëlitarum, quæ *ſors* tantum fuit, & in Scriptura ſic vocatur,

non *judicium ſortis*. Dic interim, quis eum huic ſorti ſubmiſit? Quis eum coëgit huic aleæ vitam ſuam, & filii, committere? Num populus? Num Synhedrium? Num aliquis Magiſtratus ſuperior Rege? Immo ipſe ſeſe, & ſua ſponte. Ergo ſemetipſum judicavit, non alius. Ergo αὐτόνομος, αὐτογνώμων, & αὐτοκράτωρ fuit. Quam quisque legem in ſe ſancit, & quam pœnam in ſe volens ſtatuit, non eam ab alio legem accipit, nec pœnam patitur ex alterius ſententiæ. Quod in ſe quis decernit, non derogat eius voluntati; quia volens id facit: non libertati; quia libere: ne quidem ſummo imperio, ſi talem in alios habeat poteſtatem; qui ſibi ipſi hoc imperat. Nemo autem iudicatur, niſi ab eo, qui maius habet imperium; aut, ſi minor eſt, qui delegatam habet poteſtatem ab illo, qui maior eſt eo, qui iudicatur. Quis Saülem tunc iudicavit? Sors. Maius igitur illius fuit imperium, quam Saülis. Sed Saül eam volens ſubiit. Hoc itaque maieſtatem eius non imminuit. Sed quid ex eo iudicio ſortis accidit? Jonatham, ſorte damnatus, an capitis ſupplicium paſſus eſt? Non; ſed eum populus mori noluit. Si mori ſiviſſet, aut permiſiſſet; non per populum morti adiudicatus diceretur: ſed per ſortem, quem volens pro ſe, & filio, ſubiit Rex pater. Capitale iudicium ſortis iam vidimus: videamus alterum exemplum judicii, cui obnoxii fuere Reges Judæorum. An illud fuit capitale? Non; ſed regno eius exitiale. Nam per illud iudicium Rex eſſe deſiit, ut nos iubet credere Miltonus. Quale illud judicium fuit, aut à quo redditum? Judicium lepræ. *Uzzias*, inquit, *à Sacerdotibus Templo deturbatus, lepra judicio, tamquam unus è populo ſe ſubmiſit, Rexque eſſe deſiit.* En tibi *judicium lepræ*, ut ſupra, *judicium ſortis!* A lepra iudicatus fuit Rex Ozias, an ad lepram damnatus? Utrumque ſit, iudicium lepræ fuit; quia ita vult Johannes Lippus, an Philippus Anglus. Sors Saülem condemnavit, ſaltem eius filium; quia ſe ſortis iudicio ſubmiſerat. Ita & lepra condemnavit Oziam; qui ſe ſimiliter eius iudicio ſubiecit. Si quod eſſet inſaniæ iudicium, dicerem ei ſe volentem ſubmiſiſſe Miltonum. Unde unde ſit hæc illi inſania, omnes iudicabunt, neminem illo poſſe inſaniorem fieri. Ozias, quem vocat Uzziam Anglus, ut oſtendat ſe Hebraïſmi peritum, non regno excidit; ſed Rex manſit uſque ad exitum vitæ, ſicut Scriptura teſtatur: quæ annos quinquaginta duos eum regnaſſe tradit, nec prius filium eius regnare cœpiſſe, quam pater mortem obiſſet. Interim vicem patris gerebat, & populum iudicabat, ſicut habetur IV. Regum, & Paralipomenon I. Nullo iudicio nec Sacerdotum, nec Synhedrii damnatus receſſit; ſed, cum in Templo Sacerdotale officium uſurparet,

thus

thus adolendo, lepra percuſſus à Deo, ubi ſe ea vidit infectum, & plagam hanc divinitus ſibi inflictam ſenſit, acceleravit ipſe è Templo egredi, & in domo privata extra urbem vixit: non privatus; ſed cum Regia dignitate, & appellatione. *In Leproſum Regem*, ait Miltonus, *vigebunt leges, in Tyrannum nihil poterunt?* Leprâ maculatum divina lex non ſinebat inter homines converſari, nè contagio in populum ſerperet. Cum itaque officium ſuum Rex facere non poſſet, hoc vitio impeditus; filius, vice eius, regnum adminiſtravit, & domum paternam rexit. Non ipſe leproſus de regno eiectus eſt, non vita privatus, non bonis ſuis ſpoliatus, non damnatus ullo iudicio fortunarum, aut capitis; ſed vitam, ſimul cum Regia dignitate, boniſque omnibus retinuit. Sponte ipſe ſeceſſit, non coactus, & rerum habenas filio reliquit; qui & ipſi poſt mortem eius ſucceſſit. Quid ſi ſapientiæ morbo laboraſſet, quam φρενῖτιν Græci appellant: nonne, cum ſic impar fuiſſet Reipublicæ gubernandæ, ad filium adminiſtratio regni rediiſſet? Non hoc minus in Rege obtinet, quam in privato; quo inſaniâ correpto, tutela bonorum eius propinquis, & agnatis defertur. Ita Rex Judææ, morboſus, ex ſontica cauſa, cum ad gubernacula ſedere amplius non poſſet, filio ceſſit tenenda. Ludit hic impuratus in nomine Tyranni. Fateor, leges valere debere in eos; qui vere Tyranni ſunt; hoc eſt, qui Reipublicæ, in qua nati ſunt, ſtatum per vim, & rebellionē evertunt, aut in aliam formam commutant, ſive illa regatur à ſingulis, ſive à paucis, ſive à populo. Et nulli verius iuſtiusque Tyranni appellandi, & pœna Tyrannis debita afficiendi, quam qui hodie in Anglia dominantur. Ridiculus homuncio heic *judicia lepræ, & ſortis*, commentus eſt; ut oſtenderet, Reges Judææ iudicari etiam ſolitos eſſe. Quo commento nihil inſulſius, inſubidius, frigidius, abſurdius, ineptiusque fingi ab illo potuit. Dixerat heic Salmaſius, *Exemplum ullius Regis afferri non poſſe, qui judicium capitis ſubierit in jus vocatus*. Mirum, cur non heic repoſuerit Miltonus exempla duo ſuperius ab ipſo allata de ſortis, & lepræ, judiciis ad hoc ipſum pertinere; ut Salmaſii ſententia refelleretur. Nam Saülem in ius vocatum eſſe à ſorte, vel ad ſortem, & Oziam à lepra, vel ad lepram. Etenim ſi illa duo judicia probant, reges Judæos etiam iudicari ſolitos, in ius etiam vocatos fuiſſe oportet: alterum coram ſorte, alterum coram lepra; à quibus judicati, & condemnati fuerint. Nunc abjecta illa depulſione, aliam reſponſionem aggreditur, atque iterum Schickardum allegat, qui pro ſe ſolvat. *Ad illud*, inquit, *Schickardus haud abſurde reſpondet, perinde eſſe, ac ſi quis ad hunc modum diſſereret; Cæſar nunquam citatus eſt coram Electore; Ergo, ſi Palatinus di-*

em Cæſari dixerit, non tenetur Cæſar in judicio reſpondere; Cum tamen Bulla Aurea doceat, Carolum Quartum ſe, & ſucceſſores ſuos, huic cognitioni ſubjeciſſe. Non bonâ fide retulit verba Schickardi hic impoſtor, & multa in his interpolavit. Sic enim hæc poſtrema concipiuntur apud Schickardum; *At hoc docet Aurea Bulla, Carolum Quartum ſe, & ſucceſſores ſuos, ſpontanea libertate huic cognitioni ſubjeciſſe.* Carolus ſe, & ſucceſſores ſuos, ſpontanea libertate huic cognitioni ſubiecit, ſi vellent nimirum ſponte ſua ſubiici, ſed cogi non poſſe diſerte intellexit. Sic enim revocare potuit quod ſanxetat, aut non obſervare. Præterea non de capitis iudicio, de quo heic nobis ſermo eſt, Bullæ verba capienda. Ideo hæc ſic leguntur apud Schickardum; *Non audivi quemquam, qui Sacram Cæſaream Majeſtatem coram Electore conveniſſet. Ergo falſum eſt, quod Imperator aliquis coram Palatino de juſtitia reſpondere teneatur.* Quæ in hunc modum mutavit perfidus Miltonus: *Ergo, ſi Palatinus diem Cæſari dixerit, non tenetur Cæſar in judicio reſpondere.* Quaſi de capitis iudicio ageretur, de quo heic loquebatur Salmaſius, non de ſimplici ante Electorem conventione, & actione rei privatæ, de qua Bulla Auréa intellexit. Addidit continuo Schickardus hæc verba ex quodam Juriſconſulto, collega ſuo; *Licèt non facile contingat, ut quis Imperatorem vel publice, vel privatim, in jus vocet.* Sed tui Schickardi venia dixerim, non vidit vir bonus, & doctus, parum facere illud exemplum, nec ſimile omnino eſſe, ſi conferatur Jus regium, quod commune cum omnibus regibus habuerunt Judææ Reges, cum iure Imperatorio, qualis hodie forma eſt, ac ſtatus Imperii Germanici. Non pure eſſe Μοναρχικὴν, aut Βασιλικὴν, inter omnes convenit. Plus enim de Ὀλιγαρχικῷ, aut Ἀριστοκρατικῷ retinet, quam de Μοναρχικῷ, & Regali. Leges extant, quibus limitatur eius poteſtas. Non omnino legibus ſolutus eſt; ut Imperatores veteres Romani fuere, & omnes, qui regio iure imperant, quale deſcribitur à Samuele. Præterea Electivum eſt, ut vocant, hoc Imperium; non hæreditarium, ut fuit regum Judæorum. Electorum Collegium ad hoc inſtitutum, qui perpetuam hanc dignitatem obtinent, & ius eligendi Imperatores habent, totidemque ſunt Imperii Proceres, & Optimates, qui una cum eo Imperium Germanicum gubernant. Judæorum regnum, iure ſucceſſionis, in hæredes tranſibat. Mere Monarchicum fuit, ut & cætera Orientis, & alia vicina Judææ; quæ δεσποτικὰ fuiſſe ſcribit Ariſtoteles, & proximam Tyrannicæ poteſtatem Reges eorum habuiſſe. Quod & Samuel clare docet, dum tale ius, δεσποτικὸν plane, Regis proprium eſſe declarat;

Καὶ

Καὶ ἀπαγγελεῖς αὐτοῖς τὸ δικαίωμα τοῦ βασιλέως, ὃς βασιλεύσει ἐπ' αὐτοῖς· *Et denuntiabis ipſis, quale ſit jus Regis, qui in eos regnaturus eſt.* Ita Deus. Et paulo poſt, ex Dei mandato, ad populum hæc Samuel; *Et dixit populo, hoc erit jus Regis, qui vobis imperaturus eſt:* Καὶ εἶπε Σαμουὴλ πᾶν ῥῆμα Κυρίου πρὸς τὸν λαὸν τοὺς αἰτοῦντας παρ' αὐτοῦ βασιλέα· καὶ εἶπε, Τοῦτ' ἔσται τὸ δικαίωμα τοῦ βασιλεύσοντος ἐφ' ὑμᾶς· *Et dixit illis, Hoc erit jus Regis, qui vobis imperaturus eſt.* De hoc ipſo iure Regio Tractatum ſcripſerat idem Samuel, ut iam diximus, & expreſſe dicitur libri primi Regum capite decimo. Nec veriſimile eſt in eo libro aliter hoc ius explicaſſe, quam ab ipſo expoſitum eſt; cum Dei iuſſu illud populo, Regem petenti, adnuntiavit. Utrobique idem vocabulum *Miſphat* ponitur. Quod nomen eſt Verbale à verbo *Chaphat* factum, quod eſt *judicare.* Unde *Sophetim, Judices,* qui populum iudicabant; & *Suffetes* Punici. Non tantum ius, & quod quis iure ad ſe prætendit pertinere, illa voce denotatur; ſed etiam conſuetudo inveterata, ex iure gentium, aut naturali profluens; ut doctiſſimi huius linguæ viri adnotarunt. Fruſtra dubitavit Schickardus, an de eodem jure uterque locus Samuelis intelligendus ſit; cum de eodem jure aliter atque aliter ſenſiſſe, & ſcripſiſſe, nullo modo ſit probabile. Ex verbis, & mandato Dei ſignificavit populo, Regem petenti, tale Regis ius eſſe. De eodem iure librum quoque ſcripſit, *& repoſuit coram Domino.* Ad populum de hoc iure bis loquutus eſt Propheta, ſemel, cum eos dehortari voluit à Rege ſumendo capite octavo; & poſtea, cum Regem iam accepiſſent, capite decimo eiusdem Samuelis: Καὶ εἶπε Σαμουὴλ πρὸς τὸν λαὸν περὶ τοῦ δικαιώματος τῆς βασιλείας. Et ſane Schickardus ipſe tandem videtur agnoſcere, de eodem iure librum ſcripſiſſe Samuelem, quod, iubente Deo, populo declaraverat. *Si Propheta,* inquit, *Samuelis Tractatus, quem (libro primo, capitis decimi verſu viceſimo quinto) de jure Regio ſcripſit, adhuc dum ſupereſſet, facile hæc liticula dirimeretur. At putant combuſtum eſſe. Sufficiant igitur, quæ habemus ex reſiduis.* Reſidua huius libri de iure Regio, vel regni, vocat; quæ nobis relicta ſunt in ea deſcriptione, quam ad populum habuit. Sed inepte vir bonus *liticulam* appellat, quæ maximi momenti controverſia eſt. Per illud ergo ius Regium, de quo Samuel Tractatum compoſuerat, & quod populo, Regem à ſe poſtulanti, propoſuerat, Rex non poterat iudicari, utpote qui non alium agnoſceret iudicem factorum ſuorum præter Deum. Exemplum itaque, quod

de

de Cæſare, & Electore adduxit, nihil ad hanc litem dirimendam facit, de regibus Judæis nuſquam in jus vocatis. Magna in utraque re differentia. Salmaſius, poſtquam docuiſſet, ex lege Dei certo colligi, in reges Judæos jus & fas non fuiſſe, ut ad judicium vocarentur, huic rei confirmandæ etiam adjecit, nullum exemplum afferri poſſe ullius regis in jus vocati, aut in diſcrimen capitis judicio adducti. Duo hæc ſunt maximæ auctoritatis, quibus idem evincitur, jus, ſive lex, & uſus. In exemplo Schickardi de Cæſare coram Electore citando, & nunquam citato, jus, & factum, ſive uſus, & conſuetudo inter ſe pugnant. Lex fuit, & lata quidem à Cæſare, qua licuit Cæſarem convenire, & in jus vocare apud Electorem. Non tamen hoc unquam fuiſſe factum oſtendi poteſt. Nulla lex ex Scriptura proferri poteſt, quæ permiſerit regem in judicium vocari. Immo lex in contrarium fuit, ne liceret vocare. Miſna diſerte ponit, *Regem non judicari*. Samuel in jure regio explicando ad populum affirmat, ſolum Deum habiturum judicem, qui rex eſſet futurus. Pluribus aliis teſtimoniis Scripturæ ſacræ probare facile eſt, & jam probatum eſt, id nunquam licuiſſe. In Cæſare jus, faſque fuit eum citari coram Electore, ſed lex illa, quoad citationem, in deſuetudinem abiit. Nam nunquam obſervata eſt. Et merito quidem. Nam Cæſar, qui eam rogavit, in ea roganda declaravit, *ſe, & ſucceſſores ſpontanea libertate ei cognitioni ſubjeciſſe.* Ut ſpontanea libertate ſe illi ſubjecit, ita æque libere potuit revocare quod juſſerat, aut legi ſuæ non parere. Certe non potuit ſucceſſores ſuos invitos obligare. Et hæc ratio eſt, cur ille Juriſconſultus Germanus ſcripſerit, *Non facile contingere, ut quis Imperatorem, vel privatim, vel publice in jus vocet.* Præterea notandum eſt, hanc legem latam fuiſſe ab eo Carolo IV. quem tradunt auctores, multa induſiſſe privilegia Electoribus, quæ antea non habuerant. *Septemviris*, inquiunt Scriptores, *plura pollicitus eſt, &, cum ſolvendo non eſſet, vectigalia Imperii, nervos Reipublicæ ipſius diſtribuit, Imperium, alioquin in ruinam pronum, peſſumdedit.* Latum denique diſcrimen fuit, ut jam dictum, inter jus Regum Judæorum, & poteſtatem Imperatorum Germaniæ. Cum Judæi Regem à Samuele petiiſſent, talem ſibi dari rogarunt, qualem gentes finitimæ haberent. Non alia autem conditione Regem ipſis datum fuiſſe veriſimile, quam qua petierunt. Certum porro eſt, gentes Judææ vicinas, ut omnes Orientales, ejuſmodi Reges habuiſſe, qui ſummo cum jure, & ſuprema poteſtate imperarent. Talem igitur illis datum eſſe, & qualem cæteræ gentes habebant, indubitanter verum eſt. Quin etiam jus Regis, qui ipſis erat imperaturus, ita deſcripſit Propheta, ut dubitationi locus nullus ſuperſit, quin ea poteſtas illi attributa ſit, quam Ariſtoteles Tyrannicæ ſimilem eſſe docuit: ſed legitimam agnoſcit in illis Regibus, qui vel cum tali condi-

tione

tione ſuffragiis populi electi forent, vel qui volentibus imperarent. Juris illius Regii potiſſima ac principalis fuit prærogativa, Deum tantum judicem, eumque ſolum ſuperiorem agnoſcere. Inde conſequitur, judicari à nemine mortalium poſſe. Xiphilinus eodem verbo uſus eſt; Περὶ τῆς αὐταρχίας ὁ Θεὸς μόνος κρίνειν δύναται. Hinc Æſchylus Regem ἄκριτον πρύτανιν vocat, *rectorem, qui judicari non poteſt:* Si judicari non poteſt, nec poteſt accuſari, nec in jus vocari, nec reus fieri, nec puniri, vel, quod idem eſt, non judicari. Quod ſæpe etiam pro puniri accipitur. Ut Hebræis idem verbum utrumque ſignificat, *Judicium*, & *Supplicium*. Hinc apud Paulum ad Hebræos, *Fornicatores, & adulteros, Deus judicabit*, id eſt, *puniet*. *Judicatum* quoque veteres Romani pro *condemnato* poſuerunt. Ut apud Plautum, *Judicatum uxor ducet domum*. *Judicati*, & *vincti*, de his, qui propter æs alienum addicebantur ſuis creditoribus. Aliud igitur eſt *judicare de aliquo*, aliud *judicare aliquem*. Apud Latinos *judicare de aliquo* tam ad abſolvendum, quam ad condemnandum pertinet. At proprie, *judicare aliquem*, eſt *condemnare*. Rex non poteſt judicari, quia non poteſt puniri. Qui non poteſt puniri, legibus ſolutus eſt: quia nemo in judicium vocatur, quin lege aliqua judicium illud conſtituatur, cujus qui eſt immunis, ſupra legem eſt, & legibus ſolutus. Harmenopulus ita interpretatur, *Principem ſolutum eſſe legibus, quia puniri non poſſit.* Epitomes Juris libri primi capite primo; Ὁ Βασιλεὺς νόμοις οὐκ ὑπόκειται, ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται. *Rex legibus non ſubjicitur, id eſt, cum deliquit, non pœnam incurrit.* Si omnia Regi impunita ſunt, quæ facit, quia legibus non tenetur, jam illud erit indubitatæ veritatis, quod Memmius apud Salluſtium dicit, *Impune qualibet facere, id eſt, Regem eſſe.* Verum erit & illud de Rege, in Vita Caracallæ, *Si libet, licet.* Item illud Ciceronis, *Poſſe, ſi velit.* Item illud Ariſtotelis, Πάντων Κύριον εἶναι, & Πάντα κατὰ βούλησιν αὐτοῦ πράττειν. Item illud Juvenalis;

Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.

Et formula illa in Edictis Regum Franciæ, *Quia tale noſtrum eſt placitum.* Qui judicium & pœnam non metuit, impune quod libet, facit. Nam nemo eſt ipſo major, vel illi par, à quo poſſit accuſari, aut in jus vocari. Inde explicandum illud Avidij Caſſij apud Vulcanum; *Nihil eſſe gravius nomine Imperii, quod non poſſit è Republica tolli; niſi per alterius Imperatorem.* Non ju-

re,

re, non cæde tolli poteſt, ſed re per alterum Imperatorem, ſive Tyrannum, qui eum dejiciat. Hoc ἀνεύθυνον, & ἀνυπεύθυνον ἀρχὴν, Principatum, ſive Magiſtratum reddendæ rationis, aut cauſæ dicendæ, aut pœnæ ſufferendæ immunem. Perſæ apud Herodotum, loco, quem jam ſupra citavimus. Μοναρχίῃ τῇ ἔξεςι ποιέειν ἀνευθύνως πάντα τὰ βούλεται. *Cui licet facere omnia, quæ vult, impune.* Tale fuit imperium Perſarum, tale & Romanorum ſub Imperatoribus. Unde & Plutarchus, in Fabio, Dictaturam appellat ἀνυπεύθυνον μοναρχίαν. Primus Cæſar ſub nomine Dictaturæ Perpetuæ Reipublicæ regnum invaſit, & id eodem jure poſſidendum ſequentibus Imperatoribus dedit. Tale jus omnium Regum, qui quidem proprie Reges Ariſtoteli dicuntur. Tale etiam jus Regium Samuelis, quod etiam deſignatur à Salomone verbis his de Rege; *In ore ejus dominatio eſt, & quis dicat ei, Quid facis?* Quæ τὸ ἀνεύθυνον, ſive ἀνυπεύθυνον denotant. At Miltonus opponit ἀνυπεύθυνον illud, quod Regiæ majeſtatis proprium facimus, maxime Tyrannicum eſſe, & in libera natione minime ferendum. Ariſtotelem id affirmare libro quarto *De Republica*, capite decimo. Concedimus hoc tibi, ne nobis iraſcaris, in civitate, vel natione libera, quæ vivit æquis legibus, & populari regitur imperio, talem poteſtatem, quæ rationem non cogitur reddere, nec legibus tenetur, & pœnæ omnis eſt immunis, plane intolerandam. Atque ita vult Ariſtoteles loco, quem citaſti: ubi de Tyrannide vera loquitur, qua quis civitatis ſuæ imperium per vim uſurpavit; quales Tyranni ſic proprie olim dicti ſunt, & ad quorum necem maturandam propoſita fuere, omnium olim nationum conſenſu, Tyrannicidii præmia. De regno, hoc eſt, περὶ βασιλείας, ſuperiore libro tractaverat, & quot ejus ſpecies eſſent expoſuerat. Hoc libro quarto agit de Tyrannide. Priore libro de quibusdam ſingularis, ſive Monarchici, Imperii generibus egerat: quæ parem Tyrannicæ poteſtatem haberent, legitimæ tamen viderentur; quia in volentes exercerentur. Talia eſſe Barbarorum, & Orientalium Imperia δεσποτικὰ, qui Αὐτοκράτορας Μονάρχους ſibi Imperatores eligebant. Tales etiam fuiſſe antiquorum Græcorum Αἰσυμνῆτας. Ἦσαν δὲ, inquit, διὰ μὲν τὸ κατὰ νόμον, Βασι-

λικαὶ,

κικαὶ, καὶ διὰ τὸ μοναρχεῖν ἑκόντων· Τυραννικαὶ δὲ, διὰ τὸ δεσποτικῶς ἄρχειν, καὶ κατὰ αὐτῶν γνώμην. *Erant autem, quia legitima, regia, & quia in volentes: Tyrannica vero, quod dominabantur inſtar dominorum in ſervos, & ad libitum.* De regno, quod maxime, & proprie ſic dicebatur, hoc præcipue ſcribit, quod κατὰ βούλησιν, *ad libitum qualibet faceret*, & κτ̃ γνώμην. Hæ ſunt Αὐτοκράτορες Μοναρχίαι, atque etiam ἀνυπεύθυνοι· ſed legitimæ tamen, & partim electione deferendæ; ſed ex voluntate populorum, qui regnantur. Has duas igitur ſtatuit Tyrannidis ſpecies legitimas; primam, Barbarorum, ſive Aſiaticorum populorum, quorum Reges ſumma, & abſoluta, id eſt Tyrannica, poteſtate imperabant: ſecundam, Græcorum priſcorum; quorum Reges, cum Tyrannico, & abſoluto imperio dominantes, dicebantur Αἰσυμνῆται. Tertium genus Tyrannidis facit, quæ proprie Τυραννὶς nuncupata eſt, & opponitur ex adverſo τῇ Βασιλείᾳ. Illa eſt, quam dicimus; quæ libertatem patriæ ſuæ opprimit, & poteſtatem non legitimam, nec licitam, per vim, & in coactos jugum ſubire, uſurpat. Tales ſunt hodie Tyranni, qui magnam Britanniam, depulſo, & occiſo per nefarium parricidium ſuo Rege legitimo, incubant. Tales triginta illi Tyranni fuere, qui contra Dominos ſuos Imperatores Romanos, diverſis temporibus, rebellarunt; & quos Trebellius unico veluti faſce ligatos involvit. Ariſtoteles; Τρίτον δὲ εἶδος Τυραννίδος, ἥπερ μάλιστα εἶναι δοκεῖ Τυραννὶς, ἀντίστροφος οὖσα τῇ Βασιλείᾳ. Prius Βασιλεία fuit apud Anglos, quamdiu ſub regibus ſuis ſtetit, nunc Τυραννὶς eſt, ſicut ab incubatoribus hodie tenetur. Τοιαύτην δὲ ἀναγκαῖον εἶναι Τυραννίδα τὴν Μοναρχίαν, ἥτις ἀνυπεύθυνος ἄρχει τῶν ὁμοίων, καὶ βελτιόνων πάντων, πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῆς συμφέρον· ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων. *Tyrannidem eſſe oportet hujuſmodi Monarchiam, qua impune plus poteſt, quam omnes, qui ſibi pares ſunt, atque etiam meliores, & omnia revocat ad ſuam utilitatem; ſed non ad utilitatem ſubjectorum.* Non potuit magis graphice depingere Tyrannidem eorum, qui nunc in Anglia dominantur. Homines

nes ſunt, de ſui ſimilibus, atque etiam melioribus cum ſumma poteſtate imperant, & commodi ſui gratiâ omnia faciunt; non reſpicientes utilitatem ſubjectorum: διόπερ ἀκούσιος. *Ideo in nolentes exercetur.* Et quis neſcit, populum hodie Anglicanum invitum patere hujusmodi Tyrannis, & quotide vota facere, & preces Deo fundere, ut reſtituat ſibi veros ſuos, ac legitimos Dominos? Nam, ut ibidem ait Ariſtoteles, οὐδεὶς ἑκὼν ὑπομένει τῶν ἐλευθέρων τὴν τοιαύτην ἀρχὴν, *Nemo liber natus talem dominatum, volens, perferet.* Vide, ſi quid te lippitudo, aut cœcitas, videre permittit, de vero Tyranno ibi loquutum eſſe Ariſtotelem; non de regio principatu. Conſtat tamen ex eodem; non uno in loco, injuſtam Tyranni, & juſtam Regis dominationem, non differre inter in ſe, ratione ἀνευθύνου, aut ἀνυπευθύνου ἀρχῆς, id eſt, *principatûs, nullis legibus, nulli pœna obnoxii*; ſed ratione obedientiæ, quam volentes, aut inviti, præſtant ſubjecti; & reſpectu proprii, aut publici commodi: cum ſuum proprium compendium ſpectare tantum, ſoleat Tyrannus, Rex publicum. Quæ definitio Tyranni ſi non convenit Anglis perduellibus, nemini alii putem convenire. Diotogenes Pythagoricus, apud Stobæum, Regem dicit haberi ἀνυπεύθυνον ἀρχὴν, *principatum nulli legi, nulli homini, & nulli pœna obnoxium.* Vis Tyrannum fuiſſe Antonium: volo idem quoque. Sed quidquid fecerit, aut ante, aut poſt, contra Herodem, quod tamen in cauſa Herodis pronuntiavit, *non repoſci ab eo debere rationem geſtorum, quia Rex eſſet,* non minus verum eſt. Nam ex opinione communi, quæ tunc omnium gentium animis inſedit, de jure regio, ita proloquutus eſt. Petis deinde à Salmaſio, qui ſcripſerat, *Reges ab alio non habere, quòd regnant, ſed ſoli Deo id acceptum referre:* ut te doceat, *quinam illi ſint Reges, qui à Deo habent, quod regnant. Nam,* inquis, *iſtiusmodi Reges extitiſſe unquam, nego.* Hæc ſunt oracula novorum Angliæ Prophetarum, qui reges tam facile occidunt, quam veri olim Dei Prophetæ à regibus occidebantur. Sectam eſſe in Anglia, quæ Scripturæ ſacræ omnem fidem abrogat, antea diximus. Apparet, iſtum de illis unum eſſe Sectarijs. Niſi eſſet, legis divinæ teſtimoniis crederet, quæ reges à Deo conſtitui affirmat, bonos, malosque. Plura paulo ante protulimus. Ne Gentiles quidem hoc negarunt. Chriſtiani omnes auctores ab Apoſtolorum temporibus uſque ad hæc noſtra in hac veritate conſentiunt. Ipſi etiam Turcæ eam agnoſcunt. Soli Angli reges habuerunt à ſe ſolis conſtitutos, nec volente Deo, nec vetante. Nec miror tamen à Deo reges eſſe negare; cum nec ipſum Deum credat eſſe, à quo reges creari omnium gen-

tium

rium conſenſus, ubique, & ſemper tenuit. Ut impietatem hanc ſuam aſſerat, à primo rege Judæorum Saüle incipit. de quo ait; *Niſi populus, refragante etiam Deo, Regem voluiſſet, nunquam rex fuiſſet.* Ad eamdem inſaniam ſemper revolvitur, qua vult, invito Deo, & refragante, regem Judæis impoſitum. Quod Scriptura nuſquam dicit, neque vere dicere potuit, ſine maxima in Deum contumelia, & impietate. Voluit quidem Deus per Prophetam ſuum eos dimovere à propoſito regis petendi, & habendi; ſed tamen bis Samueli injunxit, ut audiret vocem populi. Et primo quidem, cum verba populi petentis regem Samueli diſplicuiſſent, ipſe Deum conſuluit, & oravit, quid ſuper ea petitione ſibi agendum foret, & dixit illi Deus; *Audi vocem populi mei in omnibus, quæ loquuntur tibi.* Deinde, cum, Dei etiam mandato, conatus eos eſſet fruſtra à ſententia ſua deducere, exponendo illis ſeveritatem, & inclementiam juris regis; qui in eos eſſet regnaturus: Deus iterum Samueli præcipit, ut obſequeretur voluntati populi; *Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos regem.* Ergo, Deo volente, & mandante, regem acceperunt; non refragante, & invito. Præterea falſum eſt, quod heic dicit mendaciorum pater, & calumniarum, Miltonus; *Saülem non futurum regem, niſi populus voluiſſet.* Voluit quidem regem populus, ſicut omnes gentes habebant, hoc eſt, regia dominatione ſe gubernari; ſed de Saüle nihil cogitaverat. Deus Samueli enim indicavit, & ungi in regem juſſit, nec ipſum tale quidquam animo agitantem. Sic enim Deus ad Samuelem; *Hac ipſa hora, qua nunc eſt, mittam virum ad te de terra Benjamin, & unges eum Ducem ſuper populũ meum Iſraël.* Similiter David ab ipſo Deo unctus dicitur. Sed addit Propheta Anglus; *Quamvis unctus à Deo, iterum unctus eſt ab Judæis Chebrone, deinde ab omnibus Hebræis, pacto tamen prius fœdere.* Unctio ſcilicet divina parum efficax erat, & niſi acceſſiſſet unctio à populo, non vere rex fuiſſet. Cur igitur *unctus Dei* tam ipſe, quàm Saül, ut & alii omnes Reges, in Scriptura vocantur? De Saüle idem Propheta Miltonus, quamvis is renuntiatus rex eſſet Miſpæ, vixiſſe tamen tamquam privatum, donec Gilgale rex iterum à populo creatus eſt. Ergo ſecundum Prophetam Anglum parùm valuerat, quod per Deum rex Saül renuntiatus eſt, & unctus, & nihil erat factum, niſi populus eum ſecundò unxiſſet. Cur igitur reges non vocantur *uncti populi*, ſed *Dei*? Dixit idem vates Miltonus, Davidem unctum fuiſſe pacto prius fœdere, libri ſecundi Samuelis capite ſexto; *Fœdus autem obligat Reges, & intra certos fines continet.* Ut finem ſuum aſſequatur, hæc commentus eſt Miltonus. Fœdus illud non pepigerunt Hebræi cum Davide, ut cum certis regnandi conditionibus alligarent; ſed ipſe dicitur pactum cum his feciſſe, vel fœdus. καὶ διέθετο αὐτοῖς διαθήκην. Nimirum exigendo ab his,

& ſtipulando, quod juris regii ratio poſtulabat. Quo fœdere, qua conditione, aut quo jure Reges Iſraëlitis imperaturi erant, ſatis explicavit Samuel, cum ex deſcriptione Juris regii appareat intra quos limites regia poteſtas contineretur. De Salomone notavit Salmaſius; *ſediſſe eum ſuper ſolium Dei, & placuiſſe cunctis.* Inde arguit Anglus vaticinator, *aliquid fuiſſe populo placere.* Hoc aliquid, nihil eſt. Sed an mirum, quod placuerit, qui in ſolio Dei ſederet? Sequitur apud Miltonum; *Conſtituit Jehoiadas Regem Joaſum: fœdus tamen eodem tempore pepigit inter regem, & populum.* Nihil iſte crepat, niſi fœdera inter reges, & populum: quaſi nullus tum rex creatus fuerit ſine fœdere; quo pariter ipſe populo obligabatur, ut populus regi. Ut ſcis impoſturas ſolens facere, nihil tale ibi ſcriptum. Primùm Joiadas non conſtituit regem Joas: ſed eum populo oſtendit, & produxit in medium; cum uſque ad illud tempus latuiſſet metu Athaliæ, quæ fratres ejus interfecerat, & hunc quoque pari fato affeciſſet, ſi in poteſtate habuiſſet. Tunc introductum in Templum, diademate impoſito, *Regem fecerunt, & unxerunt.* Ita in Hebræo textu, & in Verſione Vulgari. Quod ad fœdus attinet, non id dicitur pepigiſſe Joiadas inter regem, & populum: ſed populum ipſe fœdere obſtrinxit; ut regis filio, quem ipſis oſtendebat, regnum conferrent, & omnia, Regibus tribui ſolita, eidem deferrent. Semper cum unus fœdus facere dicitur cum aliquo, dat leges illi fœderis, non ipſe accipit. Sic hoc loco· Διέθετο αὐτοῖς διαθήκην, καὶ ὥρκισεν αὐτούς· *Fecit*, vel *poſuit, illis fœdus, adjurans eos.* Sic, libri primi Samuelis capite undecimo, petunt viri Jabes à Naaſo Ammanite, ut fœdus ſecum faciat, id eſt, *ut ſe fœderatos accipiat*, ſicut recte eſt in Vulgari Verſione, & promittunt ſe ſervos illi futuros. Hæ leges fœderis jure pacti, cui ſe ſubjiciunt ea conditione, ut ſervi ejus efficiantur. Nihil ex ſua parte promittit Naaſus: ſed hac tantum conditione ſe eos fœderatos accepturum, aut fœdus cum his facturum; ut dextrum omnibus oculum erueret. Καὶ ἐν ταύτῃ τῇ διαθήκῃ διαθήσομαι ὑμῖν ἐν τῷ ἐξορύξαι ὑμῶν ὀφθαλμὸν δεξιόν, καὶ θήσομαι ὄνειδος ἐπὶ Ἰσραήλ. Vides ab una tantum parte dari iniquas fœderis legis; quas alter imponit, alter accipit. Sic enim illi ad Naaſum dixerunt. Διάθου ἡμῖν διαθήκην, καὶ δουλεύσομέν σοι. Vetus Interpres, *Habeto nos fœderatos, & ſerviemus tibi.* Potuiſſet reddere, ut alibi facit, *Pange nobiſcum fœdus.* Hoc fœdere ſe ſub lege pacis iniquæ, ut ei ſervirent, ſubdidiſſent. At, cum duo fœdus faciunt, & mutuis ſe legibus pacti obligant, hoc ipſum ſemper exprimitur in Scriptura, ut libri primi Samuelis capite viceſimo

tertio,

tertio, Καὶ διέθεντο ἀμφότεροι διαθήκην ἐνώπιον Κυρίου. Item capite decimo octavo; Καὶ διέθεντο Ἰωνάθαν, καὶ Δαβὶδ, διαθήκην. Ita heic Joiadas non facit fœdus inter regem, & populum; cum de centurionibus, & militibus ibi tantum ſermo ſit: ſed ab his ſtipulatur, aut fœdus his legibus cum his pangit; ut hæc faciant, adjurans eos per Deum. Et ſtatim ſequuntur illa, quæ ipſis facienda præſcribit per hoc fœdus; *Et præcepit illis dicens, Hic ſermo eſt, quem facere debetis.* De fœdere autem, quo Rex populo teneretur ad obſervandam mutuam aliquam pactionem, de qua inter ſe & populum conveniſſet, nec vola ibi, nec veſtigium. Hoc genus fœderis, vel pacti tale fuit; alter ſtipulatur, alter promittit. Ubi duo ſimul pactum conventum faciunt, uterque ſtipulatur, & uterque promittit. Rex hoc loco, vel nomine regis Joiadas, ſtipulatur obedientiam pro rege; milites promittunt. Et ſciens fallit Anglus Propheta, qui hoc nobis perſuaſum vellet. Sed jam iſte hariolus, qui paulo ante negabat, iſtiusmodi reges unquam extitiſſe, qui à Deo dati eſſent, derepente, quaſi alio œſtro percitus, ut iſtorum Fanaticorum enthuſiaſmus in horas, & momenta variat; *Hos Reges, nec non & reliquos Davidis poſteros, & à Deo, & à populo conſtitutos* ait ſe *fateri*; *cæteros omnes, ubicumque gentium, à populo tantum conſtitutos eſſe* affirmat. Et ſtatim, furorem intus creſcentem vix capiens, in hæc verba erumpit; *Tu oſtende, conſtitutos eſſe à Deo; niſi ea ſolum ratione, qua omnia, cum maxima, tum minima, à Deo fieri, & conſtitui dicuntur.* Quanti Scripturæ divinæ auctoritatem faciat hic nebulo, jam in ſuperioribus vidimus. Deum ipſum non pluris æſtimare, quam regem aliquem mortalem: reges autem omnes non habet in majori pretio, quam totidem plebeios. Sic Deum quoque cum hominibus æquat, & nullam ponit inter eos, dignitatis, & majeſtatis differentiam. Quinimmo & majorem Deo populum facit; cum ab hoc ſolum conſtitui omnes ubicumque gentium reges aſſerit. Alibi Deum, & populum æquales ponit; ubi reges Judææ à Deo, & à populo conſtitutos fatetur: ſed quam partem in his conſtituendis habuerit Deus, quam partem populus, ne iſtic erraremus, docere nos debuit. De Saüle conſtat à Deo electum fuiſſe; ut apparet ex libri primi Samuelis capite decimo, de hoc ipſo Saüle; *Dixitque Samuel ad univerſum populum, Videtisne quem elegerit Dominus?* Ergo electio ad Deum pertinuerat, confirmatio ad populum. Et ſic populus erit major Deo in regibus conſtituendis. Nam ſuperiorem eſſe oportet eum, qui confirmat. Et hæc dementis Miltoni mens eſt. *Nam, quamvis,* inquit, *rex renuntiatus eſſet Miſpa; vixit tamen penè privatus, donec Gilgale rex à populo ſecundùm creatus eſſet.* Ergo ſecunda illa creatio populi confirmatio fuit Samuelis.

Atqui

Atqui, cum Miſpæ renunciatus eſt, jam à Deo electus fuerat, & unctus à Samuele; ut legere eſt initio capitis ejusdem. Prima ergo illa renuntiatio, quæ facta eſt Gilgale. Utraq; tamen à Deo per Samuelem. Prima illa Miſpana, etſi non ab univerſo populo fuerit adprobata, ab illis tamen dicitur recepta, quorum Deus cor tetigerat. *Sed Samuel abiit in domum ſuam, & abierunt cum eo exercitus, quorum Deus tetigerat cor.* Secunda Gilgalenſis totius populi fuit: ſed illa tota etiam Dei. Nam populus convocatus eſt à Samuele, ut in priore, & quaſi renovatio tum facta eſt regni, vel regiæ dignitatis, in perſona Saülis. Sic enim habetur capite undecimo; *Dixitque Samuel ad populum, Venite, & eamus in Gilgal, & innovemus ibi regnum. Abiit ergo univerſus populus in Gilgal, & conſtituerunt Regem ibi Saülem coram Domino in Gilgal, ibique ſacrificaverunt victimas pacificas corã Domino.* Septuaginta Interpretes tum quoque unctum fuiſſe Saülem volunt. Ita enim ſcripſere; Καὶ ἐπορεύθη πᾶς ὁ λαὸς εἰς Γίλγαλα, καὶ ἔχρισε Σαμουὴλ ἐκεῖ εἰς βασιλέα τὸν Σαοὺλ ἐνώπιον τοῦ Κυρίου. Ecce, & per Samuelem, Dei Prophetam unctus coram Deo, & Samuele populum convocante! Ut prior renuntiatio non totius populi fuit, eorum tamen fuit, quorum Deus cor tetigerat. Nam & eos, qui obſtiterunt illi renuntiationi, Scriptura ibi vocat *filios Belial*, homines impios, &, ut Septuaginta verterunt, υἱοὺς λοιμούς. Illi fuerè, qui deſpexerant novum regem, & munera ei de more non attulerant; dicentes, *Num ſervabit nos iſte?* Hos rebelles domuit Saül, & ad ſanitatem redegit eo modo, quo narrat Scriptura. Et hoc quoque à Deo. Nam ibidem Scriptura dicit; *Tunc tranſivit Spiritus Dei ſuper Saül, cum hæc audiſſet, iratusque eſt furor ejus valde, & tulit par boum, & in fruſta concidit illud, ac miſit in omnes terminos Iſraëlis per manus nuntiorum; dicendo, Qui non exierit poſt Saülem, & poſt Samuelem, ſic fiet de bobus ejus. Et cecidit pavor Domini in populum, & egreſſi ſunt tamquam vir unus.* Et poſtquam copias Ammonis deleviſſet, dixit populus Samueli; *Ubi ſunt, qui dicebant, Numquid Saül regnabit ſuper nos? date homines, & mori faciemus eos.* At Saül noluit eos occidi, ſed ſervavit. Eat nunc impudentiſſimus, & mendaciſſimus mortalium, & perſuadere conetur nobis λοιμὸς iſte, populum ſecundo creaviſſe Saülem regem in Gilgale. Quod niſi feciſſet, nunquam imperaſſet. Non ſunt veriora, quæ de Davide narrat hæc peſtis; *Quid David? inquit. Quamvis unctus à Deo, nonne iterum unctus eſt ab Judæis in Chebrone, deinde ab omnibus Hebræis, pacto prius fœdere?* Nemo unquam phreneticus tam portentoſa unquam, & Chimærica deliravit, ut iſte Fa-

naticus

naticus deblatterat. Quaſi duæ diverſæ unctiones celebratæ o-
lim fuerint in regibus Judææ inaugurandis ; altera à Deo, al-
tera à populo. Prima unctio Davidis per Samuelem facta eſt
prius, quam unctus eſſet in regem Tribûs Judæ ſecunda unctio-
ne, & antequam in Regem Iſraëlis ungeretur tertia unctione.
Illa ergo prima unctio ſolius Dei fuit, ſi judicio ſtemus Milto-
ni ; reliquæ duæ populi, nullamque in illis partem Deus habu-
it. Sed ex illa prima unctione, quam Dei juſſu fecit Samuel,
cum ille decreviſſet Saülem abdicare, reliquæ duæ conſequutæ
ſunt. Et niſi illa prima fuiſſet, duæ alteræ nunquam effectum
ſortitæ eſſent. Nam per illam primam Deus Davidem quaſi
prædeſtinavit, ut Rex eſſet loco Saülis, non ſolius Tribûs Ju-
dæ, ſed etiam reliquarum, & totius Iſraëlis. Ita enim Deus Sa-
muelem alloquitur, Samuelis capite decimo ſexto ; *Imple cornu
tuum oleo, & veni, mittam te ad Iſai Bethlehemitam, providi enim
de filiis ejus mihi Regem.* In loco nempe Saülis, quem jam repu-
diaret. Non potuit itaque David non eſſe Rex ex tali deſtina-
tione, & prima ejus unctione, quæ locum dedit cæteris duabus;
uni, qua Rex Judæ creatus eſt ; alteri, qua totius Iſraëlis : u-
traque in Hebrone celebratæ ; ſed diverſis temporibus. Nam
ſeptem annos, & ſex menſes, regnavit in Tribu Juda prius, quam
Rex fieret Iſraëlis. Quod autem utrobique dicitur *unctus David
à populo,* non ita id intelligendum eſt, quaſi populus ipſe unxe-
rit Davidem. Nam unctiones illæ omnes, quibus Reges Judæ, &
Iſraëlis, conſtituebantur, à Sacerdote fieri ſolebant. Ita, cum Sa-
cerdos, vel Propheta Regem ungebat, Deum ipſum id facere di-
cebat : ut libri primi Samuelis capite decimo ; *Tulit autem Sa-
muel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus Saülis, & deoſcula-
tus eſt eum, &, Ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam.* Inde
omnes Reges in Scriptura ſacra *uncti Dei* dicuntur, & *Dei Chri-
ſti,* quod idem eſt : nullus autem *unctus,* vel *Chriſtus populi.* Quo-
niam autem omnes Reges, tam bonos, quam malos, tam fi-
deles, quam infideles, à Deo conſtitui creduntur ; inde fit, ut
etiam eos, qui nec à Sacerdote aliquo, aut Propheta Dei, uncti
fuerunt, nihilominus Deus *unctos ſuos* appellet ; quaſi inter ſe
hæc reciproce convertantur, *Ungi à Deo in Regem,* & *Regem ab eo
conſtitui.* Sic Deus Cyrum vocat *unctum,* ſive *Chriſtum, ſuum* apud
Iſaiam, cap XLV. *Hæc dicit Dominus Chriſto ſuo Cyro.* Ita dicit
Deus Pharaoni in Exodo, cap. IX. verſu XVI. *Et profecto ob id con-
ſtitui te, ut oſtenderem tibi potentiam meam.* Ita Jeremiæ, XVII. *Ego
dedi,* inquit Dominus, *omnes iſtas terras in manu Nabuchodonoſo-
ris regis Babilonis.* Daniel II. *Tu es rex regum, & Deus cæli dedit
regnum tibi.* De iſtis regibus ait Miltonus, eos, ut & cæteros
omnes, ubicumq; gentium, à populo tantũ conſtitutos. Contra-
rium jam vidimus ex ipſo divino teſtimonio. Nec minus falſita-
tis eadem Scriptura illud convincit, quod dixit, primos reges

Iſraëlitarum, & reliquos Davidis poſteros, à populo conſtitui ſolitos. Nam & Deus in Scriptura ſua teſtatur, ſe providiſſe ſibi regem ex filiis Iſai, qui in locum Saülis, quem jam animo abdicaverat, in Iſraëlem regnaturus erat, ut jam oſtendimus ex I. Samuelis cap. XVI. ſed & eodem libro, cap. XVI. ita loquitur ad Saülem Samuel. *Scidit Dominus regnum Iſraëlis à te hodie, ut det ipſum proximo tuo, qui melior eſt te.* Ecce Deus Saülis regnum Davidi ſe traditurum ipſe per Prophetam ſuum pronuntiat. Et paulo ante; *Quia projeciſti verbum Domini, te quoq; projecit, ne ſis rex ſuper Iſraëlem.* Ecce ab altero aufert, alteri dat regnum. Deus, nec in auferendo, aut dando pars ulla populo relinquitur. Item II Sàmuelis cap. XI. *Dixitque Natham Davidi, Tu es vir ille, ſic dixit Dominus Deus tuus Iſraëlis, Ego unxi te, ut eſſes rex ſuper Iſraëlem, & erui te de manu Saülis. Dedique tibi domum Domini tui, & uxorem Domini tui in ſinum tuum Praterea tradidi tibi domum Iſraëlis & Juda, & ſi parum, traditurus eram tibi talia, & talia.* Ubi heic illa unctio Judæorum & Hebræorum, quæ niſi accepiſſet ad unctionē Dei, non futurum fuiſſe Regem Davidem impius docet Miltonus? Salomon ipſe ita loquitur, I. Regum cap. II. *Nunc igitur vivit Dominus, qui confirmavit me, atque ſedere fecit ſuper thronum Davidis patris mei.* Non dicit ſe à populo ſtabilitū, & favore populi ſoliū patris ſui inſediſſe, ſed ſoli Deo acceptū refert. Ut & idem Deus alio loco minatur, ſe regnū Salomonis traditurū ejus ſervo, quod mādata ſua non ſervaſſet. In primo Regum; *Et dixit Dominus Salomoni, Eo quod fuit hoc apud te, quod non obſervaſti fœdus meum, & ſtatuta mea, quæ præcepi tibi, omnino ſcindam hoc regnum à te, & tradam ſervo tuo.* Pudere debet perduelles, quod tam futili & impio homini commiſerint cauſæ ſuæ defenſionem. Sed, ut verum fatear, non potuit aliter agi cauſa ejusmodi. Ut enim ſcelus & impietas movit Auctores hujus parricidii ad illud peragendum, ita iiſdem talis defendi debuit. Omnia quidem minima maximaque Dei eſſe, & à Deo fieri fateor, ſed non eodem modo. Si pilus de capite noſtro non cadit citra Dei providentiam, non tamen hominis ipſius, ut capilli, quem habet in capite, parem curam gerit Deus. Sæpe enim capilli fatum pendet ab ipſo homine, dum ei morbo aliquo defluit, aut ex voto raditur, aut ex crimine per carnificem demitur in his, quibus caput abſcindere jubetur. Ita regum & aliorum hominum non eſt par ratio apud Dei providētiā: præcipuo & peculiari quodā modo regibus, deinde & populo conſulit. Per reges quippe, quos dat bonos aut malos, meliorem aut pejorē populi rem ſolet facere. Fatum ſubjectorum pendet ferme à regibus, ſed fatum regum plane ab ipſo Deo, quia neminem agnoſcunt ſupra ſe niſi Deum. Quemadmodum enim, cum arbor magna cadit in ſylva, ingentem

Ingentem dat ruinam circa ſe, & ab ea præcipue parte, in quam caſus ejus impellitur, minoresque omnes arbuſculas, fruticesque & herbas proſternit, ita rege aliquo cadente innumeræ familiæ, quæ totidem quaſi minora regna ſunt, majori comprehenſa, eadem ruina involvuntur; aliæ etiam emergunt, quæ antea vix noſcebantur. Rex etiam ipſe, dum vivit, alios ex ſubjectis ad honores & opes extollit, alios deprimit, alios negligit. In his tamen omnibus Dei quoque providentia elucet, ſed magis in illo, qui quodammodo aliorũ fortunæ aut infortunii cauſa eſt, ſive per ſe, & ex ſua voluntate, ſive caſu aliquo, qui extra ipſum ſit, divinitus contingat. Ut circulatio ſanguinis non minus fit in exiguis venulis, & quæ inſtar capillamenti ſunt, quam in prægmagnis vaſis; at in venis & arteriis majoribus, quæ ſanguinem à corde hauriunt, & eumdem in cor refundunt, magis apparet: ita providentia Dei magis conſpicua eſt in eminentis dignitatis hominibus, ut ſunt reges, aliisq; ſub eo poteſtatibus, quã in privatis. Præterea cũ patres familiarũ, quaſi minuti reges, in ſua quiſq; domo ad exẽplar ſunt regum, qui civitates plures & nationes integras gubernant: ſic iſti, Dei inſtar cuncta moderantis, populos ſibi ab eo commiſſos regunt. Ideo à Deo eos eſſe, & ab eodem conſtitui, inter omnes gentes, & omnium gentium homines, omnino convenit. Ethnici, Judæi, Chriſtiani, idem ſentiunt. Soli Angli, qui nec Judæi ſunt, nec Chriſtiani, nec Ethnici, ſed Ethnicis longe pejores, aliter putant. Inter hos Miltonus, & Dei pariter & Scripturarum ſecurus, providentiam deridet, & inſultat eam defendentibus. In ſolio Dei ſedere Salomonẽ dicit Scriptura, quia, ut interpretatur Rabbini, à Deo regnum accepit, ut alii omnes reges ab eodem habent quod regnant. Quid Miltonus? *Solium*, inquit, *Davidis peculiari quodam jure Solium Jehova dicitur; ſolium aliorum regum, non alio, atque alia omnia, Jehova ſunt.* Unde hæc hauſit? Quis illi dixit? Sibi ſane ipſi contradicit. Nunc ſolùm Davidis ſolium, Dei eſſe ſolium vult. At nihil præcipuum dat Davidi, quod non Saüli, & cæteris Davidis poſteris, dederit, nimirum omnes pariter à Deo, & à populo conſtitutos eſſe. Cur igitur, ſi hæc ita ſunt, ſolium Davidis ſolum dicitur ſolium Dei? Certe, ſi rem recte æſtimemus, in ſolio Saülis ſedit David, ut in ſolio Davidis Salomon. Cum enim in Scriptura Deus, ſe omnia, quæ Saülis, tradidiſſe Davidi declarat, regnum, uxores ejus, domum & reliqua, etiam ſolium ſine dubio cum aliis traditum oportet. Ipſe Saül, cum regnum ab altero per ſucceſſionem non acceperit, ſed primus rex in Iſraëlitis à Deo unctus fuerit, profectò ſolium ejus meliori jure *ſolium Domini* dici potuit, cũ & *unctus Domini*, & *Chriſtus Domini* paſſim appelletur. Sed omnes Judææ reges, Davidis ſucceſſores, cum ſimiliter *unctos Domini*, & *Chriſtos Domini* vocet Scriptura; Thronus, in quo ſederunt, æque meruit

Domini appellari. Præterea Salomon dicitur *ſediſſe ſupra ſolium Domini*, non ſupra ſolium Davidis. Non igitur inde inferri poteſt, ſolium Davidis, peculiari quodam jure, *ſolium Domini* appellari. Sed recte id poteſt concludi, cum in eodem throno omnes Judææ reges ſederint in quo ſedit Saul, David, & Salomon, ſolium regum horum omnium appellari *ſolium Domini*, ut ipſi *Chriſti*, & *uncti*, & *electi Domini* dicuntur. Tædet me diutius purgare hanc inſcitiæ & impietatis cloacam Miltonianam. *A Deo eſſe regna, divitias, & gloriam à facie ejus, & potentiam*, ex eodem Scripturæ loco diſcere nos vult Miltonus. Quid poſtea? Aut quid inde efficiet? *Dicitur*, inquit, *hoc toties, non, ut intumeſcant reges, ſed ut moneantur, quamvis ſe Deos eſſe putent, Deum tamen ſupra ſe eſſe, cui debent omnia.* Hoc accipimus, ut datum eſt, & nihil verius Quis enim negaverit, Deum eſſe ſupra reges? ſed eum ſolum ſupra reges eſſe contendimus, non ullum hominem mortalem. Sed pergit Miltonus, ut quid velit, nos doceat, *Unde illa Eſſenorum, & Poëtarum doctrina, reges non ſine Deo, & ab Jove eſſe facile intelligatur.* Mori mallet iſte improbus, quam bona fide referre Auctorum teſtimonia: Non dicebant Eſſeni, Reges non eſſe ſine Deo, ſed non ſine Deo cuiquam imperium regium dari. Οὐ δίχα θεοῦ τινι περιγίνεσθαι τὸ ἄρχειν. Eodem ſenſu dixit Clemens, cujus locum ibidem attulit Salmaſius; Φοβηθήσῃ τὸν βασιλέα, εἰδὼς ὅτι Κυρίου ἐστὶν ἡ χειροτονία. *Timebis regem, cum ſcias eum à Deo eligi, & conſtitui.* Poëtæ autem, qui canunt à Jove reges eſſe, non ita intellexere, ut æque à Deo eſſe omnes homines dicere voluerint, ut formoſulus Miltonus heic nobis perſuadere conatur. Nihil ſane dicerent. Omnes homines à Deo: ergo etiam reges à Deo. Sed idem Miltonus plane negat, reges eſſe à Deo. Nam è contra plus juris eſſe ait in populo, qui injuſtum tollit regem, quam in Deo ipſo, qui eum dat. Ita ſane licet concludere ex ejus dictis. Certum quippe eſt, & inter omnes convenit, à Deo reges tam juſtos, quam injuſtos conſtitui. Et Poëtæ, qui dicunt à Jove eſſe reges, de omnibus hoc intellexere, qui regiam dignitatem obtinent, ſive juſti ſint, ſive injuſti. Ita enim reges à Jove eſſe ſcribunt, ut Cantores ſunt ab Apolline, & Venatores à Diana. Juppiter, in Cœlo Deorum rex & pater omnium, ita facit reges in terris, ut Apollo, Deus cantilenarum, facit cantores, & Diana, quæ venatoribus præſidet, facit venatores. Juppiter ergo, qui regit Deos, dat in terris reges ad homines regendos. Ideo imago Dei rex dicitur, non eodem ſenſu, quo homo ad imaginem factus dicitur, ſed ut Deus omnia temperat & moderatur in mundo, ita & rex, qui hujus regiminis partes in certis nationibus, quæ ipſi commiſſæ ſunt, gubernandis obtinet,

obtinet, imago eſt immortalis & æterni regis, ipſe rex mortali. Ineptum itaque eſt, & ridiculum, & alienum, quod heic Miltonus ſubjicit; *Omnes enim homines à Deo itidem ſumus, Deique genus.* Quid, Miltone, non ſolum tu Dei genus; ſed etiam tecum omnes homines? Adulteri nimirum, ſcortatores, homicidæ, ſicarii, latrones, prædones, piratæ, parricidæ Regum ſuorum, ut ſunt tui Angli, perduellium defenſores, ut ipſe es, à Deo eſſe dices, & Dei genus. Vos potius filii Belialis, & viperarum γεννήματα, vos ὑιοὶ λοιμοὶ, & latrones perditiſſimi. Nam ut Deum vos non noſſe certo ſcio, ita nec Deum noſtis. Vide, quid ſentiat de jure Dei. *Jus igitur hoc univerſum Dei non tollit jus populi; quo minus omnes cæteri Reges, non à Deo nominati, regnum ſuum ſoli populo acceptum referant; cui propterea rationem reddere tenentur.* Impia primum hæc doctrina eſt, igne expianda, Quod Reges omnes non à Deo conſtituantur; ſed à populo: cum nulla gens tam barbara fuerit, quæ id non agnoverit, Non ſine divino Numine quemquam unquam regale ſolium inſcendiſſe. Præterea falſum de omnibus Regibus id poſſe ſtatui, etiam ſi Deum ab omni jure Regum creandorum ſequeſtraremus, ut à populo ſolo conſtituantur. Quod in regnis quidem, quæ per ſuffragium populi conferuntur, quæ αἱρετὰ Græci vocant, Barbari *Electiva*, locum habere poſſet; non in iis, quæ jure hæreditario, & lege ſucceſſionis deferuntur. Præterea in omnibus regnis, quæ uſurpatione quæſita ſunt, ubi victor ſe Regem ipſe conſtituit in victos, populi jus nihil habet loci. Nos autem dicimus, In omnibus regnis, & imperiis, quocumque modo hominibus conferantur, ſive vi, & jure armorum, ſive ſucceſſione, ſive etiam populi electione, Deum eorum auctorem eſſe habendum. Flectit enim, & inclinat, ac movet voluntatem populorum ad hunc potius, quam ad illum eligendum. In hæreditariis regnis plerumque majorem natu, cui regnum jure debebatur, ex rebus humanis tollit, ut juniori ſit locus, & in his, quæ vi, & jure armorum, acquiruntur, ipſe dat victoriam, & dominationem cui vult; interdum ad populi peccata punienda; interdum etiam ad eum ſublevandum, imperii mutatione aſperioris in benigniorem, & clementiorem dominatum. Poſtremo illi omnes Auctores, qui aſſerunt, Reges à Deo conſtitui, quod etiam exinde conſequitur, aſſeverant, Non poſſe niſi ab ipſo Deo deſtitui. Idcirco affirmatur, ab omnibus, ſolum Deum judicem eſſe Regum, vel ob hanc etiam rationem; quod non habeant in regno ſuo aliquem ſuperiorem, qui de his judicare poſſit: nemini autem teneri rationem reddere actionum ſuarum, niſi Deo ſoli. Quod ſi alii cuiquam mortali deberent, eum majorem futurum Rege. *At populus*, inquiet Miltonus, *ſupra Regem*. Si hoc eſſet, nulla daretur imperii, vel Reipublicæ forma

quæ

quæ non eſſet popularis. Univerſus populus contra Regem non poteſt plus, quam unus, vel teſte Scriptura ſancta, quæ diſertis verbis de Saüle dicit, cum Spiritus Dei in eum tranſiiſſet, & iræ plenus in eos excanduiſſet, qui obſequi ei nolebant, & regem eum agnoſcere recuſabant, I. Samuelis, cap. XI. *Qui non exierit poſt Saülem, & poſt Samuelem, ſic fiet bobus ejus. Et cecidit pavor Domini in populum, & egreſſi ſunt, tamquam vir unus.* Non plus habuerunt virium, nec poteſtatis, omnes, ſimul collecti; quam ſi unus eſſet. Cum Rex plus poſſit, unus, quā omnes; ideo nec omnibus tenetur rationem reddere. Si hoc eſſet, illi imperarent; non ipſe: & Μοναρχία non foret; ſed popularis gubernatus. Facetus eſt Miltonus, qui Sarpedones, & Glaucos, nobis ex Homero allegat; ut oſtendat, Reges & à populo creari, & populo bellicæ adminiſtrationis rationem reddere teneri. Audiamus Fabulam. *Sarpedon Glauco dicit; Glauce, cur maximo honore afficimur in Lycia, ubi tamquam Deos nos intuentur omnes? ipſe ſibi reſpondet, Quia virtute cæteris præcellimus. Pugnemus igitur fortiter; ne Lycii nobis ignaviam objiciant.* Videat lector, rideatque bellam inde concluſionem vervecis Angli. *Qua voce,* inquit, *& honores Regios à populo acceptos, & bellicæ adminiſtrationis rationem populo reddendam eſſe innuit.* Ego vero, Miltone, quid niſtes, aut annuas, aut ille innuat, parum curo. Sed nihil tale ipſe innui video. An plures Reges in Lycia fuere? Certe Sarpedon hic, & Glaucus, ſimul regnum Lyciæ obtinuerint, oportet, ſiquidem Reges à populo facti ſunt. Sed non dicis plane Reges factos; ſed honores regios accepiſſe. Ne hoc quidem Sarpedon ibi ait: ſed ideo, quaſi Deos, ſe à populo adſpici ſolitos, & ſummis honoribus affectos, quia virtute cæteris præſtarent; non, quia regiam dignitatem obtinerent. Præterea, non innuit ille bellicæ adminiſtrationis rationem populo eſſe reddendā; ſed ſimpliciter hoc vult, Cum maximo honore nos afficiat populus, quod putet nos virtute omnes antecellere, pugnemus fortiter, & virtutē noſtrā oſtendamus; ne qui nos antea propter virtutē honorabant, ſi videant nos ignaviter in bello gerere, hoc ipſum poſtea exprobrent. Nullū heic verbum neque regalis imperii, neque rationis reddendæ populo. Ad hæc, Lycii illi quos metuit, ne ſibi ignaviā objiciant, ſunt milites ipſi Lyciorum: quos ad bellum ducebant, quibus rationem ſuæ adminiſtrationis reddere non tenebantur. Cum è contrario jus vitæ, & necis haberent. Nam hi militares ducatus potius fuere, quam regii principatus, quos in uſu fuiſſe antiquis & Heroicis Græciæ temporibus notavit Ariſtoteles, & στρατηγίας διὰ βίου appellat. Fortiſſimis è populo hi ducatus cōferebātur. In expeditionibus bellicis, cum manus eſſet conferenda cum hoſte, ſummo cum imperio erant, & Κτεῖναι ἦσαν Κύριοι. Ἐν χειρὸς νόμῳ,

ut

ut vocat Ariſtoteles, extra expeditiones, & aciem, nihil admodum, quod regii juris eſſet, gerebant. Unde & Agamemnon, qui Dux Ducum illorum erat, ſæpe multa cogebatur audire quæ nollet. Ubi à concione in prælium educebantur, jus necis in eos habebat. Hoc igitur quod de Sarpedone & Glauco rete jeceras, nihil tibi traxit. Qualem te eſſe dicam in ſequentibus? hominem nugatorem,& perfrictæ frontis, & nihil penſi habere, quod dicas,modo dicas. Inde illa tua ſunt: *Mali autem Reges,ut metum populo incutiant, Deum imperii regii auctorem prædicant.* Qui ſunt illi reges, quos id prædicare dicis? An Samuel rex omnino fuit, aut rex malus, qui tam diſerte id ſcripſit? Quid dicam de Jeremia, de Daniele, de Oſea Prophetis,quorum teſtimonia attulimus ſupra? Cæteri, qui hoc affirmant, Apoſtoli ſunt, aut primæ notæ, & primorum Eccleſiæ temporum. Irenæus: *Cujus juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & Reges fiunt.* Tertullianus in eamdem ſententiam: *Inde eſt Imperator, unde eſt homo; antiqua Imperatori poteſtas illi unde & ſpiritus.* Clemens, cujus locum ſuperius adduxi, Regem timendum eſſe præcipit, quia ejus χειροτονία à Deo. Et paulo poſt Tertullianus: *Nos judicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus, qui eos gentibus præfecit.* Optatus Milevitanus,lib. II.contra Parmenianum: *Super Imperatorem, non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem.* Omitto Auguſtinum, omitto alios, qui ſimilia ſcripſerunt, ut mirer inſanum hominem adeo de mentis ſtatu dejectum, ut nihil videat, nihil ſapiat, nihil ſentiat. Qualia ſunt & quæ ſtatim ſubnectit? *Tacitis autem votis nullum numen præter Fortunam venerantur.* Ergo tibi Fortuna numen eſt? Sed quinam illi reges ſunt,qui Fortunam pro Dea habent, eique ſupplicant. Citat verſus Horatianos,quibus Fortunam alloquitur, quam & Dacum aſperum,& profugos Scythas, & regum matres barbarorum, & purpuratos tyrannos metuere dicit,ne imperium eorum frangat,& evertat. Quid hoc ad rem? Si qui reges metuunt fortunam, ne ſibi adverſa ſit, hoc ad Gentiles fortaſſean pertineat, non ad noſtros. Inde illud Satyrici:

Te facimus Fortuna Deum, cœloque locamus.

Quod & ipſum tamen Poëta gentilis reprehendit. Præterea, ſi ulla fortuna eſt, annon æque boni reges, ut mali, eam debent metuere? quaſi vero non ſæpe boni reges ſeditione populi ſolio deturbentur, & ſæpius etiam quam mali. Nam mali formidandos ſe populo præbent, qui bonitate optimorum non raro abutuntur. Ubi de fortuna hæc dixit Miltonus, quaſi Fortuna & Deus idem ſit, ſtatim ſubjungit; *Si ergo reges hodie per Deum regnant, etiam populi per Deum in libertatem ſe vindicant.*

Quid illud *hodie* ſibi vult? an vis non hodie Reges per Deum regnare,ut olim? Si ita ſit idem quoque juris eſſe de populo, ut per Deum in libertatem ſe vindicet, hoc eſt,ut ipſe regnet. Atqui tu vis, populum ſemper regnare. Certe ubique, & ſemper regnat,qui Reges, ut ais, conſtituendi, ac deſtituendi pro libitu poteſtàtem habet; quique Regibus, ut libet, imperat, & cui Reges ipſo jure obnoxii ſunt. Quando igitur populus ſe in libertatem vindicat? Quo tempore nimirum Reges ſibi jus populi uſurpant, & ejus loco regnum poſſidere contendunt. Annon ita eſt, Miltone? Hoc ergo vos feciſtis, aut populus apud vos fecit, ſe in libertatem vindicavit, & Rege ſua poſſeſſione regni,quam uſurpaverat,dejecto,nunc pro ipſo regnat. Bene eſt, ſi eſt,ut dicis. Ego tamen putaveram, & non nemo mecum, populum veſtrum Anglicanum illo facto non libertatem recuperaſſe; ſed Dominum tantum mutaſſe, & pro Carolo Stuarto Regem accepiſſe Oliverium Cromwellium. An hoc negas? Nam ipſum teſtum dabo. Iſte Cromwellius Regem ſuſtulit,Parlamentum ipſum, quod Rex nunquam cogitavit ut faceret, abolevit: deinde aliud Parlamentum, cujus ope, & opera, magnifica illa facinora peregerat,ſubſtituit. Hoc ipſum poſtea, quia impediebàt, ne libere regnaret, exauctoravit, idque uno verbo, ut olim Cæſar legiones, *Ite, Quirites.* Nunc igitur placide, & quiete dominatur. An per Deum regnare tibi videtur? Ergo, Deo auctore, Perduellis eſt, Latro, & Parricida. Viderint homines, uter amborum meliori jure regnum obtinuerit,Stuartus, an Cromwellius; & magis ex Dei voluntate. Stuartus ab avis, atavisque, ad ſe devolutum imperium per ſeptingentorum annorum legitimam ſucceſſionem tenuit: Cromwellius nullo jure ad ſe pertinentem dominatum vi,& armis,legitimo ſuo Domino eripuit. Tyrannidem utriusq; comparemus. Rex Stuartus nullum Regem,ut ipſe regnum ejus invaderet,occidit,Parlamētū ſuū,quod fuit & regni Parliamentū,non ſuſtulit.Duæ fuere in Anglia legitimæ poteſtates, altera alteri ſubordinata; Rex, & Parlamentum,ſub uno capite Rege. Utramque Dominis eripuit,& ad ſe rapuit Cromwellius. De regnandi modo; utrum durius fuerit imperium Stuarti, an nunc ſit Cromwellii, populus ipſe Anglicanus judicet; idque ex tributorum impoſitione, quam ſub illo patiebatur, & quam ſub iſto patitur. Ex onerum diverſitate, id facile ſentit. Nec viciniis etiam populis differentiam utriusque regiminis ignorare licet. Sic Cromwellius per Deum, & à Deo Tyrannus eſt. Si hoc voluit Deus, ut permiſiſſe fatendum eſt, non ad hoc voluit, ut libertatem ſub prioribus Regibus peſſumdatam ſub iſto Tyranno nationi Anglicanæ poſtliminio redderet; ſed ut populum affligeret, & pro ſuis peccatis tali flagello puniret. Ita enim Attila *flagellum Dei* audiebat. Perſequamur Miltonum, qui miſer nunc

excidit

excidit ſuo munere; non per Deum, ſed per Cromwellium. *Vtrumque,* inquit, *æque teſtatur Scriptura, & Reges per eum regnare, & per eum ſolio dejici.* Hactenus ſecundum Scripturam loquitur. Gloſſa, quæ ſequitur, non ex Scriptura eſt; ſed ex mente ejus fanatica, & impia: *Cum tamen id utrumque longe ſæpius à populo fieri perſpiciamus, quàm à Deo.* Non partitur æqualiter conſtituendorum & deſtituendorum Regum poteſtatem inter Deum, & populum; quod & ipſum impium eſſet: ſed majorem in utroque partem populo dat. At paſſim Scriptura teſtatur, & clamat, Reges omnes à Deo conſtitui, & rejici, tam Tyrannice, quam juſte imperantes: illos in pœnam populorum, propter delicta id meritorum; hos, contrà, quibus bene de ſe merentibus bene eſſe vult. Sed Independentes non boni ſunt Scripturarii; meliores ſunt Piratæ. Dicit tamen eadem Scriptura in Oſea Propheta populum aliquando Principes conſtituere, quos Deus non novit, capite octavo; *Regnare fecerunt, & non ex me. Principes conſtituerunt, & non novi.* Tales ſunt, quos conſtituiſtis. Et aſſentior tibi de his, quæ ſequuntur; *Populus, ubicumque ſine Deo manifeſto Regem creavit, poteſt eodem jure ſuo Regem rejicere.* Nihil verius. Ubi populus ſeditioſus, & rebellis, ſine Deo Regem tumultuarie creavit, poteſt eodem jure eumdem abdicare. Exemplum hoc in vos competit. Cromwellium Regem ſine Deo creaviſtis; poteritis & eumdem pari jure repudiare, quo eum vobis impoſuiſtis, hoc eſt, per ſeditionem, & rebellionem. Hoc ille jure etiam in Parlamentum uſus eſt. Nam eadem lege, qua Regem per Parlamentum, cujus ſe Dominum fecerat, oppreſſit, etiam ipſum Parlamentum poſtea exegit. Sed ubi populum ponis, ibi pone exercitum cum Cromwellio, & rem tenebis. Fateor autem tecum, ubicumque populus, manifeſto ſine Deo, Regem creavit, poſſe eodem jure & eum rejicere. Nunquã igitur Regem populus rejiciet. Nuſquã enim ſine Deo, hoc eſt, Deo nolente, aut non permittente, populus Regem creavit. Si hoc ſit apud vos in Anglia, ut ſupra dixiſti, vos regem vobis conſtituiſſe, nec jubente Deo, nec vetante, nec dante: Privilegium id erit Enthuſiaſtarum, & Independentium. Nullæ aliæ unquam Nationes, aut Sectæ, tale jus ſibi arrogarunt. *Tyrannum tollere* ais *divinius eſſe; quam conſtituere.* Ego ſolius Dei eſſe dico, Tyrannos tollere, & conſtituere; nec majorem ſupremi Numinis conſiſtere poteſtatem in tollendo, eo, quam in conſtituendo. *Plus Dei,* inquis, *cernitur in populo, quoties injuſtum abdicat Regem, quam in Rege, qui innocentem opprimit populum.* Tu populum nobis heic ſemper obgannis; cum nihil fecerit populus. Abdicationem Regis etiam fruſtra oblatras; cum aliud ſit Regem abdicare, & carnifici tradere, ut vos feciſtis. Quid Dei autem poſſit eſſe in populo rebellionis, & parri-

cidii, reo, non me ſatis perſpicere fateor. Niſi ſimul fateamur, rem divinam eſſe rebellionem, & parricidium, & Deo plenos eſſe, qui illa facinora committant. Opponit heic regem, qui populum innocentem opprimit, populo, qui injuſtum abdicat regem. Sed quis judicabit de innocentia populi, & de injuſtitia regis? An ipſe ille populus innocens? ita in ſua cauſa judex erit populus: & quantumlibet nocentem & infidelem regi ſuo populum proponas, ſemper ſibi fidem ſuam conſtare dicet, & innocentiam, ſi ipſum de ſe judicare permiſeris. Præterea populus non poteſt ſine ſcelere regem ſuum quamvis tyrannum tollere, aut Scriptura ſacra mentitur. At rex populum opprimit impune, quantum ad homines attinet, quia ſolum Deum, à quo puniatur, habet judicem, ſicut jam probatum eſt, tam Scripturæ ſacræ teſtimonio, quam omnium profanorum Scriptorum auctoritate. Tu vero eidem Scripturæ teſtimonium denuntias, ut nobis probes, *Reges noxios Deo auctore populum judicare.* Hæc tua verba ſunt. Videamus quid Scriptura dicat. Citas ex Pſalmo CXLIX. ut oſtendas hoc ipſo honore dilectos ſuos Deum decoraſſe, ut Chriſtum ſuum laudibus celebrantes, gentium reges, quales ſub Evangelio ſunt omnes Tyranni, *vinculis coërcerent, inque eos jus ſcriptum exercerent.* Non in hoc tantum, ſed in omnibus aliis, quæ allegaſti, locis, te mirum eſſe artificem depravandæ, aut in alium ſenſum torquendæ Scripturæ oſtendis. Quid? An tu putaſti revera illis Pſalmi verbis, quæ indicaſti, probari, populum poſſe de ſuis regibus judicare, ſi male gubernent, eoſque ſupplicio capitali jure adjudicare? Quis illum Pſalmum legens non videat promittere Deũ populo ſuo victoriam de inimicis regibus, hoc eſt, de regibus gentiũ? David ſcilicet, illius Pſalmi auctor, voluit ſe & ſucceſſores ſuos reges à populi judicari, ſi noxii eſſent & mali? Atqui nuſquã hoc factum legitur in omni Regũ Judæ & Iſraëlis ſucceſſione, ut in quemquã eorum populus ſententiam mortis dixerit, aut carnifici dederit. Ipſe præterea David aliis in locis ſe ſolum Deum habere ſuorum peccatorum judicem, non populum, aperte & diſerte profeſſus eſt: ſed jam verba ipſa Pſalmi inſpiciamus, ut ſciamus an eum intellectum capiant, quem Miltonus ex his effici cupit: *Et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam de gentibus increpationes in populis. Ad alligandum reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, Ad faciendum in eos judicium ſcriptum.* Vel Miltono cæcior aliquis heic poſſit videre, non populo imperari vindictam de rege ſuo, qui male & injuſte Rempublicam regat, ſumendam, ſed Iſraëlitis promitti victoriam de gentium regibus, qui terram ſanctam, hoc eſt, Cananæam, bello infeſtabant. Ideo non tantum reges gentium ulciſcendos eis dat, ſed & gentes ipſas, & populos, nec eos tantum, ſed & nobiles eorum.

Præterea

Præterea quod ait Pſalmiſta, *Judicium in eos ſcriptum eſſe faciendum*, de lege Dei ſcripta id intelligi debet, quæ jubebat, populos omnes, & reges terræ Cananææ, & Iſraëlitarum hoſtes exſcindi debere & exterminari. Miltonus ita accipit, quaſi velit David, populum judicia in regem ſuum exercere, & lege cum eo agere, ut reus fieret, & capitis condemnaretur. Deus te perdat, homo inſaniſſime, ut quis poteſt peſſime perditus eſſe, ita corrumpis, & pervertis, nec verbo divino parcis, ut Deum ipſum trahas in partes, & ejus auctoritate teterrimum & nefandiſſimum facinus defendas. Et notanda heic inſuper infamis latronis veſania, qui reges omnes Chriſtianos, ubicumque hodie ſub Evangelio regnantes, tales ait eſſe, quales fuere gentium reges Cananææ finitimarum, quas Deus exterminari voluit, & ſimiliter proinde pro Tyrannis habendos, & pariter è medio tollendos. Nempe à ſubjectis ſuis. Non enim aliter intelligit. Atqui ut diximus, non à propriis ſubjectis Reges illarū alligandos, & coërcendos, Deus præcepit; ſed ab hoſtibus ſuis, id eſt, ipſis Iſraëlitis. In compedibus tantum tenendos dicit, non per carnificem necandos. Debacchatur mox in Reges omnes, quos omnium mortaliū *fere ignaviſſimos* appellat, *nec tanti apud Deum eſſe, ut eorum nutu orbis terrarum totus pendeat, & gubernetur.* Quid tu, homulle ipſe pro certo omnium bipedum ignaviſſime, an tanti te putas apud Deum eſſe, ut impune poſſis poteſtates à Deo ordinatas conculcare, qui eas præ te, tuiq; ſimilibus nebulonibus, & latronibus, tam nihili æſtimandas cenſeas; ut infra viliſſima capita, quale tuum eſt, & tui Cromwellii, colloces? Ubi Reges *ferè mortalium ignaviſſimos* nuncupaſti, cum his comparatum hominum genus, *divinum* eſſe, & videri ſcribis. Sic ais, *Eorum ut gratia, præque illis divinum, ut ita dicam, hominum genus.* Dic, homo inſulſe, an homines omnes tibi divini ſunt, exceptis Regibus? Sed, ô vir divine, potes dicere, quo loco nuper habuerit tuus Cromwellius homines illos; qui Parlamentum ante componebant? Certe, ut viliſſima pecora è ſtabulo ejiciuntur, ita illos è domo, in qua convenerant de ſummis rebus deliberaturi, foras protruſit, metu mutos, & nihil muſſitantes. Non valde divinos eos putavit, diviniores tamen, ut fatear, Rege ſuo, cui caput per carnificem amputavit. In Salmaſium ſtatim inſurgis, à quo proferri in medium dicis Marcum Aurelium, quaſi Tyrannis faventem; *Ut ſatius*, inquis, *illi fuerit, Aurelium non attigiſſe.* Sed quid inde, quæſo, mali in caput Salmaſii redundavit, ut melius illi fuerit, non ejus meminiſſe? Neſcire te fateris, *An Deum de Principibus ſolum judicare dixerit*: at ego ſcio dixiſſe. Deinde ſubjicis; *Xiphilinus certe, quem citat Salmaſius, de αὐταρχίᾳ loquitur.* Περὶ αὐταρχίας ὁ Θεὸς μόνος κρίνειν δύναται.

De

De imperio ſolus Deus poteſt judicare. Cæterum ne manifeſtis manum dare cogaris, aut ne gula tibi ſtringatur tam forti laqueo, dicis, Te non aſſentiri, αὐταρχίαν illic eſſe ſynonymum Monarchiæ. Sed quid ad nos, ſi non aſſentiaris? An propterea, aſine, id verum non erit? Nam quis Græcè vel tantillum peritus neſcit, αὐταρχίαν idem eſſe quod μοναρχίαν, vel ſummum imperium? Αὔταρχος dicitur, ut αὐτοκράτωρ, qui ex ſe, & per ſe imperat, non ab alio dependet, aut alterius poteſtati, aut imperio obnoxius eſt. Ne αὐταρχία idem ſit, quod αὐτοκρατορικὴ δύναμις apud Xiphilinum illud obſtare Miltono videtur, quod Marcus, *Imperatorum optimus, ita cum populo egerit, ut eſt actum ſub civitate libera.* Quid tum? An propterea non fuit Imperator, id eſt αὔταρχος & αὐτοκράτωρ; An idcirco non potuit dicere, ſolum Deum de Imperatoribus & regibus poſſe judicare? Nonne ſimiliter alii boni Imperatores, ut in jure noſtro, dicunt *ſe legibus vivere, quamvis legibus ſoluti* ſint, id eſt, quamvis de illis homines lege judicare non poſſint, ſed ſolus Deus? Alia in eamdem ſententiam attulit Salmaſius ex Trajano, Theodoſio, & aliis, quæ ab eo petenda ſunt, ne heic ea repetere neceſſe habeam. Adeo autem mentiendi artem imbibit Miltonus, ut nunquam aliter, nec aliud agat. *Idem,* inquit, *Marcus Thraſeam, Helvidium, Catonem, Dionem, Brutum Tyrannicidas omnes, aut iſtam gloriam æmulantes, coluiſſe in primo libro De vita ſua profitetur.* Falſum eſt, Marcum ibi ſcripſiſſe à ſe cultos illos homines, ſimpliciter tantum dicit opera Severi, ſive Veri fratris, ſe eos noviſſe, Καὶ τὸ δι' αὐτὸν γνῶναι Θρασέαν, Ἑλβίδιον, Κάτωνα, Δίωνα, Βροῦτον. Aliud eſt γνῶναι, aliud colere, ſive θεραπεύειν. Cur igitur aliter citas quam ſcripſit Auctor? An quæ ſequuntur, veriora ſunt? ubi dicis eumdem Marcum eodem loco, *ſibi Reipublicæ formam propoſuiſſe, in qua æquis legibus, pariqua jure omnia adminiſtrarentur.* Quis non ex iſtis tuis colligeret, Marcum immutaſſe formam regiminis, quod tunc apud Romanos obtinebat, & pro regali, vel imperiali popularem ſtatum, Reipublicæ inſtituiſſe. Nihil tale ibi Marcus, ſed cum nondum eſſet Imperator, ſed Philoſophiæ ſtudiis adhuc operam daret, ſe per Severum imaginem animo concepiſſe ejuſmodi popularis adminiſtrationis, in qua omnia æquis legibus, & ſumma cum omnium æqualitate adminiſtrarentur: item talis etiam regalis gubernationis, in qua ante omnia libertas civium plurimi fieret. Sic enim Græca ſe habent: Καὶ φαντασίαν λαβεῖν πολι-

τείας ἰσονόμου κατ' ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένης, καὶ βασιλείας τιμώσης πάντων μάλιστα τὴν ἐλευθερίαν τῶν ἀρχομένων. Duo proponit eo loco genera adminiſtrationum tamquam optima, ſi bene gerentur, populare & regale, Δημοκρατικὸν & βασιλικόν. popularem ſtatum appellat πολιτείαν ἰσόνομον, quia æquis legibus gubernat. Ariſtoteles abſolute πολιτείαν appellat multis locis. Tunc optimus eſt ille popularis ſtatus, ſi in eo ſervetur ἰσότης, & ἰσηγορία, æqualitas, & jus dicendi & concionandi æquale omnibus. Degenerat ſæpe hic ſtatus in ὀχλοκρατίαν, ubi minuta plebs in concionem dominatur, & omnia pro imperio agit turbide & tumultuoſe. Hæc παρέκβασις eſt veræ & legitimæ δημοκρατίας, quam unam ex tribus πολιτείας, quas ὀρθὰς appellat, ſpeciebus eſſe Ariſtoteles tradit. Talis adminiſtrationis juſtæ & moderatæ imaginem animo conceperat Marcus, ut & ejuſmodi regalis dominationis, quæ tum juſtiſſima & optima videtur, cum qui imperat, maxime facit libertatem civium ſuorum. Hæc mens fuit Marci eo loco libri de vita ſua, longe alia ab ea, quam finxit Miltonus. Non tantum Marcus, ſed etiam Antoninus Pius, & Alexander Severus, aliique, ut Tacitus, & Probus, æquo jure cum populo egere, nec tamen Imperatoriam & regiam dignitatem abjecerunt. Ante eos etiam Nerva, Trajanus, & Adrianus multum Senatui detulerunt, & populo favere. Multi ſane Imperatorum populares fuere, & præcipue Titus. De Trajano hæc Plinius; *Dicitur Actori atque etiam procuratori tuo, In jus veni ſequere ad Tribunal. Nam Tribunal quoque excogitatum principatui eſt par cæteris. Sors & urna judicem fiſco aſsignat. Eodem foro utuntur principatus & libertas. Quæ præcipua tua gloria eſt, ſæpe vincitur Fiſcus, cujus mala cauſa nunquam eſt, niſi ſub bono principe.* Et notabis, dici Actori & procuratori Principis, In jus veni, non ipſi Imperatori. Fiſco Principis idem tribunal aſſignabatur, quod & aliis privatis litigantibus, non ipſi Principi. Judex per ſortem & urnam datus de cauſis Fiſci cognoſcebat, non de ipſius Imperatoris capite. Addit protinus Anglus Johannes Lippus primo, deinde cæcus, *In quarto, non ſe; ſed legem, dominum eſſe.* Sine dubio aliquis illi retulit, ita ſcriptum extare in illo libro. Nam nec ipſe vidit, nec legit. Ubi locum ipſum oſtenderit, tum fatebimur eſſe virum ingenuum, & probum, & qui nihil ſciat niſi verum dicere. Hoc quidem omnes boni Reges & imperatores ſemper præ ſe tulerunt, & affirmarunt, legem dominam eſſe,

eſſe, non ſe: nihilo minus tamen lege ſoluti fuere, nec judicium, nec pœnam, quam lex irrogat, ſubiere; legibus tamen ſe vivere debere ſemper dixere. *Tantum abſuit*, inquit, *Marcus, ut quicquam jure Regio ſibi arrogaret; ut moriens filium ſuum regnaturum ea lege Romanis commendaret, Si dignus eſſet.* Bona ſane verba, & illo Imperatore digna! Nihilo ſecius illo jure Regio regnavit, imperium tale à patre adoptivo accepit, & tale filio reliquit. *Jus itaque illud regnandi abſolutum, atque fictitium, tanquam à Deo per manus traditum, illam denique* αὐταρχίαν *præ ſe non tulit.* Si præ ſe non tulit, habuit tamen; nec alio jure imperavit, nec alio, qui ipſi imperium tradidere, regnaverunt, nec ipſe cum alia conditione hæredi ſuo reliquit Imperium. Tu, nebulo, *fictitium* illud jus vocas? quomodo igitur appellabis jus illud, quo nunc dominatur Cromwellius? Ut me tui miſeret, pudetque! cum pauci dominantur, quæ Ἀριστοκρατία eſt, cum populus, quæ eſt Democratia, jus fictitium non erit, ita vocabitur, quoties ſinguli moderamen rei ſummæ obtinebunt? Favere Tyrannis dicis, qui aſſerunt, de rege neminem niſi Deum judicare. Ergo & Deus Tyrannorum eſt fautor, qui non aliter in Scriptura ſua loquitur. Prophetæ, Apoſtoli, Patres, & Doctores Eccleſiæ tam antiqui, quam medii ævi, quam ultimi, Rabbini, Græci, Latinique, Philoſophi, Oratores, Hiſtorici uno ore, & ſtylo ita tradiderunt, Reges nimirum non agnoſcere alium judicem præter Deum. Recte itaque Salmaſius poſuit, omnia Græcorum & Latinorum monumenta ea aſſertione plena eſſe. *At nuſquam*, inquis, *viſa.* Sane nec in poſterum tibi videnda, cœcitate mentis poſtquam ſemper laboraſti, nunc etiam oculis corporis cœcus es factus. Etiam Judæos ejus rei teſtes eſſe Salmaſius vere ſcripſit, nec obſtat, quod in plerisque regiæ poteſtati minus æquos fuiſſe dixerit. Nec enim hoc prohibuit, quin affirmarint, *Regem non judicari*; & *Reges non habere judicem, niſi Deum. Immo*, inquis, *Græces & Latinos minus æquos Tyrannicis & reperiſti, & reperies; multo minus Judæos, ſi liber ille Samuelis, in quo is jus Regni deſcripſerat, extaret.* De Græcis & Latinis teſtimonia ſuperius allata ſatis evincunt, in eadem eos eſſe omnes ſententia, Regem etiam malum & tyrannice dominantem à populo ſuo non poſſe judicari. Nemo autem eſt, qui Tyrannis poſſit favere, cujuſque nationis is ſit, ſed hæc veritas in omnium tamen ſcriptis reperitur, pœnarum, quas lex in privatos conſtituit, immunem eſſe regem, qui Dominus legis eſt, ut & omnium rerum, & hominum, in quos habet imperium. Ad Judæos quod attinet, liber ille Samuelis ſi extaret, te convinceret. Non enim de jure regio potuit continere, quam quæ ipſe viva voce populo regem petenti inſinuaverat. Ecce enim cap. VIII. Regem poſcentibus

ad

ad inſtar cæterarum nationum, declarat quale jus eſſet regium. Mox cum jam regem eis dediſſet, iterum ſcripto ſignificavit, cujusmodi eſſet jus illud regium, ut ſcriptum eſt cap. X. ejusdem libri. Quod ais, eum librum à regibus diſcerptum, aut combuſtum fuiſſe, quo impunius Tyrannidem in ſuos exercerent, atque id tradere doctores Hebræorum, more tuo mentiris, impudentiſſimũ, & mendaciſſimũ animal. Combuſtũ eſſe ſimpliciter ſcripſere, ſed non à regibus. Et probabile potius ſit, à Rabbinis igni datum fuiſſe, ne nimia Regis poteſtas, qualem Dei monitu deſcripſerat Samuel, & populo denuntiarat, ejus ſcripti auctoritate confirmaretur. Ut ei juri Regio teſtimonium perhiberet David, non fuit torquendus, ſed ſatis aperte profatus eſt Pſalmo XVII. Regem non judicium hominum ſubire, ſed Dei ſolius, his verbis, *A facie tua judicium meum prodeat.* Inde concludunt Rabbini, *Ergo nullus judicat regem, niſi Deus.* Tibi, Miltone, veriſimilius videtur, *Davidem hæc ſcripſiſſe, cum à Saüle vexatus, ne Jonathanis quidem judicium, quamvis jam tum unctus à Deo, detrectabat.* Sed quidquid tu veriſimilius judicas, Miltone, non ſtatim verum eſt. Immo tanto falſius ipſi mihi videtur, quod putas propius vero eſſe. Rabbinis certe potius credo, quam tibi. Sed quæ ratio eſt, ut tum ea ſcripſerit David, cum Saül quærebat ipſum perdere? Mirum vero eſt, quod tu Judicii nomine ſemper ſoles nuncupare, quæ per vim meram fiunt. Cum Saül Davidis vitæ inſidiaretur, & omni modo eum de medio tollere tentaret, Jonathan, qui fœdus cum Davide pepigerat, amicitiamque cum eo contraxerat, certiorem illum de omnibus facere promiſit, quæcumque in eum pater moliretur. Petit ergo David à Jonathane pro gratia, & beneficio, ſi hoc fixum animo Saülis videret, ipſum occidere, ut ne ipſum ad patrem adduceret, ſed ibi ſtatim ſe interficeret, ſi alicujus pravæ facti reum animadverteret: *Et ſi eſt in me iniquitas, interfice me; Et uſque ad patrem tuum quare abduceres me?* Non heic video judicium ullum Jonathanis, cui obnoxius fuerit David, quodque ideo detrectare noluerit, ut perſuadere nobis conatur Miltonus. Quaſi nimirum David etiam tum unctus à Deo, & Rex deſignatus, à privato, qualis Jonathan, judicari potuerit. Quæ maxima eſt inſcitia, aut malignitas non ferenda. Quamvis eo tempore unctus eſſet David, Rex tamen non erat. Saülem pro Rege ſuo, & Domino agnoſcebat. Ideo cum poſſet eum occidere, noluit, ne violentas manus afferret uncto Dei, & Domino ſuo. At Saül contrà, Davidem tamquam ſubjectum ſuum, & ſervum, non verebatur trucidandum dare. Certe, Miltone, ut tuas tibi reddam voces, qui adeo frivolis & invalidis argumentis jus Regium labefactare & deſtruere contendunt, cum tam fallacibus nitantur fundamentis, omnino nihil agunt, niſi quod

tu agis, id eſt, meras nugas. Tranſit tandem ad aliud Salmaſii argumentum, quod tritum eſſe ait, & Aulicorum Anglicorum palmarium, *Tibi ſoli peccavi*, ex Pſalmo LI. Cujus argumenti vim ita eludit. *Quaſi vero*, inquit, *Rex David, in mærore & lacrymis pœnitentiam agens, ſordidatus, & ſqualidus in terra jacens, miſericordiam à Deo ſuppliciter petens, quicquam de jure Regio cogitaverit hæc loquutus, cum ſe vix jure mancipii dignum eſſe arbitraretur*. Præclare hæc Miltonus, ut ſolet, & mirifice ratiocinatur. Ego vero ſic repono. Quaſi vero David in ſacco & cinere pœnitentiam agens de peccato duplici, adulterio & homicidio, propter quæ, ſi privatus extitiſſet, & jure Regio non ſuffultus fuiſſet, bis vitam ſupplicio capitis meritiſſimo amiſiſſet, non debuerit à Deo veniam delicti petere, & confiteri, ſe ſoli ei peccaſſe, qui ab eo ſolo ſciebat ſe miſericordiam poſſe impetrare, qui ſolus ejus judex eſſe poterat. Pergit Miltonus ratiocinari. *An omnem Dei populum, fratres ſuos uſque adeo contempſit, ut cædibus, adulteriis, rapinis peccare in eos ſe non poſſe cenſeret? Abſit*, inquit, *à Rege tam ſancto tanta ſuperbia, tamque fœda ignoratio vel ſui, vel proximi*. Abſit ſane, & volo tecum abeſſe, ſed ille Rex tamen tam ſanctus adulterium & homicidium commiſerat. Nec fuiſſe tunc tam ſuperbum puto, ut cum corpus affligeret, & pœnitentiam peccati ſordidatus, & in pulvere jacens ageret, fratres ſuos & populum præ ſe contemneret, aut quod crederet, ſe in eum minime peccaſſe, quem nefarie occ[i]d[er]at, vel in eam, quam ſtupro vitiarat: ſed, cum puniri ob talia facta ab hominibus non poſſet, quia Rex erat, nec à quoquam veniam delicti petere, niſi à Deo, qui ſolus ei poterat ignoſcere, ideo flens & gemens Deo confitetur ſe ei ſoli peccaſſe, qui ſolus poterat gratiam peccati facere. Quomodo igitur tibi placet, illa verba Davidis accipi, Miltone, ſi ſenſus hic diſplicet, quem nos illis damus? *Tibi*, inquit, *ſoli peccavi procul dubio intelligendum eſt, tibi præcipue*. Si dicerem, Miltone, te ſolum inter Anglos inſanire, verum quidem non dicerem: nam infiniti ſunt, qui in eo populo præter te inſaniant, non tamen intelligerem, te præcipue furere unum inter omnes, ſed ſolum; cæteros autem omnes minime furioſos eſſe ſentirem. An tu igitur quod ſolus quis facit, non ſolum id facere, ſed præcipue intelliges? Si ita eſt, ſolus certe ex omni Latine loquentium turba, non recte loqueris, nec intelligis. Videris tamen in fine, non valde confidere iſti explicationi, cum addis protinus, *Utcumque ſit, profecto verba pſallentis, & ſententia affectibus plena, haud quaquam ſunt ad jus explicandum accommodata, aut eo trahenda*. Certe homo ineptus, ut tu es, & inſcius, ſenſûſque communis expers, non valde eſt aptus ad explicandas Scripturæ ſacræ ſententias. Qui autem ſic improbus eſt, & nefarius, regumque oſor maximus, multo minus idoneus videtur ad jura regum exponenda. Quid ergo? An

pſallere

pſallere illud Davidis, tibi ludere eſt, & nugas agere? At prius, quam illa ad pſalterium caneret, compoſuit, iſtaque verba ipſa Cantici, quod verſibus mire Hebræorum expreſſum eſt. Cæterum paulo ante dicebas, hæc protuliſſe, cum in mœrore & lacrymis pœnitentiam ageret. Tunc ſane verba veritati conſentanea etiam invitis excidunt. Non quidem præ ſuperbia, aut faſtu, juris Regii prærogativam in illo tempore ſomniabat, ſed ſimpliciter, & ex intimo mentis affectu ab eo veniam ſe petere profitebatur, qui ſolus poterat dare, quia ſolus poterat de ejus crimine judicare. *Peccare* autem quis *alicui* proprie dicitur, à quo peccati veniam, aut pœnam debet expectare. Sic Jeremias ad Regem Sedeciam. *Quid ego tibi peccavi, ut me in carcerem conjicias?* Ipſe David, lib. II. Samuelis, cap. XII. cum ei Nathan peccatum quod commiſerat ante oculos poſuiſſet, & pœnam propter id à Deo denuntiaret, qui ſe judicem ejus per Prophetam conſtituebat, quia ab hominibus puniri eum fas non erat: *Dixit autem David ad Nathan, peccavi Domino. Et ait Nathan Davidi, Etiam Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* Ex quibus patet, Davidem ſcripſiſſe eum Pſalmum illo tempore, quo pœnitentiam agebat propter cædem Uriæ, & ſtuprum Berſabæ. Nam eadem video verba utrobique. Non autem, ut infrunitus cenſuit Miltonus, cum à Saüle vexatus, & ad necem quæſitus à Jonathane beneficii inſtar poſtulabat, ut mortem manu eius oppeteret. Aliud autem eſt *peccare alicui*, aliud *peccare in aliquem.* Quam differentiam exponit Innocentius Tertius, ubi locum illum Pſalmi quarti Pœnitentialis explicat, ad hæc verba, *Tibi ſoli: Ac ſi diceret*, inquit, *manifeſtius, peccatum meum tibi ſoli relinquitur puniendum, eo quod alium non habeam ſuperiorem, qui me poſſit punire, cum ipſe ſim Rex.* Et paulo poſt; *Aliud ſane eſt* in aliquem *peccare, & aliud* alicui. In aliquem *peccat, qui committit in eum offenſam:* alicui *peccat, qui ſubjacet ejus ultioni. Rex itaque ſoli Deo; Cæteri vero & Deo peccant, & Regi.* Nullum autem dare eſt Eccleſiæ Doctorem, vel Patrem, aut Scripturæ interpretem, ſive Græcum, ſive Latinum, à primis temporibus uſque ad ultima, quin ita verba illa Davidis ex prædicto Pſalmo expoſuerit. Clemens Alexandrinus, Stromaton libro quarto; *Deinde tacite ſignificans, peccatum quod legi non ſubjicitur, ſcite ſuam modeſtiam oſtendens, ſubjungit, Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.* Didymus, in Aurea Catena Græcorum Patrum ad illum Pſalmum; *Quatenus Rex erat, non ſubjiciebatur humanæ legi, unde nulli ex legum conditoribus peccavit, neque enim ulli ex illis malum hoc fecit, quoniam vero ad regiam dignitatem illius acceſſit, ut prius eſſe vellet, divinæ legi ſubjectus fuit, & propterea ſoli Deo peccavit.* Euthymius in eumdem: *Tibi ſoli peccavi. Cum Rex ſim, & te ſolum commiſſorum à me ſcelerum judicem habeam, tibi ſoli peccaſſe videor, hoc eſt, tibi ſoli ſubjicior:*

ſicior: cæterorum enim omnium Dominus ſum, & ob potentiam meam licere mihi videntur, quæcumque libuerint. Hoc eſt jus regium, quale à Samuele expoſitum eſt. *Quod libet, licet,* Caracallæ. *Impune quod libet facere, hoc eſt, regem eſſe;* Salluſtii. Τὸ ἀνεύθυνον & ἀνυπεύθυνον, quod Græci omnes regibus tribuunt. Τὸ πάντα πράττειν κατὰ βούλησιν αὐτοῦ, quod eſt apud Ariſtotelem proprieregium. Chryſoſtomus de Græcis Patribus ita etiam expoſuit; & Iſidorus Peluſcita de Latinis. Ambroſius in Apologia Davidis, cap. IV. de Davide, *Qui tenentur Regibus, audent ſuum negare peccatum, dedignantur negare indulgentiam quam petebat, qui nullis legibus tenebatur humanis.* Et cap. X. *Tibi ſoli peccavi, Rex utique erat, nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum; neque enim ullis legibus ad pœnam vocantur, tuti imperii poteſtate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius. Sed quamvis tutus imperio, devotione tamen, & fide erat Deo ſubditus.* Idem, lib. II. Epiſt. VII. *David rex ait, Tibi ſoli peccavi. Regali enim ſubnixus faſtigio, quaſi legum Dominus, legibus reus non erat, ſoli Deo obnoxius tenebatur, qui Dominus eſt poteſtatum.* Idem, Sermone XVI. in Pſalmum CXVIII. *Ideoque ſciens ejus potentiam, qui hominem non timeret, ait;* Tibi ſoli peccavi. *Non poteſt hoc juſtus negare; quia nemo ſine peccato. Non poteſt Rex; quia, etſi leges in poteſtate habet, ut impune delinquat, Deo tamen ſubditus eſt, qui nulli debet: immo plus ipſe debet, cui plus commiſſum eſt.* Hieronymus, in Epiſtola XLVI. ad Ruſticum: *Tibi ſoli peccavi. Rex enim erat, & alium non timebat.* Eadem habet & alibi in Epiſtola ad Euſtochium. Caſſiodorus in eumdem Pſalmum: *Tibi ſoli peccavi: Quia Rex omnibus ſuperior, & à Deo tantum puniendus.* Beda in eumdem: *Tibi ſoli peccavi. Rex enim ſi peccat, ſoli Deo peccat; quia nullus alius eum pro ſuis peccatis puniet.* Hujus Venerabilis Bedæ Angli auctoritas longe potior omni ſano ſincipiti videri debet; quam mille talium, qualis eſt Johannes Miltonus Anglus. Haimo in Pſalmum illum; *Tibi ſoli peccavi; Quia, cum Rex ſim, nullus habet punire peccatum meum, niſi tu ſolus.* Otho Friſingenſius in Epiſtola ad Fredericum: *Cum nulla inveniatur perſona mundialis, quæ mundi legibus non ſubjaceat, ſubjacendo coërceatur, ſoli Reges, utpote conſtituti ſupra leges, divino examini reſervati, ſæculi legibus non cohibentur. Unde eſt & illud tam Regis, quam Prophetæ teſtimonium, Tibi ſoli peccavi.* Quia, cum Salmaſius ſcripſiſſet, omnia Græcorum Latinorumq; monumenta plena eſſe hujuſmodi teſtimoniorum, quæ Regibus impunitatem delictorum ſuorum per leges humanas vindicant, Miltonus repoſuit, nulla ſibi uſquā viſa, viſum mihi hac mole teſtium ex cana anti-

tiquitate Eccleſiaſtica, & recentiori, eum ita obruere, ut emergere inde non poſſit. Quibus ſi pondus accedere poteſt ex Scholaſticorũ numero, magnæ ex eorum corpore phalanges inſtrui, & adduci queunt; quibus Miltonus tandem concedat, non aliter verba illa Davidis eſſe exponenda, quam quomodo poſuimus. Certe non aliter interpretati ſunt, Alexander Ales, Nicolaus Lyranus, Thomas Aquinas, Bruno Herbipolenſis, Johannes de Turre-cremata, Dionyſius Carthuſianus, Jacobus Faber Stapulenſis, Sebaſtianus Gomeſius, Gaſpar Ulembergius, Didacus Vega, Jacobus de Valentia, Ludolphus de Saxonia, Gulielmus Lindanus Gaudenſium Epiſcopus, Gulielmus Pepinus, Antonius de Roſellis. De recentioribus, duo Jeſuitæ ſummæ auctoritatis, Johannes Lorinus, & Cardinalis Bellarminus, non aliam verbis Davidis ſententiam aſſignant, nec aliter de Regis impunitate pronuntiant, quoad judicia hominum, & leges ſæculares. Horum omnium teſtimonia jam collegere, & congeſſere, qui pro Regum jure ſcripſerunt. His tot, ac talibus auctoritatibus niſi frangatur Miltonus, dignus eſt, cui gulam laqueus frangat. Quam pœnam ſic tamen meretur, quocumque modo hæc excipiat. Mentem Davidis in illo Pſalmo melius, quã quidquid eſt Interpretum, confirmat res ipſa, & uſus, mosque, & jus, quo cuncti Reges, Davidis ſucceſſores, gaviſi ſunt; quorum nullus ob ullum crimen reus factus eſt legibus Hebræorum, aut in jus eo nomine vocatus, ut nec David tunc ob illud geminum ſcelus adulterii, & homicidii. Ita ergo Salmaſius in Defenſione ſcripſerat, *At non eſt David in jus vocatus, nec corã Synhedrio cauſã capitis dixit.* Quid reſpondet ad hæc Miltonus? *Eſto*, inquit. *Quî enim hoc potuit reſciri, quod adeo ſine arbitris, & ſecreto peractũ fuit; ut per aliquot fortaſſe annos, cujusmodi aula arcana ſunt, vix unus, aut alter conſcius fuiſſe videatur.* Vah! neque rem veram, neque veriſimilem narras, ut per aliquot annos hæc Regis flagitia populo ignorata fuerint. Sed eſto, poſt aliquot annos compertus de his fuerit. Jam tum certe eorum criminum accerſiri potuit, quarum accuſationum præſcriptio temporis non excluſit. Hoc tamen à vero abhorret, tamdiu celatum fuiſſe Regis flagitium, ut poſt aliquot demum annos in notitiam populi venerit. Nec obſtat, quod ei dixit Nathan, *Tu hoc clam feciſti.* Certe clam uxorem Uriæ ad ſe perduci imperavit, & maritum ejus clam occidendum dolo mandavit, eo modo, qui narratur libri ſecundi Samuelis capite undecimo. Sed tamen poſtea res ſtatim innotuit, & publicata eſt. Nam ſtatim poſt mortem Uriæ, cum uxorem ejus accepiſſet David, & in aulam introduxiſſet, Nathan Propheta ad eum acceſſit, & oſtendit ſe ſcire quid ſceleris admiſiſſet, & ex Dei mandato ſignificavit, quali pœna divinitus infligenda deberet hoc crimen luere. Si judicium Synhedrii eum ſubire oportuit, nonne officium Prophetæ fuit, Synhedrio

eum

eum deferre, & reum peragere. Nihil tale fecit; ſed, Dei juſſu, ad Regem venit, ipſi denuntiaturus, quo genere ſupplicii eſſet à Deo ipſo afficiendus. Et, cum ſe Domino peccaſſe confiteretur David, Propheta ei dixit, Deum tranſtuliſſe peccati ſui pœnam in alium; & non ipſum quidem moriturum, ſed filium, quem Berſaba ex illo adulterio peperiſſet. Ita, ἀντιψυχίᾳ filii, pater noxâ liberatus eſt, idque Dei ipſius judicio, non Synhedrii. Cum tot Reges fuerint Idololatræ, cum id palam fecerint, cum nemo ex populo ignoraret quid agerent, & qualem impietatem patrarent, quis tamen eos ad Synhedrium in jus vocavit, aut eo nomine accuſavit? De induſtria porro hoc ſemper, Miltone, facere videris, ut ridiculus habearis. Talis eſt iſta tua ratiocinatio. *Deinde*, inquis, *quid ſi in privatis etiam puniendis ceſſaret Synhedrium? An quis inde puniendos non eſſe argumentabitur.* Hoc adeo fatuum, & puerile eſt; ut non mereatur reſponſionem. Oſtende primum in privatis puniendis ceſſaſſe Synhedrium, tum de iſto argue. Non minus ſtultum eſt, quod adiicit: *Sed ratio obſcura non eſt, jam ſe condemnaverat.* Quid inde efficies? Jam ſe condemnaverat: Ergo non debuit à Synhedrio condemnari. Hoc ipſo arguitur, non potuiſſe ab alio condemnari, quam ſemetipſo, qui erat αὐτόνομος, αὐτογνώμων, & αὐτοκράτωρ. Si ſe mortis reum ipſe declaravit David, cur ſententiæ, quam ipſe in ſe tulerat, non ſubſcripſit Synhedrium, & morti eum non addixit; cum ſe reum eſſe confeſſus fuerat? Non ad Synhedrii judicium à Propheta vocatur. Sed, cum facti pœnitere ſe profeſſus eſſet, Dei nomine ei adnuntiavit, quod non eſſet ipſe moriturus, ſed ejus filius. Hæc pœnæ mutatio à Deo. Si ipſum mori Deus voluiſſet, non per Synhedrii ſententiam id curaſſet; ſed eodem modo, quo & filium pro patre punivit, patrem ipſum morte naturali, ſed præter fatum, & ante diem, affeciſſet. Cum Propheta Nathan Davidi ficto argumento quaſi apologi, & ſub perſonis fucatis, delictum ſuum detexiſſet: ignarus David quo tenderet, & quem tangere vellet, reſpondit, *Reus capitis, qui fecit hoc.* Cui ſtatim ſubjecit Propheta, *Tu vir ille es.* Heic vult Miltonus Propheta judicio Regem reum factum: quaſi Propheta de Rege judicandi hoc reſponſo poteſtatem, & jus, ſe habere ſignificaſſet. Quod eſt non minus falſum, quam ineptum. Sed talia ſolet Miltonus monſtra fingere. Sic ſupra, cum à Jonathane David peteret, ut manu ejus occumberet potius, quam patris Saülis, inde arguebat, judicio Jonathanis Davidem fuiſſe obnoxium. Nihil heic pronuntiat Propheta contra Davidem, nec de ejus crimine judicat. Cum ſub involucris alienarum perſonarum, & fictæ narrationis, ſimile crimen ei, quod commiſerat David, adumbraſſet,

braſſet, reſpondit David, qui ſe denotari neſciebat, *Talem virum mortis reum eſſe.* Non confirmat totidem verbis ejus ſententiam Propheta: qui non auſus fuiſſet reum capitis Regem peragere; ſed ſimpliciter dixit, *Tu vir ille es.* Prophetæ nunquam Reges accuſarunt, non diem illis dixerunt, non manu ſua eos occiderunt, non cuiquam è populo, non univerſo, auctores fuerunt, ut Regi mortem afferrent. Non populum concitarunt ad rebellionem contra Reges. Immo Reges impune Prophetas, & ſummos Sacerdotes incarcerarunt, in exilium miſerunt, & interfecerunt. Pergit Miltonus ineptire, & quæ ad rem non pertinent, & contra ipſum faciunt, argumenta vibrare. *Veruntamen*, inquit, *Deus pro ſuo jure, atque eximia in Davidem clementia, & peccato abſolvit Regem, & ipſa mortis ſententia, quam in ſemetipſum pronuntiaverat.* Non poteras quæ tibi magis adverſaria ſint, O pulpa vervecina, producere. Deus ſuo jure in Davidem uſus eſt, cum de eo judicavit, quod judex mortalis non potuit facere, quia Rex erat, & ſuperiorem non habebat, niſi Deum. Clementiam etiam ſuam in eum oſtendit; quia veniam delicti dare Regi non potuit alter, præter Deum. *Et peccato*, inquis, *abſolvit Regem.* Nempe qui ſolus potuit abſolvere. Falſum tamen abſolviſſe. Tranſtulit pœnam, quam ſe meruiſſe ipſe confeſſus fuerat, in filium. Hoc judici alicui, qui homo eſſet, illicitum fuiſſet. Sed Deus ſæpe ſic ſolet nocentes punire in perſona liberorum ſuorum. Cujus pœnæ tranſlationis multa occurrunt exempla in Scriptura. Pronuntiat quidem Propheta Davidi, ex Dei mandatò, *Non es moriturus.* Non ſic tamen eum abſolvit, ut tu nobis vis perſuadere. Nam ſtatim idem Propheta ſententiam Dei contra eum recitat in hæc verba; *Veruntamen, quia blaſphemare feciſti inimicos Domini in hoc negotio, etiam filius, qui natus eſt tibi, moriendo morietur.* Quantum dolorem hauſerit ex filii fato properato, & quantæ pœnæ inſtar hæc mors Davidi fuerit; in ſequentibus narratur. Punitus igitur fuit ob illud peccatum Rex à Deo in perſona filii, qui pro patre luit. Et, cùm dixit David coram Propheta; *Peccavi Domino*; continuo ſubjecit Propheta, *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris:* Id eſt, tranſtulit pœnam peccati tui in filium tuum, qui pro te capite ſuo luet. Non eſt alter in Scriptura locus illuſtrior, & quo clarius demonſtretur, Reges à Deo ſolo puniri, & judicem eum ſolum habere. Mirum, Miltone, te neſcire, quis ſit ille *Advocatus ſanguinarius*, in quem Salmaſium ais debacchari. Ille Advocatus, quem fingis te non noviſſe, dixerat, *Iſraelitas Tyrannum à Deo petiiſſe.* Hoc ſimile veri non videri arguit Salmaſius; quia qui ferre non potuiſſent *Suffetum*, ſive Judicum, à quibus regebantur, injurias, & propterea Regem ſibi dari à Deo expoſcebant, non eſſe probabile eos gravius malum præ leviori optare, & verum Tyrannum

velle pro legitimo Magiſtratu injuſte Rempublicam admini-ſtrante. Et certe videndum heic erat, qualem Regem peteret populus Iſraëliticus. Nempe talem, ut haberent cæteræ nationes. Ergo Regem ſimpliciter, non Tyrannum. Niſi quis dixerit, nullum tunc fuiſſe Regem in toto orbe terrarum, ſed omnes Tyrannos. Quod libenter affirmaret, cum ſimilibus ſui nebulonibus, Miltonus. At idem Salmaſius paulo ante dixerat; *Iſraëlitas non deprecari injuſtum Regem, violentum, raptorem, & quales eſſe ſolerent, qui peſſimi.* Hoc pro inſigni repugnantia libitum notare Miltono. Sed ipſe inſignis eſt nugator. Hæc enim inter ſe non pugnant; cum utrumque ſit verum. Et veriſſimum eſt quidem non Tyrannum eos petiiſſe, ſed Regem. Nec credibile eſt, de fumo in flammam, ut dicitur, cadere voluiſſe, Tyrannum optando pro Judicibus, qui judicia habebant venalia: nec minus etiam illud veritati conſonum eſt, non illos eſſe deprecatos Regem injuſtum, violentum, & raptorem. Hoc luce clarius Scriptura monſtrat. Cum Regem à Samuele petiiſſent, & ille vellet eos ab hac ſententia dimovere, & deterrere, expoſuit illis quale jus eſſet Regum, qui plerumque ſolerent cum injuſtitia, violentia, & rapinis dominari. Nihilominus in propoſito perſiſtunt habendi Regis. Non ergo deprecantur talem, qualem quandoque futurum Regem, quem petebant, minabatur Samuel. Enimvero Propheta non illum Regem, quem primum daturus illis erat Deus, Tyrannice regnaturum promiſit: ſed, quia ſe à Regibus gubernari deinceps peterent, oſtendit illis, in longa Regum ſucceſſione, tales aliquot extituros; qui jure eo Regio ſummo uterentur, & quodcumque vellent, facerent impune. Non exinde autem ſequitur, quod tu concludis, omnem Regem, qui jure ſuo, id eſt, Regio, utitur, Tyrannum eſſe. Ut Tyrannus aliquis vere ſit, ac dicatur, oportet primùm eum eſſe uſurpatorem, & incubatorem alieni regni, & nihil ad ſe pertinentis. Quæ definitio unice quadrat in Cromwellium. Deinde, ut per vim occupatum regnum vi retineat, & armis, & nolentibus imperet. Quod facit Cromwellius; ſcilicet, qui potentem exercitum terra, & mari, ſi non haberet, quo imperium recuſantes vi cogeret, ac coërceret, jam pridem injuſta & Tyrannica Dominatûs poſſeſſione excidiſſet. Scripſit ibidem Salmaſius; *Tunc populum Judaicum habuiſſe Reges creandi poteſtatem, cum nimirum Judices repudiarunt, & Regem optarunt.* Hoc trahis ad tuum compendium. Sed fruſtra es. Quando voles, in hac linea pugnabimus. Negavit idem, *Deum iratum Iſraelitis Regem, tamquam Tyrannum, aut pœnam attribuiſſe, ſed ut rem ſalutarem, & bonam.* Poteſne ipſe hoc, quin verum ſit, negare? Ipſa hiſtoria hujus rei qualiter expoſita eſt in Scriptura te convincit. Primùm Deus ipſe non ſe iratum eſſe profitetur,

cum

eum jubet Samuelem dare illis Regem, ubi vidit, hanc eis ſententiam ſedere Regis habendi; *Et ait Dominus ad Samuelem, Audi vocem eorum, & conſtitue eis Regem.* Præterea multo ante, quam ingreſſi eſſent terram ſanctam, Deus per Moſem ſtatuerat Regem populo ſuo dare, & ſub Regio dominatu eum vivere voluerat, ut conſtat ex Deuteronomii capite decimo ſeptimo. Poſtremo, cum Deus primum Regem Saülem illis per Samuelem deſtinaret, ſic Prophetam ſuum alloquutus eſt; *Hoc ipſo tempore cras mittam ad te virum de terra Benjamin, quem unges in Ducem ſuper populum meum Iſraëlem, & ſalvum faciet populum meum de manu Philiſtini. Reſpexi enim populum meum; quia venit clamor ejus ad me.* An ſunt hæc irati Numinis verba, & populo ſuo ſuccenſentis, vel indignantis, quod Regem ab ipſo poſtulaſſent? Cum dicat, reſpexiſſe ſe populum ſuum, & Regem ad illorum clamorem ei dediſſe, qui eum ſervaret, & vindicaret de hoſtibus ſuis; an tamquam rem malam, & minime ſalutarem ſe ipſis dare ſignificaret? Sed hoc facile refelli ais eo, quod ibidem habetur. *Cur enim,* inquis, *exclamarent propter Regem illum, quem elegerant; niſi quod res mala erat imperium Regium?* Neſcio, impudentiam tuam mirer potius, an ſtultitiam, an etiam improbitatem! Non tunc exclamarunt propter Regem, quem elegerunt; nec ipſi Regem illum ſibi elegerunt; ſed Deus à ſe electum impoſuit, & Samueli imperavit, ut illum ungeret. Exclamaturos aliquando eos Samuel prædixit; cum in tot Regum ſucceſſione, quos erant habituri, talem cœpiſſent habere, qualem ipſis deſcribebat, jure Regio plane dominantem. *Et clamabitis,* inquit Samuel, *in die illa à conſpectu Regis veſtri, quem vobis elegeritis.* In die illa, cum talis nimirum Rex vobis contigerit. Sed ſtatim ingeris, non ſine manifeſta contradictione, *Regium imperium non per ſe malum eſſe; ſed quod plerumque, ſicut Propheta heic monet, in ſuperbiam, & dominationem ſe convertit.* Hoc eſt, quod volumus, & quod voluit Salmaſius, & de quo inter omnes convenit, Rem per ſe malam non eſſe Regalem ſtatum, ſed quia in Tyrannidem ſæpe degenerat. At ſuum habet etiam vitium, habet & παρέκβασιν popularis ſtatus, item Optimatum; cum tranſeunt in vicinos exceſſus, quorum alter Ὀχλοκρατία dicitur, alter Ὀλιγαρχία. Samuelis etiam hæc mens fuit, ea de cauſa dehortantis Judæos ab imperio Regio; quia temporis lapſu à prima inſtitutione optimi Principis, per ſubſequentium & ſuccedentium Principum ſeriem, poſſet in Tyrannidem mutari. Ubique autem affirmas cum illo tuo Advocato Sanguinario, omnes Reges, quicumque ſunt, aut fuerunt, Tyrannos eſſe, ac fuiſſe. Rem ergo per ſe malam eſſe Regium imperium palam eſt te intelligere. Quod & heic confirmas, ubi ais, *Regium imperium in ſuperbiam, & dominationem,*

tionem, plerumque ſe convertit. Quaſi omnis *dominatio* Tyrannis ſit, aut quaſi ſine dominatione poſſit conſiſtere ulla Reſpublica, ſive popularis ſit ejus adminiſtratio, ſive Regalis, ſive ſub Optimatibus ſit. Scripſit Salmaſius in *Apparatu* ad librum *De Primatu*, cum de re alia ageret, *Iratum Deum Regem dediſſe Iſraelitis, offenſum eorum peccatis*; idque ex communi ſententia Theologorum, & ut argumento, de quo tunc temporis tractabat, inſerviret. Hæc tamen falſa eſt. Nec hilum juvat, quod Deus Samueli dixit, quando poſtulata populi, Regem ſibi expetentis, ei allegavit; *Non te ſpreverunt, ſed me.* Nam Samueli diſplicuiſſe quidem petitionem populi Scriptura teſtatur; ſed non item Deo. Immo contrà ſtatim Deus Samueli præ omnibus injunxit, ut populi poſtulatis innueret; *Audi vocem populi mei.* Videamus alias repugnantias, ut Miltonus loquitur, quas in Salmaſio carpit. Affirmavit primo, *Regem legibus ſolutum eſſe apud omnes gentes, & ſic Orientem judicaſſe, ſic Occidentem.* Addo nunc etiam, *& Septemtrionem, nec minus Meridiem tale quoque judicium tuliſſe.* Quid aut quis contra opponi poteſt? Ipſe Salmaſius Salmaſio. Nam ita in eodem libro ſcribit; *Omnes Reges Orientis* κατὰ νόμον, *& legitimos fuiſſe.* Quid heic contrarium? Ex Ariſtotele hoc hauſit, & eius auctoritate tum uſus eſt ad redarguendum Advocati Sanguinarii mendacium; qui ſcripſerat, omnes gentium Reges, quo tempore Regem poſtularunt Iſraëlitæ, Tyrannos fuiſſe. Inde argumentabatur, Iſraëlitas, quia Regem expetebant, ſicut omnes gentes haberent, Tyrannum ſibi expetiiſſe. Hoc ut refelleret Salmaſius, ex Ariſtotele probavit, Reges Orientis κατὰ νόμον fuiſſe, id eſt, *legitimos*; quia & hæreditaria eorum regna fuere, & in volentes maxime, vicinorum etiam Judææ Regum exemplo probare inſtitit idem Salmaſius; non omnes eius temporis Reges fuiſſe Tyrannos. Nam Ægypti Reges in maximis, minimiſque rebus, certis legibus obſtrictos vixiſſe. *Atqui*, inquis, *Salmaſius initio capitis ſe probaturum pollicitus erat, omnes Reges legibus ſolutos eſſe, leges dare, non accipere.* Ergo aut inſanit Salmaſius, aut ſtat à nobis. Neque ille inſanus eſt, neque pro furioſis, & Fanaticis, quales vos eſtis, ſtat. Quod voluit probare, probavit, Tyrannos non fuiſſe omnes illius temporis Reges, cum legibus certis viverent, & hæreditaria regna poſſiderent, & volentibus imperarent. Aliquid habes, quo defendas illum tuum Advocatum, qui contrarium aſſeruit? Nullum unquam fuit imperium Regale ſine legibus. Ipſi Reges legum conditores fuere. Ipſi ſibi eas dicebant, & ſecundum eas regnabant, præcipue qui boni erant, & juſte regnare volebant. Sed non hoc in quæſtione eſt. Illud quæritur, An ſi leges illas, quas ipſi condiderant, & quibus ſponte ſua ſe obligabant,

gabant, tranſcendiſſent, pœnæ ulli, aut judicio, propterea haberentur obnoxii? Hoc nos negamus. Hoc alii omnes Auctores omnium gentium, & ſæculorum, negant. Ipſi illi reges Ægyptii, qui multis legibus etiam in rebus minimi momenti tenebantur, ſi quando illas violarent, impune id illis fuit, ut ii ipſi Scriptores affirmant, qui de illis hoc ſcriptum reliquerunt. Optime Thomas Aquinas hanc quæſtionem ita decidit. *Princeps*, inquit, *dicitur eſſe ſolutus à lege, quantum ad vim coactivam legis. Nullus enim proprie cogitur à ſemetipſo. Lex autem non habet vim coactivam, niſi ex principis poteſtate. Sic igitur princeps dicitur eſſe ſolutus à lege, quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat. Unde ſuper illud Pſalmi* L. Tibi ſoli peccavi, *dicit Gloſſa, quod Rex non habet hominem, qui facta ſua dijudicet, ſed quantum ad vim directivam legis, Princeps ſubditus eſt legi propria voluntate.* Sic ſane neque legibus coactivis, neque directivis tenetur. Nam cum æquitati legis, & directioni, voluntate ſua tantum ſubjectus ſit; ſi eam non obſervet, nulli inde pœnæ vel judicio obnoxius eſt, nec poteſt cogi ad eam obſervandã. Hoc ipſum eſt, quod ait Dio lib. LIII: de Imperatoribus Romanis: Πάντων γὰρ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ Λατινικὰ ῥήματα λέγει, τύτεςιν, ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεώς εἰσιν, καὶ οὐδένι τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται. Nulla lege ſcripta teneri eos dicit, & ab omni lege coactiva liberos haberi, hoc eſt legibus in totum ſolutos eſſe: ſecundum hæc Salmaſius ſcripſit, *Omnibus quoque gentium regibus datas leges fuiſſe, non tamen ut iis tenerentur, judiciorum metu, & pœna capitis.* Ad hoc refutandum objectat bonus Miltonus, Salmaſium, *nequedum ex Scriptura, neque ex ullo auctore fide digno, id oſtendiſſe.* Poſt tot teſtimonia ex ipſa Scriptura allata, & plura ex infinitis auctoribus probatiſſimis & fide digniſſimis deprompta, nondum hoc illi liquere mirarer, ſi de alio homine quam fanatico id mihi diceretur. Huic homini ſi quis affirmaret, ſolem meridie lucere, non ſane crederet, ſaltem diceret ſe non credere. Audi nunc me, Miltone. Si potes vel unum auctorem nominare contra ſexcentos, qui diſertè ſcripſerit contrarium ejus, quod tot ſupra citatorum teſtimonio comprobavimus, nempe *Regem ſolutum legibus non eſſe, judicio capitis eum, ut cæteros, obnoxium eſſe*, iiſdem pœnis ob malefacta cum ſuis ſubditis teneri, tum non recuſem, ne pro Miltono me homines habeant, & pro inſano, ſicut ille eſt, lapidibus inſectentur. Sed jubet nos, quid velit, attendere. *Tu igitur*, inquit, *paucis accipe.* Age ergo accipiamus, & in una perſona Theologum, Juriſconſultum, & Philoſophum, atque etiam Fanaticum leges ferentem audiamus. *Leges civiles iis dare, qui legibus non tenentur, ſtultum & ridiculum eſt. Omnes a-*

lios punire, uni dumtaxat omnium ſcelerum impunitatem dare, cum lex neminem excipiat, iniquiſſimum eſt. Quæ duo in ſapientes legum latores minime cadunt; multo minus in Deum. Deus ergo, Miltone, inſipiens, qui toties in Scriptura ſacra, Prophetarum ore, & calamo, teſtatus eſt, contra Regem violentum, & injuſtum ſolum Dei auxilium implorandum; quia leges, ac judicia nihil in eum valent: ut eſt apud Samuelem. Cum pœna male regnanti à Deo per Moſem proponitur brevitas ævi, regnique, & præmium bene ſe in regno gerenti longævitas, & regnandi ſpatium prolixum. Cum David ſolum Deum ſe judicem habere profitetur; ubi dicit, *Se Deo ſoli peccaviſſe.* Cum ſcribit Salomon, *Ubi verbum Regis eſt, ibi eſſe dominationem,* & *Neminem ei poſſe dicere, Quid facis?* Cum in libro Proverbiorum ſcriptum ſit; *Iram Regis eſſe, uti Angeli mortis.* Et alio loco; *Tamquam leunculi rugitus, eſſe iram Regis; & qui provocat eum, peccare contra animam ſuam.* An hæc omnia indicant, legem Regi datum eſſe, ut cuilibet infimo civium, & eadem pœna cum ſubjectis coërceri? Quod iniquiſſimum videtur Miltono, non viſum eſt iniquum legumlatoribus Judæis, & Magiſtris juris Civilis, & Forenſis, qui in Miſna diſerte docent, *Regem non judicari.* Nec Rabbinis id etiam ridiculum apparuit, qui tradiderunt, *Nullam creaturam judicare regem*; ſed ſolum *Deum benedictum.* Neque hoc ſtultum exiſtimarunt Juriſprudentes Romani, qui in Digeſtis, Titulo *De Legibus*, ſcribunt, *Principem legibus ſolutum eſſe.* Neque Græcorum Juriſperiti, quorum iſtud eſt, Ὁ Βασιλεὺς νόμοις οὐχ ὑπόκειται, ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται· *Rex legibus non ſubjacet, hoc eſt, ſi deliquerit, non punitur.* Sed nec Juriſconſulti veteres Angliæ tuæ, quod in ſapientem non cadere putas, idem tu quod tu putarunt. Bractonus de Rege: *Locus erit ſupplicationi, quo factum ſuum corrigat, & emendet. Quod quidem ſi non fecerit; ſatis ei erit ad pœnam, quod Dominum expectat ultorem. Nemo quidem de factis ſuis præſumat diſputare; multo fortius contra factum ſuum venire.* Sapientes illi omnes ſcilicet non fuere, ut nec Auctores Claſſici utriusque linguæ, quos in idem conſentientes citavimus, non Philoſophi, non Oratores, non Eccleſiæ Patres Græci, Latinique, non Scholaſtici fermè omnes. Sed ratione hoc tecum putemus, Miltone; qui auctoritati tot ac tantorum teſtium nihil tribuis, neque uſui omnium ſæculorum, mori, jurique omnium gentium, apud quas, vel Cicerone teſte, *Pro Dejotaro*, ſcribente, *Ita inuſitatum eſſe, Regem capitis reum eſſe, ut antea non ſit auditum.* Heic, inquam, ratione agamus cum homine rationis, & ſenſus experte, hoc eſt, Fanatico. Si nemo in populo, qui ſupra cæteros emineat, qui plus poſſit, quam cuncti, qui ipſe legibus ſolutus ſit, cum reliqui teneantur, ſi pœna æqualiter, nemine excepto, pro malefactis in omnes ſtatuatur, quis erit Rex illius populi, aut quis eum

gu-

gubernabit? Certe aut omnes erunt pariter Reges, aut nullus omnino in eo populo Rex erit. Quomodo igitur regetur? aut quis reget? Si populum vis, jam hic fuerit ſtatus popularis. Populus leges faciet; ſed ipſe populus illis legibus non tenebitur: quia leges illas poterit, quandocumque volet, abrogare, & alias ferre. Singuli quidem de populo legibus illis obligabuntur, & lege cum iis agetur, & punientur legum auctoritate, quia ſinguli leges non rogarunt, nec legum Domini ſunt; ſed populus univerſus legis auctor, & rogator: qui & ſupra leges eſt, & dominus legum, quas figere & refigere poteſt pro libitu. Nec ergo populus ille univerſus puniri poteſt. Nam, ut ait Auguſtinus, *Multitudo non excommunicatur.* Si Regium vero fuerit imperium, unus ille, qui regnabit, nonne idem, quod populus univerſus, jus, & privilegium habebit? Certe & leges ipſe dabit, non accipiet, legibus proinde, quas condet, non ipſe erit obnoxius, niſi volet. Qua lege enim reus poterit fieri, qui legi cuicumque à ſe latæ pro libidine poteſt obrogare, derogare, aut totam, ſi libuerit, abrogare? Ut dominus eſt legum, quas figit, refigitque ſuo arbitrio; ita eſt hominum, & ex omnibus, quos habet ſubjectos, nemo, præter eum, impunitatem ſibi poteſt adrogare: quia cum nemin em habeat, neque parem, neque ſuperiorem, & minor non poteſt judicare de majore, ideo neminem habet judicem, præter Deum. Ut autem multitudo, hoc eſt, populus univerſus, non poteſt judicari, neque puniri, cum dominatur, ut fit in ſtatu populari; ita nec Rex in ſtatu Regali, quia unus plus poteſt, quam omnes, qui ejus imperio ſubjacent, & idem quod omnes, cum populus dominus eſt, ut eſt in Republica populari. Unde recte Auguſtinus in *Gloſſa* ad caput decimum tertium Matthæi, *Multitudo non eſt excommunicanda, neque princeps populi.* Hinc apud Samuelem libri ſecundi capite decimo octavo: *Decem millia*: hoc eſt, tota multitudo, numero finito, pro infinito, pro uno computatur. Sic enim Davidi regi dicunt; *Nunc autem es, ſicut nos decem millia.* Sic Samuelis libri primi capite undecimo; *Totus populus coram Saüle, quaſi ſi eſſet unus homo, egreſſus eſt*; *Et cecidit pavor Domini in populum, & egreſſi ſunt tamquam vir unus.* Atqui tunc ex illo populo treceta millia a Saüle recenſita ſunt filiorũ Iſraelis; & triginta millia unum, Judæi. Hi omnes, tamquam unus, corã Saüle, qui iratus illis fuerat, egreſſi ſunt. Jam ut omnes videant, Salmaſium nullo modo ex Hebræorum ſcriptis id probare, quod probandum hoc capite ſuſceperat, ait Miltonus eum fateri; *Eſſe ex Magiſtris Judæorum, qui negant, alium ſuis majoribus regem agnoſcendum fuiſſe præter Deum, datum autem in pœnam fuiſſe.* Videndum eſt primo, quid probandum ſumpſerit Salmaſius: ut ſciatur, an nihil effecerit eorum, quæ voluit, ex Hebræorum ſcriptis. Hoc voluit oſtendere; Reges ad tribunal non vocari,

nec ullam capitalem noxam morte luere. Si nullum aliud teſtimonium ad hoc attuliſſet, quam illud Miſnæ ex tractatu Sanhedrin, quo leges recenſentur, & pœnæ cujuſcumque generis & conditionis perſonis pro variis criminibus irrogari ſoli. 2. ſatis id probatum videretur. In eo libro diſerte ponitur, *Regem non judicari, contra eum teſtem non produci*, Sacerdotem ſummum judicari, & teſtimonio aliorum in judicio jus fuiſſe premi. Nunc Miltonus intendit, parum id demonſtraſſe Salmaſium; quia fatetur ille eſſe Magiſtros Hebræorum, qui aſſerunt non alium ſuis majoribus agnoſcendum fuiſſe regem præter Deum, & eum, qui datus eſt, in pœnam datum: ſed ponamus, non quosdam Rabbinorum, ſed omnes uno ore dicere, quod majores ſui male fecerint, cum Regem petierunt, & alium à Deo habere voluerunt. Quid inde ſequeretur? An illum, qui datus eſt eorum petitioni, non ſummo cum imperio regnaſſe, ſed in jus vocatum fuiſſe ad Synhedrium, & cauſam capitis dixiſſe? Eſto, non debuerint Regem alium optare, quam Deum ipſum. Optarunt tamen. Habuerunt tamen. Et qualem? Talem certe, ut cæteræ gentes habuerunt, quia talem petierunt, nempe qui imperium teneret nulli legi, nulli judicio, nulli pœnæ obnoxium. Non videt talpa cæcior Miltonus, eos ipſos Magiſtros, qui Regem in pœnam datum Iſraëlitis contendunt, hoc ipſo confirmare ſententiam, quam de regum abſoluta poteſtate defendimus. Nam ſi regem, ut quemlibet de plebe pœnæ capitali addici fas eſſet, non is in pœnam datus populo videretur; quia populus poſſet, quandocumque vellet, male & injuſte imperantem, eo nomine accuſatum, & reum factum punire, ac removere. Quod & exemplo ab his allato comprobatur, cum aiunt, Deum Reges Iſraëlitis indulſiſſe, ut ranis ciconiam Juppiter dedit apud Æſopum. Nam ut ciconia impune ranas necat & comedit, ita Rex, cum populos ſibi commiſſos male, & injurioſe tractat, impunitum ſolet hoc auferre. Præterea, quem Deus in pœnam dedit populo regem, populus eum ferre debet, nec ſe opponere Dei voluntati, nec caſtigationem, qua ſuos afficere vult, interpellare, nec virgam denique, quod refractarii & contumaces filii faciunt, è manu parentis extorquere, aut frangere. Sed cum pauci Rabbinorum in ea ſententia fuerint, ut majores ſuos, qui Samuelis tempore vixerunt, incuſandos putarint, quod regem petierunt; non ſane miror, ſi & Fanatici inter illos nonnulli fuere, tam abſurdæ & falſæ opinionis auctores, cum in una Anglia tot hodie vivere homines videamus furioſos, & unum inter omnes maxime novæ Bellonæ, ſive Independentiæ œſtro percitum Miltonum. Hic ait, *ſe in illorum Rabbinorum ſententiam pedibus ire.* Utrum pedibus eat, an capite, aut in furcam recta ſcilicet, ut meritus eſt, nihil ad nos, nec ad rem. Nam ea ſententia nihil cauſæ noſtræ nocet, immo multum potius eam adjuvat.

juvat.

ſuvat. Præterea falſiſſima eſt. Quod enim in pœnam datum Regem Iſraëlitis affirmant, idque probant ex Oſeæ cap. XIII. ubi dicit, *Dedi tibi regem in furore meo, & abſtuli in ira mea.* Hoc autem de Saüle primo rege interpretantur, quem à Deo in indignatione ſua & furore datum volunt. Quod eſt abſurdum & falſum. Nihil enim tale apparet in narratione Samuelis, qua regem poſtulatum à populo, & conceſſum à Deo memorat. Deinde nemo non videt apud Oſeam, Deum ſimpliciter velle dicere ſe iratum populis malos Reges dare, & iratum bonos ab iiſdem auferre. Quod autem iidem Rabbini culpant ſuos majores, qui regem mortalem hominem habere voluerint, non enim opus illis fuiſſe alio Rege, quam Deo, hoc plane fanaticum eſt. Quaſi Moſes non pro Rege illis fuerit, & poſt eum Joſue, & deinde reliqui Judices, quibus ſolum nomen Regis aberat, res ipſa & imperium aderat, ſine luxu tamen regifico, & pompa externa, quæ cum nomine regali conjuncta eſt. Sed quid ſibi voluerunt iſti Magiſtri, qui populum ſine ullo rectore alio quam Deo vivere in terris debuiſſe aſſeverant? An more ferarum degere & vagari, nullis certis ſedibus, nullo ductore? Hoc videntur voluiſſe. Atque ita nunc vivunt. Habeant igitur ſibi quod tota mente petierunt. Sic enim inter illos Rabbinos R. Nachmoni putat regium regimen pugnare cum libertate populi Judaïci, quorum conditio non ſit regi ab alio, ut à paſtore pecora, ſed more ferarum liberrime circumvagari, inſtar caprearum montium juga ſaltuſque perſultare. Sed illi Magiſtri unico Dei mandato revincuntur, quod extat in Deuteronomio expreſſum, quo Judæis injungitur, Regem ſibi conſtituere, poſtquam ingreſſi eſſent terram Chananæorum. Et ſemper antea ſub regibus ab omni ævo vixerunt, & à primordio uſque generis humani. Nam patres familiarum ſemper Regio more, modoque, & jure, in ſua quiſque domo, regnarunt, ut antea docuimus. Nunc inſpicere libet, quæ ſit opinio belli & magni viri Miltoni, circa regimen, quod tamquam optimum probat generi humano gubernando. *Non decet*, inquit, *neque dignum eſt Regem eſſe, niſi qui cæteris antecellit, ubi multi ſunt æquales, ut ſunt in omni civitate plurimi, imperium ex æquo, atque per vices, dandum eſſe arbitror.* Si hic tantus Vir vixiſſet Heroïcis temporibus, non alium ſibi elegiſſent, aut Locri, aut Cretes, aut etiam Lacones. En Minois jecur! en cor Zaleuci! en lien Lycurgi! Præ iſto nihil illi unquam æqui bonique ſciverunt, in Rebus ſuis publicis fundandis, & legibus condendis. Sed cur, Miltone, talem formam Reipublicæ Anglis tum rebellibus non adprobaſti? Tuæ vices etiam ſine dubio veniſſent, & Rex vel poſt alios, vel ante alios fuiſſes. Sed fortaſſe ſemel acceptum imperium deponere noluiſſes. Tu vis enim Regem eſſe, qui cæteris antecellit. Sed ſi ſunt multi, qui de iſto primatu contendere parati ſint; quid fiet?

Armis depugnabunt? an arbitrium aliis deferent, qui judicent de præſtantiore? Quinam erunt illi Judices? Populus nempe. An populi judicium tam rectum eſt; ut digniori regnum det? Non equidem hoc cenſeo. Si erunt multi æquales, tua ſententia eſt; ut per vices imperent, & in orbem regnum per omnes eat, nempe æquales. At ſi exoriantur multi, qui ſe æquales illis æqualibus ferent, immo qui ſe præferent; quid illis fiet? aut quid facient ipſi? Pugnabunt, ut partem in regno ambulatorio habere poſſint. Abi, tu homo, & inſulſa potius Poemata ſcribe, Anglica, & Latina; quam formam rebus regendis publicis præſcribe. Nam cucurbitas pingere dignior es; quam talia commentari, cum iſto tuo cucumeraceo ſincipite. Tu, qui Reges non alios faciendos præcipis, niſi qui aliis præſtent, fortaſſe ex iſto muſtaceo laureolam captaſti, & (quæ tua eſt vanitas, & arrogantia) te cæteris præcellere credis. Pulchritudine, an virtute? Certe formæ decore, quam ſemper plurimum venditaſti. Et certe, ſi viveres in illis gentibus, apud quas, ſi quis formæ prærogativa cæteros vincit, ad imperium ſolet eligi, facile ibi Rex fieres. Abi potius eò, quo dignus es, vel in crucem, vel in Morboniam. De regnis hæreditariis nihil heic dicis, quaſi nuſquam eſſent. At tu nulla talia vis eſſe? Certe apparet. Immo nec ulla alia, niſi quæ in orbem ambulent per numerum æqualium. Oblitus autem es dicere, quantum temporis unicuique velis dari ad regnandum. An diarii tui illi Reges erunt? an hebdomadarii? an menſtrui? an ſemeſtres? an annui? Ego certe vellem te horarium Regem creari, &, ſtatim poſt tempus imperii tui finitum, throno detractum, in furcam rapi. Hoc digni ſunt, qui talia monſtra comminiſcuntur. Immo tale monſtrum; ſicut es, tale ſupplicium meretur. Ignis tamen hujuſmodi portentis expiandis aptior eſſet. Pergamus in ſtabulo Augiæ purgando. Si te aliquis ſolum legeret, ratione non carere fortaſſean putaret. Cum Salmaſio lectus, aut poſt Salmaſium, ſtatim nugator appares, & aëris tantum verberator. Ais heic; *Ad commendationem Regalis imperii non plus facere, quod Chriſtus à Regibus originem duxit, quam facit ad peſtiferorum Regum commendationem, Chriſtum eos habuiſſe nepotem.* Impius es, dum heic vis, Chriſtum peſtiferorum Regum nepotem fuiſſe. Hæc cogitatio inſani hominis eſt, & Fanatici. Cavillatorem etiam agis, & Sycophantam, cum Salmaſio objicis, voluiſſe illum commendationem peſtiferorum Regum ex nomine Chriſti Regio quæſiſſe. Non ita ſe res habet. Reſpondet Salmaſius Advocato perduellium veſtrarium, qui ſcripſerat omnes Reges Tyrannos eſſe, *Regiam adminiſtrationem per ſe exitialem, & pernicioſam videri debere.* Nec tu aliud tueris. Memineris enim te ſupra dixiſſe, omnes hodiernos, & Chriſtianos, Reges ſimiles eſſe Regibus gentium, hoc eſt; Paganorum, quos omnes Tyrannos fuiſſe vis.

Ut hanc nefariam ſententiam Salmaſius oppugnaret, argumentis hujuſmodi uſus eſt. Si nulla eſt inter Regem quemcumque & Tyrannum ponenda differentia; &, Si res per ſe peſtifera eſt Regia gubernatio; non videre ſe; cur Rex Meſſias dictus ſit in Scriptura ſacra. Cur à Rege eum deſcendere voluerit Deus, pater ejus, quoad humanitatem. Cur Deus Abrahamo promiſerit, *Ex ejus ſemine Reges orituros*. Cur idem Deus pollicitus ſit Tribui Judæ, *Sceptrum ab ea non receſſurum*. Cur denique ipſe Deus *Rex Regum* appellatur in Scripturis; ſi adeo horrendum, & infandum, hoc nomen Regis cum ipſa re eſt; ut Tyrannum denotet. Hæc omnia argumenta ut infringeret Miltonus, fumos, & inania, quæ impetat, aucupatur, umbraſque diverberat. *Rex*, inquit, *eſt Meſſias. Agnoſcimus, gaudemus, & quam citiſsime veniat, oramus. Dignus enim eſt, nec ei quiſquam ſimilis, aut ſecundus.* Quis ſuper hoc tibi controverſiam facit? Sed non vides, ſi Rex omnis Tyrannus, cum *Rex* Meſſias appellatur, etiam *Tyrannum* dici videri. Interim manifeſto patet te unum ex illis Hæreticis eſſe, qui Chiliaſtæ vocantur, & ſperant regnum Chriſti in hoc mundo futurum per annos mille prius, quam judicium illud extremum de vivis, & mortuis, inſtituatur. Nihil tamen cauſæ eſt, cur tantopere precibus contendas, ut Chriſtus quàm citiſſime veniat. Quid ſperas ſub illius regno boni? An, ut tua defenſio pro parricidiis plus tibi compendii ferat, quam jam attulit ſub rebellium Tyrannide? Væ tibi tunc! Non certe Chriſtus, in terris regnum tenens, officium illud, quod nunc habes in Parlamento perduellium, conſervaturus eſt; nedum, ut ad majorem promoveat dignitatem. Sed audio jam per Cromwellium te illo officio carere, ubi Parlamentum univerſum una vóce, ne uſquam eſſet, edixit. Videris paulo poſt clementius, & remiſsius de Regio imperio ſentire, quam ante faciebas. Nunc tantum dicis, *Regiam gubernationem commiſſam indignis, & immerentibus, ut plerumque fieri ſolet, plus mali, quam boni attuliſſe humano generi, recte exiſtimari.* Sed quis ita exiſtimat? Tot populi, qui & olim ſic gubernati ſunt, & nunc ita regnantur, cur eamdem, quam tu, de Regio imperio exiſtimationem non habuere? Vos ſoli ſcilicet Angli in hanc opinionem deſcendiſtis? Sed cur ab tot ſæculis, quibus Britannia Regium regimen paſſa eſt, uſque adhuc, nemini veſtrûm in mentem venit ita opinari, ac jugum Regalis dominationis excutere? Age, vos excuſſiſtis. Quid inde boni in patriam intuliſtis? Immo quid non mali? Populus id viderit ſcilicet, qui jam ſcit, utrum melius ſit ſub Tyrannis, quales nunc habet, durare; an ſub legitimis Regibus, quales ante id tempus expertus eſt. Sed jam mirentur omnes vafritiem tuam, & veteratoriam artem. *Non continuo*, inquit, *ſequitur omnes Reges Tyrannos eſſe.* Nec

ego ſane id ſequi aio. Si indigni & immerentes aliqui regnum obtineant, non inde aliquis arguere poſſit, omnes Reges pro Tyrannis habendos. Cur igitur ille vetus Advocatus hoc tam confidenter affirmabat, Nullum Regem dari, quin Tyrannus eſſet: Regiam omnem gubernationem per ſe exitialem, & peſtiferam illis, qui regnantur, eſſe? Salmaſius tum illi reſpondit, non tibi. Sed nunc etiam tibi, cum id te dare dicis, quod tamen ita te ex animo non ſentire ſcimus. Quid inde ſequetur? Nempe illud, quod Salmaſius voluit, ut Deus ipſe Tyrannus Tyrannorum dicendus ſit, & maximus Tyrannus. An alia conſequentia poteſt dari, ex eo quod ipſe das, & quod ille Advocatus quaſi pro certo affirmavit, omnem Regem Tyrannum eſſe, & rem eſſe pernicioſam, Regiam, & Tyrannicam, quia eadem utraque eſt, dominationem. Nam cum Deus *Rex Regum* appellatur, id juxta veſtram opinionem non aliud ſonat, quam *Tyrannus Tyrannorum*, id eſt, maximus Tyrannus. Sed mirum te ad unum tantum argumentum reſpondere de Deo, qui *Rex Regum* dicitur, & ad alia mutum eſſe de Abrahamo, cui Deus in benedictionem promiſit, Reges ex eo orituros. Hæc benedictio fuit, an maledictio? Certe maledictio, ſiquidem Tyranni ex ejus ſemine per totum orbem terrarum propagandi fuere. Cur etiam illud diluere omiſiſti, quo Deus idem promiſit Tribui Judæ, Sceptrum ab ea non receſſurum? Egregium ſcilicet promiſſum, & magni æſtimandum, rem funeſtam & exitioſam populis, & in perniciem excogitatam, non eſſe receſſuram à Juda, cui tamen favere, & bene velle iſta pollicitatione videbatur. Objicis deinde Salmaſio quod dixerit, *Unum Deum Regem eſſe omnium rerum quas & ipſe creavit.* Atque ita quidem ille vere. Annon tu hoc verum putas? *Creavit autem*, inquis, *Tyrannos, & Dæmonas, eorum itaque Rex vel tua ſententia.* Non hoc agitur. Nam quis dubitet, quin Deus Rex ſit & Dominus omnium rerum à ſe creatarum? Et ſi inter res creatas etiam dæmones ſunt, etiam dæmonum eſſe dominum. Sed illud quærebatur, an Rex & Tyrannus ſynonyma ſint? Quod ſi ſunt, Regiam gubernationem & Tyrannicam eamdem eſſe oportet, ut & ipſam appellationem, etiam in Deo. Nam ſi Rex & Tyrannus idem; ſane Deus, cum Rex nominatur, etiam Tyrannus intelligitur. Et ſic Tyrannus eſt omnium rerum, quas creavit, & *Tyrannus Tyrannorum*, quia *Rex Regum* nuncupatur. Nunc dicis, Tyrannos à Deo creari. Accipimus. At vos, id eſt, Angli, ut ſupra affirmabas, Tyrannos tantum noſtis tollere, non creare. Aliquot autem ante paginis aſſeverabas, *Divinius eſſe Tyrannum tollere, quam conſtituere, & plus Dei cerni in illis, qui Regem injuſtum abdicarent, quam in illis ſcilicet, qui crearent.* Ergo vos Angli Deo diviniores, & plus Dei in vobis habetis, quam Deus ipſe, quia hic Tyrannos tantum creat & conſtituit, vos vero tollitis. Bene eſt.

&

& ſic Phariſæi loquuntur & ſentiunt. Quis tibi poſſit jam ignoſcere, quin pro cavillatore & ſophiſta vapules, & pro impoſtore etiam deteſtando, qui blaſphemum Salmaſium ex eo vis argui, *qui Deum aſſirmit, Tyrannum eſſe maximum, ſi Tyrannorum Rex & Dominus dicatur.* Immo, ſceleſte, hoc ex tua conceſſione, & tui Advocati ſanguinarii aſſertione plane conſequitur. Nam ſi Rex idem eſt quod Tyrannus, ut jam diximus, cum Deus dicitur in ſacrà pagina *Rex Regum*, nemo poſſit ex veſtro ſenſu hoc aliter interpretari, quam Tyrannus Tyrannorum. Agamus quod agimus. Sequitur paulo poſt, Non multo rem regiam adjuvare, quod Salmaſius aſſerit. *Moſem cum ſumma poteſtate regem fuiſſe.* An potes negare *regem* in Deuteronomio appellatum? Si Rex Moſes, etiam vobis Tyrannus eſt, quia Rex non alius à Tyranno. An tu etiam negabis, ſumma cum poteſtate populum ab Ægypto eduxiſſe, per deſertum circumduxiſſe, & in terram Chananæam induxiſſe? An alius ſupra eum fuit, & majus eo imperium in toto illo negotio habuit? Deum dices agnoviſſe ſuperiorem, & hunc *tantum vicariam, & intermediam poteſtatem habuiſſe.* Quæ ſit *intermedia poteſtas*, aut quæ ſit hæc Latinitas, neſcio. Videris ipſe. Interim nemo negat tibi vicariam poteſtatem ſub Deo habuiſſe Moſen, & interpretem ejus fuiſſe, & prophetam, ſed & regem, quandoquidem ſacræ litteræ ſic eum quoque indigitant. Etiam omnes Reges, qui ſummum imperium habent, non plus ſunt, quam Miniſtri & vicarii Dei in terris. Et paſſim ita appellantur. Nam & Bractonus de Rege Angliæ hoc dicit, in Tractatu de rerum diviſione, *Dei vicarium eſſe ad ſimilitudinem Jeſu Chriſti, cujus vices gerit in terris.* Nihil erat igitur heic cauſæ, Miltone cur tantopere ſævires, & Salmaſio impietatis & ſacrilegii crimina impingeres, quaſi *ſummam hanc poteſtatem à Deo ad hominem injuſſu auſit transferre.* Hæc tua verba ſunt. Sed neque juſſus, neque injuſſus Salmaſius ſummam poteſtatem, quam Moſen dicit habuiſſe, à Deo ad homines transferre voluit. Ut per Deum Reges regnant, ita & ſub eo, & omnem poteſtatem, quamcumque habent, ei acceptam referre debent. Quis tam ignarus, qui hoc neſciat? quis tam impius, qui neget? Illam impietatem, illud ſacrilegium occinè tuis miniſtris, divæ Independentiæ Sacerdotibus, qui nuper ſcripto publico gratulati ſunt Tyranno Cromwellio, quaſi ob rem bene geſtam, cum totum Parlamentum exauctoratum Curia turpiter ejeciſſet, in quo Moſem eum appellant. Nihil unquam tale fecit Moſes, ſed Senatum ſibi ſumpſit ex ſenioribus & ſapientioribus populi, cum quibus in commune rem ſummam rexit. At Cromwellius ſolus voluit regnare, adſcitis decem aut duodecim tribunis militum, qui ſunt ejus latrones, laterones putabam dicere. Hoc vero ad cumulum Salmaſianæ improbitatis, judice Miltono, accedit, quod in-

Apparatu ſcripſerit de Moſe, *Eum ſeptuaginta Senioribus populum rexiſſe, & primum populi, non Dominum fuiſſe.* Nunc vero dicit, *Regem ſumma cum poteſtate fuiſſe.* Qui parcius ſæviunt, belle Miltone, ſapiunt largius. Utrumque ſedere una ſella poteſt. Rex ſumma cum poteſtate, qui, cum Senatu ſuo, populum regat, nec tamen *Dominum* ſe velit appellari, ſed *primum.* De Regia appellatione, & poteſtate, Moſis non eſt dubitandum; cum & Regem appellet Scriptura; & conſtet, illa, quæ geſſit, ab eo adminiſtrari non potuiſſe ſine ſumma, Regiæ æquali, poteſtate. Auguſtus, redacta ſub ſuam poteſtatem Republica, non ſe *Regem*, non *Dominum* appellari voluit; ſed *Principem*, quæ vox eo tempore *primum* ſignificabat. Suetonius de illo; *Domini appellationem, ut maledictum, & opprobrium, ſemper exhorruit.* Addit ibidem, *Nè à liberis quidem, & nepotibus ſuis, ita appellari voluiſſe.* Ne Cæſar quidem ipſe primus, qui libertatem oppreſſerat, *Regis* nomen aſſumpſit, ſed *Dictatoris*; qui fuit liberæ Reipublicæ Magiſtratus, cum ſummo imperio ad tempus creari ſolitus. Idem Regiæ poteſtatis inſigne, hoc eſt, Diadema, ab Antonio in concione populi oblatum, repudiavit. Sequentes Romani Imperii dominatores Imperatorum nomine contenti fuere; quod milites Romani nomen belli Ducibus ſuis, & Præſidibus Provinciarum ſolebant dare; cum in bello bene rem geſſiſſent. Si aliquis mirari potuit; quod Miltonus Salmaſium, parricidii reum, initio ſuæ *Defenſionis*, fecerit, ob ſolœciſmum unum, ut putabat, ab eo commiſſum: non meliori jure ſacrilegus, impius, blaſphemus, improbus heic audit, ob crimina quidem majoris abollæ, quam ille ſolœciſmus fuit, ſed non minore mendacio, & calumnia, intentata. Ecce heic denuo idem Salmaſius *magnâ impudentiâ Dei mandatum ementiri dicitur!* Magnum crimen, ſi verum! ſi falſum deprehenditur, ἐς κεφαλήν σοι, ô Miltone. *Mandatum illud Dei,* quod ementitur Salmaſius, *de Rege eſt, à Judæis, ſtatim atq; ingreſſi eſſent terram ſanctã, ſibi conſtituendo.* Deuteronomii XVII. Supprimere ait veteratorie Salmaſiũ quod præcedit, *Si dixeris, Statuam ſuper me Regem.* Audi, Miltone, quod eſt vero verius. Neq; veterator heic eſt Salmaſius, neq; ſuppreſſor verborum Dei, neque impudentia heic ejus ulla verſatur; ſed omnia hæc in te unice conveniunt, quæ in calumniatorem improbum, & ſceleſtiſſimum impoſtorem, cadere poſſunt. Deum præſciviſſe, quod Judæi petituri eſſent Regem longe ante, quam petierunt, non, puto, poſſis in dubium vocare. Si præſcivit, etiam hoc prædeterminavit; ſi prædeterminavit, etiam fieri voluit, & mandavit. Quod adeo verum eſt, ut eo loco Deuteronomii leges præſcribat per Moſem Regi, qui imponendus erat Judæis, ubi terræ Sanctæ poſſeſſionem adepti fuiſſent. Ibi Moſes, ex Dei mandato, non ſolum

de

de Rege conſtituendo illis præcipit, ſtatim atque ingreſſi eſſent terram ſibi promiſſam; ſed etiam qualem deberent conſtituere. *Conſtituendo conſtitues ſuper te Regem, quem delegerit Dominus Deus tuus: è medio fratrum tuorum conſtitues ſuper te Regem. Non poteris ſuper te conſtituere virum alienigenam; qui non ſit frater tuus.* Sequuntur deinde leges, quas ex eodem Dei mandato obſervare debuit Rex tum conſtituendus. An aliter hoc quiſquam poſſit accipere, quam pro certo, & expreſſo Dei mandato? qui enim mandat, & præcipit, qualis Rex ſit eligendus, & quas leges ſequi debeat electus, etiam de illo ipſo eligendo dare mandatum intelligi oportet. Nec aliter omnes Rabbini intellexerunt, qui & hoc inſuper ex traditionibus ſuis adjiciunt ex tribus mãdatis, quæ data à Deo ſunt Iſraëlitis, ut ea facerent, ubi pedem poſuiſſent in terra ſibi promiſſa, primum fuiſſe de Rege eligendo. Ipſe Schickardus, quem noſter Miltonus probat, & cujus auctoritate alibi ſe defendit, haud ſecus accepit. Sic enim ille, ut refelleret certos magiſtros Hebræorum, qui negabant, majores alium Regem ſumere, & agnoſcere debuiſſe præter Deum: *Sed omnes*, inquit, *has exceptiones valide proſternit ſolum Dei mandatum in Deuteronomii capite decimo ſeptimo, verſu decimo quinto: quod utique non arbitrarium eſt, ſed maxime ſerium; ideoque verbi reduplicatione inculcatum, Ponendo pones ſuper te Regem.* Immo quater repetitur hoc verbum *Pones*, ſive *Conſtitues*, in eodem verſiculo. Sed quid ſuppreſſit Salmaſius, quod faceret mandato illi ſubvertendo, aut ementiendo? Nempe quod præcedit, *Si dixeris, Conſtituam ſuper me Regem.* Suppreſſit hoc quoque Schickardus. Ergo ille quoque veterator, & impudens. Sed quid illa verba impediunt, quo minus mandatum à Deo videatur Iſraelitis, ut Regem eligerent? *Si dixeris*, hoc eſt, *ubi dixeris; cum dixeris.* Sed ne ſic quidem habet Scriptura. Jam telum tibi, quod intorſiſti, remittam. Quæ tua eſt impudentia, vel impietas potius, ut audeas verbum Dei pervertere, & aliter quam ſe habet, ſcriptum producere. Ubinam illud in eo verſiculo exaratum reperies, *Si dixeris?* Totum perlege, ſic in eo habetur: *Quum ingreſſus fueris terram, quã Dominus Deus dedit tibi, & poſſederis eam, & habitaveris in ea, ac dixeris, Conſtituam ſuper me Regem.* Longe alium efficiunt ſenſũ, *Si dixeris*, & *Cum dixeris. Cum ingreſſus fueris, & dixeris, Conſtituam ſuper me Regem*: id eſt, *Et ſtatueris apud te Regem tibi imponere.* Sed populus, qui Dei voluntate terram illam ingreſſus eſt, & in ejus poſſeſſionem miſſus, Deo etiam volente, & quaſi mãdãte, de Rege ſibi cõſtituẽdo cogitare debuit; quia non aliũ potuit deligere, quã qualẽ Deus voluit, ex numero fratrũ, & qui non eſſet alienigena, quiq; ubi cõſtitutus eſſe, leges à Deo præſcriptas debuit ſervare. Memini etiam quid à nobis repoſcas; cum dixit Salmaſius, *Liberrima tunc poteſtate populum fuiſſe præditum.* Certe fuit. Et quid hoc pro te facit? Omnino

nino priusquam Regem haberet ejus conſtituendi poteſtatem liberam habuit, non tamen ut contra voluntatem Dei iret in eo eligendo, quem ille non probaret, aut nollet. Jam Fanaticus eſt aut profanus Salmaſius Miltono. Mirum ſane, niſi, quod ut lutea videntur omnia auriginoſo morbo laborantibus, ita Fanatici & profani, quales ſunt Angli, omnes qui non ſunt habent pro talibus. Sed cur ille Fanaticus? Si Deus longe ante determinaverat Regium imperium in populo ſuo inſtituendum, certe tamquam optimam gubernationis formam, eam videtur inſtituiſſe, qua populus ſibi dilectus gubernaretur. De eo nos dubitare nihil eſt quod patiatur. Propheta tamen quodammodo repugnabat, & populo reſiſtebat, regem à ſe poſcenti. Unde hoc? profecto jam Deus per Moſem hoc præſtituerat, ut regem haberent. Res extra dubium eſt. Cum petere cœperunt, Samuel à quo id petebant, annuere eorum poſtulatis nolebat. Deum ſuper ea re conſulit. Statim Deus reſpondit, *Audi vocem populi mei in omnibus, quæ dicent tibi.* Hoc primum Dei fuit reſponſum ad ea, quæ Samuel nomine populi allegavit. Si Deo diſplicuiſſet petitio Iſraëlitarum, non ita eam excepiſſet. Nec Scriptura dicit Deo diſplicuiſſe, ſed Samueli, ut diſerte legitur ibidem, Cap. VIII. verſu VI. *Diſplicuit autem ſermo iſte in oculis Samuelis, quod dixiſſent, Da nobis Regem, ut judicet nos.* Samuel primo populum rexerat, nomine & poteſtate Judicis. Cum ſenuiſſet, filios ſuos huic muneri præfecerat, & inter eos adminiſtrationem terræ partitus fuerat. Quamvis Propheta, tamen ut homo, aliquid tum ἀνθρώπινον paſſus eſt. Ægre tulit, ſe, & filios à Reipublicæ gubernaculis rejici, novo propoſito Iſraëlitarum, Regem ſibi dari petentium. Hoc illi diſplicuit, & Deo poſtulata eorum allegavit. Statim, ut dixi, Deus illi injunxit, ut faceret omnia, quæ populus ſuus vellet. Ut tamen Prophetam ſuum non penitus inconciliaret, præcepit illi ut prius videret, an populum poſſet à tali ſententia deducere, exponendo illis, quale jus eſſet regium, hoc eſt, Regio more imperandi ratio; dura certe & moleſta futura tali imperio ſubjectis. Hoc ille fecit. Sed cum nihiloſecius perſeveraret in eadem mente & voto populus, tum Deus omnino Samueli auctor fuit, ut annueret poſtulatis populi, & regem illis conſtitueret. *Audi vocem eorum, & conſtitue ejus Regem.* Hæc omnia κατὰ τὸ ἀνθρώπινον & dicta, & facta ſunt, ut Deus ſolet ſe infirmitati humanæ accommodare. De mandato autem divino Hebræis dato de Rege eligendo variæ fuere Magiſtrorum ſententiæ. Omnes tamen in eo ferme conſentiunt, non in jure petendi eos peccaſſe, ſed in modo, ſive forma, vel *formalitate*, ut barbari loquuntur. Quidam in eo volunt offendiſſe, quod Regem petierunt, ſicut cæteræ gentes habebant. Quod falſum.

Nam

Nam & in Deuteronomio hoc diſerte expreſſum eſt, *Et dixeris. Conſtituam ſuper me Regem, ut omnes gentes finitimæ*. In Samuele eſt, *Sicut omnes gentes*. Alii tradunt, Deum irritaſſe, quod mutationem religionis eo facto ſpectarint, & regem poſtularint, ut cultum idolorum aſſumerent, ſicut gentes ea colebant. Quod à veritate & ratione alienum. Nonnulli in ea ſunt ſententia, ideo erraſſe, quia Seniores quidem rogaverint, ut decorum erat, ſed fæx plebis receptam ante regiminis formam ſpreverit, dicendo, *Simus etiam nos ut cæteræ gentes*. Quod & ipſum non conſiſtit. Aliis placet ideo diſplicuiſſe, quia Samuelis, & filiorum ejus imperium contempſerint. *Non te ſpreverunt, ſed me*. Quidquid hujus ſit, in eo conveniunt, ut mandatum Dei præceſſerit de Rege conſtituendo, & quod jure petierint regem ſibi dari. Certe nec Samuel populo fucum fecit, nec Samueli Deus, ut ἀπόφρας ille Miltonus ex Salmaſii dictis concludit. Et ipſe potius cerritus, & lymphaticus, qui nec Deum, nec homines curat, & totam Scripturam unius aſſis non facit, ut tota ejus ſcriptio indicat. Non merentur refutari quæ in ſequentibus ſubjicit, *Speciem quamdam idololatriæ videri Regem petere, qui adorari ſe, & honores prope divinos tribui ſibi poſtulat. Et qui ſupra leges omnes terrenum ſibi dominium habet prope eſt, ut ſibi Deum ſtatuat alienum*. His verbis omne imperium, omnem magiſtratum, omnem cum aliqua auctoritate populi regendi facultatem abdicat & abrogat. Nam qui in Optimatum ſtatu Reipublicæ regendæ impoſiti ſunt, totidem reges ſunt, & domini, & non minores honores expetunt, quam ſinguli qui imperant, hoc eſt, Reges. Profecto, Regina Sueciæ faciliores aditus habet, & molliora fandi tempora, quam Senator aliquis Venetus, aut Conſul Amſtelodamenſis. Jam quid inſolentius & intolerabilius populo, qui dominatur? Quid turbulentius ejus concionibus? Quid minutæ plebis licentia petulantius, aut injurioſius, ubi leges omnibus æquales ſunt? Soli ibi aurigæ, nautæ, caupones, cerviſiæ coctores, vinarii mercatores, opifices ſellularii, regnum obtinent, honeſti & boni muſſare non audent. De Oſtraciſmis Athenienſiū nihil dicam. Res nimis vetus, & obſoleta. Exempla hodierna magis tangunt, & ante oculos omnibus ſunt. An ſub iſto Rerumpublicarum ſtatu Deus Rex eſt, & dominus, in regali non eſt? Atqui in quacumq; forma adminiſtrationis, qui ei præeſt, niſi ſupra leges ſit, non poteſt eam, quæ ad regendum idonea eſt, poteſtatem obtinere, ſive populus, ſive pauciores imperent, ſive ſinguli. At, ſi hoc admittatur, Miltonus id prope eſſe ait, Deum ſibi alienum ſtatuere, *Deum utique haud ſæpe rationabilem, ſed profligata ſæpius ratione, brutum, & belluinum*. O vocem horribiliter nefandam! O hominem impium, & ſacrilegum, & per omnia ſupplicia crucis, rotæ, forcipū carnificum, & quadrigarum in diverſa corpus ejus rapi[illegible]dum! *Deus*, horreſco

reſco referens. *Haud ſæpe rationabilis, ſed, profligata ratione, brutus, & belluinus, ſi is, qui Rempublicam ſummo cum imperio, & poteſtate gubernat, ſupra leges ponatur!* An unquam aliter factum? Quo in ſæculo, qua in Republica, ſive regnata fuerit, ſive populariter, aut per Optimates adminiſtrata, non id obtinuit; ut rector ejus ſupra leges eſſet, & legum Dominus? Verba Ariſtotelis jam ſupra attulimus, ex libro tertio *De Republica*; Ἀνάγκη δ᾽ εἶναι Κύριον, ἢ ἕνα, ἢ ὀλίγους, ἢ τοὺς πολλούς· *Neceſſe eſt in omni gubernatione Reipublicæ, ut aut ſinguli Domini ſint, aut pauci, aut populus.* Dominos intellige omnium legum, rerum, perſonarum. Alibi ſæpe Κυρίους τῆς πόλεως appellat, *Dominos civitatis*, ſive *Reipublicæ*. Et, cum quinque Regii imperii, quod ſinguli adminiſtrant, formas recenſeret, quintam ſolam, quæ proprie Regia appellanda, & quæ ſola cadit in diſceptationem, ubi de tripartito Reipublicarum ſtatu tractatur, eam eſſe dicit, in qua *Rex*, ſive Βασιλεύς, proprie dictus, omnia agit pro libitu, & legibus ſolutus eſt. Sic enim libri tertii capite duodecimo (verba enim ejus heic ſunt repetenda, quamvis jam ſuperius allata fuerint) Περὶ δὲ τοῦ Βασιλέως τοῦ κατὰ τὴν βούλησιν αὑτοῦ πάντα πράττοντος, ὅ τε λόγος ἐφέστηκε νῦν, καὶ ποιητέον τὴν σκέψιν. ὁ μὲν γὰρ κατὰ νόμον λεγόμενος Βασιλεὺς οὐκ ἔστιν εἶδος, καθάπερ εἴπομεν, βασιλείας. *De Rege autem, qui ſuo lubitu omnia gerit, nunc agitur, & de eo diſputandum. Nam Rex, qui dicitur ſecundum legem, non, ut diximus, Reipublicæ ſpecies.* Idem lib. IV. cap. X. eam Regiam dominationem expreſſim docet Βασιλείαν maxime appellatum. Περὶ μὲν οὖν, inquit, Βασιλείας διωρίσαμεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις, ἐν οἷς περὶ τῆς μάλιστα λεγομένης Βασιλείας ἐποιούμεθα τὴν σκέψιν. Ea eſt, quam & Παμβασιλείαν alibi nuncupavit; & Sophocles Παντελῆ Μοναρχίαν. Quam qui habent, Αὐτοκράτορας Μονάρχους eodem loco vocat idem Ariſtoteles, & apud Barbaros, id eſt, populos Orientis, talem Regalis imperii formam ait uſitatam, & apud Græcos etiam veteres, quam & δεσποτικῶς ἄρχειν ſcribit ibidem, & κατὰ τὴν αὑτοῦ γνώμην, *Domini jure imperare, & arbitratu ſuo.* De his tradit Plutarchus, in *Flaminii vita*, eos non ſolum κατὰ τοὺς νόμους ἄρχειν,

ſed

ſed etiam κατὰ τῶν νόμων, *legibus etiam ipſis imperare.* Præter illa, quæ in ſuperioribus attulimus dè Regibus Perſidis, qui ἀνευθύνως regnabant, etiam teſtatur Æſchylus, hoc verſu in tragœdia *Perſis,* de eorum Rege, Οὐχ ὑπεύθυνος πόλει, *Non obnoxius populo, ſive à populo non judicandus.* Dio vocem Αὐτοκράτωρ de tali Principe habet; qui revera, & proprie Μόναρχος eſt, & Βασιλεύς, lib. LIII. Αὐτοτελὴς ὄντως, καὶ Αὐτοκράτωρ, καὶ ἑαυτοῦ, καὶ τῶν νόμων, πάντα δὲ, οἷα βούλοιτο, ποιῇ, καὶ πάνθ' ὅσα μὴ βούλοιτο, μὴ ποιῇ. *Abſolute liber eſt, ſuique, & legum Dominus, ut & quidquid velit, faciat, & quodcumque nolit, non faciat.* Quæ eadem eſt & Ariſtotelis definitio de regno ſic maxime proprie appellato, quod πάντα κατὰ βούλησιν αὐτοῦ πράττει, qui illud obtinet, ut lib. III. dicit, & lib. IIII. Πάντα κατὰ τὴν αὐτοῦ γνώμην, quém etiam πάντων Κύριον eſſe vult, etiam τῶν νόμων. Cum autem Dio Αὐτοκράτορα eum eſſe ait, καὶ ἑαυτοῦ, καὶ τῶν νόμων, alludit ad proprietatem vocis Αὐτοκράτωρ, quæ proprie *ſui, vel ex ſe, & per ſe Dominum* ſignificat, *non alterius poteſtati obnoxium*; quaſi dicas. *Suæ poteſtatis, & ſui juris.* Qua ratione & Αὐτεξούσιος quoq; ſimiliter factus eſt. Sed & Αὔταρχος idem denotat, quod Αὐτοκράτωρ. Unde Ecphantus Pythagoricus id verbi veriſſime, breviſſime, & ſcite, dè Rege explicat apud Stobæum; Ὅπερ ἔντι μὲν τῷ Θεῷ, ἔντι δὲ καὶ Βασιλεῖ, αὐτῷ μὲν ἄρχειν, ἀφ' ὧπερ καὶ Αὔταρχος καλέεται, ἄρχεσθαι δὲ ὑπ' οὐδένος. *Quod eſt in Deo, eſt etiam in Rege, ut ſui ſit potens, & ſub neminis ſit poteſtate, unde* Αὔταρχος *vocatur.* Hinc Αὐταρχία Xiphilino idem, quod Αὐτοκρατορικὴ ἀρχὴ, vel Αὐτοτελὴς Μοναρχία, cum ſcribit περὶ τῆς αὐταρχίας *neminē de ea judicare, præter Deum.* Quod nomē tamē non id ſignificare Miltono videbatur, ut eſt vir Græcæ litteraturæ perfecte gnarus. Hæc omnia heic etiā libuit referre, & quaſi repetere; quia ille Fanaticus affirmare nō dubitat ex nullo idoneo auctore nos probaſſe, Regē legibus ſolutū eſſe, aut ſupra leges, &, ſi ita hoc eſſet, ore impio deblatrerat, *Deū nō futurū rationabilē, ſed profligata ratione brutū & belluinū* Sed hæc teſtimōia, quæ de regibus gentiū ſūt, & gentilium Auctorum, parum firmā videantur fidem

habere Miltono, & minime idoneam auctoritatem: Quaſi Deus reſpectu gentium, ut verbo ejus utar, irrationabilis, immo profligata ratione brutus, & belluinus, qui voluerit, reges gentibus ſupra omnes leges dominos terrenos imponi, non idem autem decreverit de his regibus, quos populo ſuo dedit. Atqui, Miltone, Iſraëlitæ petierunt talem ſibi regem poni, qualem cæteræ gentes haberent, ut in Samuele ſcribitur; quod de circumjacentibus præcipue intelligendum, ut ſcriptum diſerte habetur in Deuteronomio. Inter maxime finitimos Ægyptii fuere. Horum reges certum eſt, ſolutos cum imperii regnaſſe. Ad certam quidem legum obſervationem jurejurando obſtringebant. Quas ſi violarent, impuniti tamen exibant, ut alibi dictum eſt. Ab altera parte conterminii Judææ erant Syri. Hoc genus nemo ex hiſtoria ignorat fuiſſe ſervituti aſſuetum, & jugi regii patientiſſimum. Non longe à Judæa Perſæ, quorum reges imperio deſpotico utebantur, & omnes ſciunt. Ergo, ut neceſſaria, & non eludenda conſequentia pervincitur, non alterius generis & juris Reges habuere, quam quales gentium reges fuere. Nam tales conſtat datos, quales petiti ſunt, ut apparet ex jure regio, quod illi expoſuit Samuel, & quidem juſſu & mandato Dei illius, quem tu, bellua, vis Brutum, & belluinum omni profligata ratione exiſtimandum, ſi talem regem probaret, qui ſupra leges omnes foret. Quæ tu in ſequentibus attuliſti, ut contrarium aſſeras, contra te faciunt, & nihil ad rem, cujus gratia ea produxiſti. Quid enim? *Spreverant Deum Iſraëlitæ, quia dixerant ei, Regem præpones nobis. Regem petierunt, cum Deus eorum rex eſſet. Magnum malum ſibi arceſſiverunt petendo ſibi regem: datus illis Rex à Deo in ira ſua.* Calamitoſum hoc ſibi populus quæſitus eſt, quod alios præter Deum dominos habuerit. Quid hæc omnia ad quæſtionem, quæ præ manibus eſt, An Rex ſit ſupra leges? Et an Deus pro bruto & belluino videatur habendus, ſi tales reges recipiat, aut populis imponat? Male, an bene, bono an malo ſuo fecerit populus Iſraëlitarũ regem petendo, non hic quærimus, ſed qualem regem, poſtquam eum tandem ut haberet, à Deo impetravit, & qua poteſtate præditum elegerit, ſibique impoſuerit. Immo ſi in ira Deus illis regem dedit, ſi malo ſuo eum experiverint; ſic probatur eum poteſtatem, imperium, & jus tale habuiſſe, quale à Samuele deſcribitur. Atque ita quidem, ut malo iſto & incommodo regis importuni & moleſti per ſe liberari non poſſent, quia eum amovere & punire pro ſuis malefactis nequirent, ſed ad ſolum Deum recurrere, ut ejus ope liberarentur, deberent. Cum illa Samuelis citas ex libri primi capite duodecimo, verſu duodecimo, *Et vidiſtis, quod Rex Nahas filiorum Ammon venit contra vos, & dixiſtis mihi, Nequaquam, ſed rex regnabit ſuper nos, quum Dominus Deus veſter Rex veſter eſſet.* Huc uſque tua citatio procedit. At

ſequitur

ſequitur contentio: *Nunc igitur ecce rex, quem elegiſtis, quem poſtulaſtis; & en! poſuit eum Dominus ſuper vos regem. Si timueritis Dominum, atque obedieritis voci ejus, neque exaſperaveritis os Domini; eritis tum vos, tum rex, qui regnat ſuper vos, poſt Dominum Deum veſtrum.* Ecce Deus dedit illis regem, talem dedit, qualem petierunt. Cum illo rege promittit illis, ſi ſua mandata ſervaverint, neque ad iram ſe provocaverint, ſe cum iis futurum. Ergo & Rex, & Dominus eorum manſit Deus, quamvis regem haberent, haud ſecus quam quando non habuerunt. Quod ais, Oſeam contemptim loqui de Rege, cum dixit Cap. XIII. verſ. X. & XI. *Ubi Rex tuus? ubinam eſt, ſervet te jam in civitatibus tuis. Ubi vindices tui? Quoniam dixiſti, Da mihi regem & proceres.* De primo Rege Saüle hæc non dici, jam ante obſervavimus. Non petierunt illi Proceres cum Rege. Nihil ibi dictum eſt ab Oſea, quod non de omnibus principibus & magiſtratibus, qui civitatibus præſunt, uſurpari queat. Certum eſt, quos ſervare Deus non vult, eos non poſſe à Rege ſervari. Qualiscunque ſit, & quantacunque maximorum Regum potentia, ſine Deo parum juvat, & nihil efficit. Medici quoque, qui Reges quodammodo ſunt ægrorum, quos curandos ſuſcipiunt, nihil operam ſuam, & medicamenta prodeſſe fatentur, niſi Deus efficaciam illis & bonum effectum largiatur. Non igitur ad contemptum regii dominatûs illa protulit Oſeas, ſed ſimpliciter, nihil reges poſſe terrenos, niſi ſupremus rex auxilium ſuum & præſidium conferat illis, quos ſervari vult, vere affirmat. *Sine Gedeon*, inquis, *ille Heros Rege major.* Quo Rege major? Alexandro aliquo, & Cæſare? Judex nimirum unius provinciæ Judææ. Sed eſto, majorem concedamus omni rege. Quid ille? *Non dominabor in vos, neque filius meus in vos dominabitur: ſed dominabitur in vos Jehova.* Quid inde Fanaticus noſter efficere laborat? Ἀναρ-χίαν nempe rebus humanis inducere tam in Eccleſia, quam in Republica, juxta diſciplinā Independentium ſuorum & Anabaptiſtarum ſub hoc prætextu, quod nullum Regem ac Dominum habere debeant populi præter Deum. Sic enim ex illis verbis cōcludit, Quaſi docere ille voluerit, & oſtendere, *Non hominis eſſe dominari in homines, ſed ſolius Dei.* Sed dicat Miltonus, an putet hanc mentem fuiſſe Gedeonis, ut nullum eſſe vellet, qui præeſſe Hebræorum populo poſſet, præter ſolum Deum. Quid ille Gedeon fuit? Nonne Dux & Judex Iſraëlitarum, & quidem cum ſuprema auctoritate? An alio jure potuit populum ad bellum educere, eique imperare? *Quieviſſe terram*, dicit Scriptura, per quadraginta annos ſub Gedeone. Ergo per tot annorum ſpatia populum rexit, & in pace continuit. Regiam dominationem, cum Madianitas devicisset, Iſraëlitæ ei obtulerant, quam repudiavit. Homo novus erat, & paupere quidem patris.

tris, à Deo, extra ordinem, Dux ſuſcitatus ad liberandum populum, ut multa tum fiebant, & miſſus ad bellum, ut Madianitas reprimeret. Filii eius, qui ſuccedere illi in hoc munere, & honore, prætendebant, dominationem, quam recuſabat pater, affectabant. Abimelech, natus ejus ex concubina, ut hoc eriperet fratribus ſuis, ex altero & legitimo matrimonio ſuſceptis, conſilium ſuper ea re cum fratribus matris ſuæ, & cum univerſa familia patris iniit, interrogavitque eos, Utrum melius eſſet, ut in eos dominarentur ſeptuaginta viri, omnes filii Gedeonis, an vir unus? Certe ratio regni magis poſcere videbatur, ut unus imperaret, qui unius erat matris ſuæ ex eodem patre, quàm ſeptuaginta, quibus idem jus erat dominationis petendæ, utpote eodem genitore prognatis. Sic ille regnum arripuit, occiſis cæteris fratribus. Et eum Scriptura tradit regnaſſe, hoc eſt, Regem fuiſſe tribus annis; Judicum capite nono, verſu vicesimo ſecundo; *Et regnavit Abimelech ſuper Iſraëlem tribus annis.* Quid, quod eadem Scriptura duobus locis Judices, qui tum Iſraëlitis præerant, nomine Regio impertitur? Sic enim ſcriptum eſt in eodem Judicum libro, capite decimo ſeptimo, verſu ſexto; *In diebus illis non erat Rex in Iſraël. Quiſque quod rectum erat faciebat in oculis ſuis.* Et capite viceſimo primo, verſu viceſimo quinto; *In diebus illis non erat Rex in Iſraël. Quiſque quod rectum erat in oculis ſuis faciebat.* Tamquam malum ibi notatur, quod nullus eſſet Judex, ſive Rex ſupra Iſraëlitas, & ſic unuſquiſque facere poſſet, quod ſibi placeret, & rectum videretur. Ἀναρχίαν illius temporis plane damnat Scriptura. Ubi igitur tum Deus erat, quem ſolum oportere in homines dominari homo Fanaticus pronuntiat? An Deus aliter aut vult, aut poteſt regnare, ac dominari in homines; quam per homines: ſive eos conſtituat reges gubernandis populis, ſive paucos præponat eidem regimini, ex Optimatibus populi, ſive populo ipſi eam adminiſtrationem committat? Aliquando extra ordinem hoc facit, ſæpius more uſitato, & ordinario. Extra ordinem, ut in republica Judæorum ſæpe ſuſcitavit inopinato, in rebus deſperatis & deploratis, hominem è medio populi, qui eum afflictum & oppreſſum recrearet, & vindicaret ab hoſtibus ſuis. Sic ex numero Judicum multos miſſione extraordinaria elegit ad reſtituendas res lapſas. A Moſe, qui primus ita deſtinatus à Deo fuit liberandis ab Ægyptiorum ſervitute Iſraëlitis, uſque ad primos Reges, remediis ejuſmodi divinis, & ab homine non ſperandis, ſalus populi inſtaurata. Ideo totum illud tempus Θεοκρατίᾳ imputatum eſt, quia Deus viſibili tum modo magis operari videbatur in ea republica ſervanda, quam ſub regibus fecit. Et hæc cauſa eſt cur Samuel Propheta tam ſæpe id repetat, & increpet Iſraëlitas, cum regem obſtinate ſibi imponi flagitarent, quod *Dei do-*

minationem

minationem reſpuerent; quaſi plus in regio imperio ſpei & opis reponerent, quam in Dei providentia, cujus præſens auxilium toties ſenſerant afflictis ſuis rebus. Nam, poſt Regium dominatum apud eos inſtitutum, ad inſtar gentium cæterarum, ſicut petierant, ceſſavit extraordinaria illa, & divinitus immitti ſolita, præſidii copia, qua multoties ex imminentibus periculis emerſerant, ac reſpiraverant. Cum enim Reges Regibus ſuccederent, qui quaſi Dei erant vicarii, & miniſtri, ſine ulla interruptione, non ita jam Deus modo iſto inuſitato, & immediate à ſe procedente, iis opitulabatur. Quippe ab humana Regum ope tum magis proprie pendere videbatur ſalus populi. Nihilominus ſub regno divinum auxilium non illis defuit. Plures Prophetas miſit; qui, Dei nomine, Reges admonebant quid ſui eſſet officii. Obedientibus victoriam, & ſalutem, promittebant: non parentibus pœnam denuntiabant. Sed & ſi quis hiſtoriam utriusque temporis recolat, quod ſub Judicibus, & quod ſub Regibus fluxit, inveniet non magis calamitoſa Iſraelitis fuiſſe tempora, quibus regnati ſunt, quam quibus judicati. Non enim frequentiores extitere à vero Dei cultu ad Idololatriam defectiones ſub Regum dominatione, quam ſub Suffetum adminiſtratione. Ut Deus ſuſcitavit Judices, qui eriperent Iſraëlitas è manibus hoſtium ſuorum, ut eſt cap. II. libri Judicum, ita Regem illis dediſſe ſe dicit Deus, I. Samuelis, cap. IX, *Qui ſalvum faceret populum ſuum de manu Philiſthini.* Regia præterea dominatio multas habuit prærogativas, & decora, quibus Judicum ſtatus caruit. Templum Dei à Salomone exædificatum, & vetus Dei cultus eo modo aſſertus eſt, & ſtabilitus, in omni Judaïco populo. Multa in Templo illo argumenta viſa ſunt divinæ præſentiæ per oracula varia veridica, quæ in ſecundo Templo, quod exſtructum eſt poſt remigrationem ex captivitate Babylonica, non fuere: Spiritus Sāctus, Urim & Thummin, filia vocis. Plurimi præterea Prophetæ, toto illo Regum tempore, ad populi ſalutem ſuſcitati à Deo, floruere. Quod ad Dei regnum attinet, certe non ille minus regnare cenſendus eſt, ubi Reges imperant, quam ubi populus dominatur, aut pauci Optimates Rempublicam obtinent. Unde ipſe eſt, qui dicit, *Per me Reges regnant, & Principes juſtitiam exercent.* Ipſe *Rex Regum*, unde dicitur & Βασιλεὺς Βασιλευόντων, niſi quia etiam ubi Reges imperium habent, nihilominus Rex ſupremus omnium habetur, & ipſis imperat Regibus? Inde quoque eſt, quod Cyrum, & Nabuchodonoſorem, quos Tyrannos non ambigue fuiſſe pronuntiavit Miltonus, *Paſtores ſuos* appellat, & *Chriſtos*, & *Electos*. Ergo ille Tyrannorum non minus eſt Dominus, quam Regum. Quod tamen non dici, niſi cum βλασφημίᾳ in Deum, Miltonus paulo ante aſſeverabat, homo videlicet pius, & ſanctus. Ut Dei imperium eſt in Reges; ita Regis in homines. Hinc illud Poëtæ,

Re-

Regum tremendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis.

Hinc etiam illa Marci Aurelii, Deũ de regibus judicare Reges de Magiſtratibus, Magiſtratus de populo. *Domini* appellatio Deo datur in Scriptura *Dominus Deus.* Datur & Regi, quem paſſim ſubjecti *Dominum ſuum* appellant in pagina ſacra. Chriſtus in Evangelio Reges gentium κατακυριεύειν αὐτῶν dixit. Ecphantus Pythagoricus, Regem Θεὸν παραχηματίζεσθαι in terris dixit, hoc eſt, *Deum adumbrare.* Artabanus apud Plutarchum ait, Perſas Regem ſuum venerari, & colere tamquam imaginem πάντα σώζοντος Θεοῦ. Nec Doctores & Patres Eccleſiæ aliter ſenſere, aut ſcripſere. In omnibus igitur Regnis Θεοκρατία eſt, ut in omnibus civitatibus & Rebus publicis quocumque modo regantur. Peculiari tamen ratione fuit in republica Iſraëlitica, quamdiu ſub Judicibus ſtetit, ob eam quam diximus rationem. Deus ergo ubique ſummus arbiter, & moderator; ſub eo reges, *ſolo Deo minores*, ut loquitur Tertullianus, ab eo ſolo judicandi, & puniendi. Rex dominus mortalis, Deus Rex immortalis. Sed poſt omnia tãdẽ adjicit Miltonus populũ reſipiſcentem, apud Iſaiam, cap. XXVI. verſu XIII. *calamitoſum tot ſibi fuiſſe conqueri, quod alios præter Deum dominos habuerat.* Certe Miltono Scriptura eſt, eam fingit, ac refingit, ut libet, auget, minuit, flectit, & torquet ut vult, depravat, interpretatur ad ſuam mentem. Nihil eo loco de reſipiſcente populo, nihil de conqueſtione, qua calamitoſum hoc ſibi fuiſſe deploret, quod alios dominos præter Deum aſciverit. Sic locus habet. *Domine Deus noſter, dominati ſunt nobis domini præter te, tantum in te recordari ſumus.* De regibus ſuis, hoc eſt, Judææ regibus non intellexiſſe Prophetam, quæ ſequuntur oſtendunt. *Mortui ſunt, non vivent: mortui ſunt, non reſurgent. Propterea viſitaſti & diſſipaſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.* De primis regibus hoc non eſt veriſimile ab eo dici, & ineptum eſſet. Cur deflere deberet priſci temporis mala, & quæ ſub prioribus regibus populo acciderant calamitates, cauſæ nihil video. Domini tunc alii regnabant præter Deum, hoc eſt, reges, ſi de regibus iſti Domini ſunt intelligendi. Ezechias Rex optimus & piiſſimus regnũ tum tenebat, cujus populũ pœnitere non oportuit. Manaſſes filius ejus non peſſimus. Cũ primo à Dei cultu defeciſſet, poſtea ad ſanam mentem rediit. Joſias poſt eum valde pius. Cum igitur, ut ſatis eſt illa omnis prædictio Iſaiæ, ad præterita tempora & regna eam revocare, plane ridiculum eſt. Sed Miltonus ſemper talis.

talis. Interpretes notāt, capite illo Iſaiæ Eccleſiā Chriſti deſcribi. De Papis itaque Romanis hæc intelligi probabile eſt, qui tyrannidem, & ſupremam in Eccleſiam Dei poteſtatem uſurparunt, cum ejus caput, rex, & Dominus unicus haberi Chriſtus debeat. *Indicio hæc omnia eſſe* in fine concludit Miltonus, *regem, irato Deo, Iſraelitis fuiſſe datum.* Ego vero, ſi Deus iratus regem Iſraelitis, & in pœnam putaretur dediſſe, ex eo colligerem, tale malum eſſe regium imperium Prophetam credidiſſe, & illis perſuadere voluiſſe, quale via ordinaria judiciorum tolli de republica non poſſet, cum ejus vitatio & depulſio à ſolo Deo precibus petenda eſſet & impetranda. Atque inde ſequi Reges à Deo ſolo puniendos conſtare. Argumentum ex Abimelecho etiam petiit Salmaſius, de quo Scriptura, *Reddidit Deus malum Abimelecho.* Rem tam manifeſtam non ſolum negare, ſed etiam riſu excipere nemo poterat alius præter Miltonum. *Hæc hiſtoria,* inquiebat Salmaſius, *potentiſsime adſtruit, Deum ſolum regum judicem eſſe, & vindicem.* Immo *tyrannorum, nebulonum, nothorum, ſi hæc valebit,* reſpondet Miltonus. Sed quis audivit, nothos & ſpurios, quatenus nothi ſunt & ſpurii, pœnam divinam eſſe meritos? Ne nebulones quidem ſupplicio ullo videntur digni, ne quidem ab hominibus. Leves ſunt, & nihili nebulæ dare pondus idonei, non tamen nocentes, niſi levitas innata ad ſcelus eos impulerit. De Tyrannis res alia eſt. Sed Miltonus à regibus non diſtinguit. Abimelechus Tyrannus, non tamen ut maximum ejus crimen fuerit tyrannis, ſed illud per quod tyrannidem arripuit. Scriptura Tyrannum non appellat, quæ tres annos eum regnaſſe tradit. At ſeptuagies parricida fuit, ſeptuaginta fratribus ſuis occiſis. Nebulonem id eſſe vult Miltonus. Nebulonem etiam Salmaſium appellat, eumdemque parricidam, quia ſcilicet parricidium in perſona Ariſtarchi commiſit, perſonam uſurpando aliter, quam pro larva. Sed cum dicat Scriptura Deum *reddidiſſe malum Abimelecho,* cur non potius poſuit Synhedrium illi malum reddidiſſe, & pœnas ab eo exegiſſe pro tot parricidiis commiſſis, & tyrannide uſurpata? Cur tamdiu vivere & regnare paſſi ſunt populi Seniores hominem tot ſuorum fratrum cæde pollutum, & præterea tyrannum? Si potuiſſent in jus eum vocare, & capitis ob tot & tanta ſcelera condemnare, ſane feciſſent. Sed à Deo fuit expectanda vindicta. Et ſane ſic ille eum ultus eſt. Scriptura quippe diſerte perhibet ita Deum rem diſpoſuiſſe, ut ad pœnam debitam Abimelechum deduceret, quo ſanguinem fratrum ſuorū lueret. Immiſit Deus ſpiritū malū inter Abimelechū & Sichemitas, ut Sichemitæ injurias facerent Abimelecho, hoc nimirum agens, ut tam Sichemitas puniret, qui Abimelecho ſuppetias tulerant ad occidendos fratres ejus, quam Abimelechum, qui facinus fecerat. *Ut veniret, inquit, injuria ſeptuaginta filiorum Gedeonis, & ut ſan-*

guinem

guinem eorum poneret ſuper Abimelech fratrem eorum, qui eos interfecerat, & ſuper viros Sichem, quia manus eius corroboraverant, ut occiderent fratres ſuos. Narrat deinde quomodo Deus per Abimelechum Sichemitas,& per Sichemitas rurſus Abimelechum punierit, cum mulier è turri, quam ille circumſederat, fragmentum molæ in caput ejus dejecerit, quo lethale vulnus accepit, utque ille moribundus ſe armigero ſuo confodiendum præbuit, ne mulier de ejus cæde gloriari poſſet. Tum addit Scriptura: *Reddidit* itaque *Deus malum Abimelecho,* quod fecerat patri ſuo interficiendo ſeptuaginta fratres ſuos. Ineptias multas accumulat hoc loco Miltonus, ut eludat hoc judicium Dei in Abimelecho. *Quid, ſi,* inquit, *magnus aliquis latro hoc modo in bello periiſſet, an ergo Deus ſolus latronum vindex?* Deus interdum ſolet magnos latrones pœna afficere, interdum puniendos judici ſuo remittit. At rex, qualis fuit Abimelechus, nullum habuit judicem, niſi Deum, nec ab ullo homine ſupplicium metuere potuit. Regem eum conſtitutum fuiſſe teſtatur Scriptura, nec Tyrannum appellat, cap. XI. libri Judicium: *Congregaverunt autem ſe omnes viri Sichem, totaque domus Melo, & ierunt, & conſtituerunt Abimelech regem.* Et paulo poſt imperaviſſe eum tradit *ſuper Iſraelem tribus annis.* *Quid, ſi,* inquit, *carnificis manu lege damnatus, an ideo minus illi Deus malum reddidiſſet?* Quid, Miltone, an credis, Anglos tunc temporis in Judæa vixiſſe, qui Regem ſuum lege capitis damnare vellent, & carnifici tradere? Tibi dico, non potuiſſe ullo in tempore, & ab ullis hominibus eum, qui rex eſſet, condemnari à ſuis ſubjectis, qui eum conſtituiſſent, & per carnificem neci dari. Mox fateri ait Salmaſium, *in Optimatum ſtatu vel principem, ſi quid committat, poſſe, ac debere judicari.* Idem quoque cum illo confiteor. Nam Optimates in Optimatum ſtatu à collegis ſuis, qui pares ſunt, judicari poſſunt, etiam qui primus eſt, ac princeps ordinis; ſed de rege non idem eſt, qui nec parem habet, nec ſuperiorem, qui de eo judicare, & ſententiam mortis in eum pronuntiare jure poſſit. *Cur non item,* inquis, *tyrannus in regno?* Hic tyrannus tibi pro rege eſt. Jam dixi tibi, cur non poſſit. Avidius Caſſius olim dicebat, *Regium nomen de republica tolli non poſſe, niſi per alterum regem.* Occidi certe indicta cauſa, qui vere tyrannus eſt, jus eſt, ſed jure accuſari, & ad tribunal judicum ſiſti nequaquam poteſt. Quis eum accuſabit? Unus aliquis ex hoſtibus? Quis teſtimonium contra eum dicet? Ex hoſtium numero non unus. Quinam denique de ejus cauſa cognoſcent? Hoſtes ejus judices in eum ſedebunt. Qualis hæc erit forma judicii, aut quæ ratio in ea juſtitiæ? *At,* inquis, *malum ei reddidit quoque mulier illa, reddidit etiam armiger, in quos ille ambos jus regium habere præ ſe tulit.* Pudet me tuarum ineptiarum. Mulier illa inter rebelles fuit, & hoſtium numero. Armiger ejus voluntati paruit. *Quid ſi,* inquis, *reddidiſſet magiſtratus, an*

non

non is idcirco gladium gerit, ut malum malis reddat? Sed cui magiſtratui hoc de Rege licuit? Gladium gerit, ſed non contra Regem, à quo illum accepit. Potes aliquod exemplum proferre Judicis in terra Judæa, qui à magiſtratu populi, vel Synhedrio judicatus ſit? Ad hoc erant poſiti à Deo, ut populum judicarent. Non autem ipſi à populo judicabantur. Nam quis in eos judicium conſtituiſſet, ut de capite eorum ſententiam ferre poſſet? Is ſane Judex fuiſſet Judicis. Quæ abſurda ſunt. Multo minus id in eum licuiſſe dixeris, qui rex erat factus. Plura autem cum extent punitionum divinarum in ſacris litteris exempla, nullum ferme occurit niſi in eos, de quibus homines judicare non poſſent, ſed tantum Deus. Cum David adulterium in homicidio commiſiſſet, Deus mittit ad eum Prophetam ſuum, non apparitorem aliquem Synhedrii. Ne Propheta quidem de eo judicat, ſed ab eo extorquet confeſſionem pœnæ quam meruiſſet, cum ſub ficta narratione crimina ſua ei adumbraſſet. Tum ex Dei mandato renuntiat ei, quod ipſe non eſſet moriturus, ſed filius ejus, quem plus vita ſua amabat. Sic enim Deo placuit, pœnam peccati ejus in natum transferre. Sic Salomonem punivit in filio ſuo Roboamo per defectionem decem tribuum. De Achabo & Jeſabele nota eſt Hiſtoria. Ochoſias defectione Moabitarum & lapſu è cœnaculo, unde in morbum lethalem incidit, Idololatriæ ſuæ pœnas Deo judice tulit, Regum III. cap. I. Plura non addam, quia hæc ſufficiunt. Nunc cum dicis, Salmaſium nihil eorum probaviſſe, quæ promiſerat ſe probaturum ex ſacris libris, & ex Rabbinis, quia neque Regem legibus ſolutum eſſe, neque ſi delinquat, cur puniri ſolus mortalium non debeat, quidquam oſtenderit. Certe nihil certius heic demonſtrari poteſt, quam te eſſe confidentiſſimū, impudentiſſimū & mendaciſſimū animal. Ita enim ille hoc probavit, ut non clarius potuerit, ſi lucem eſſe, cum ſol meridie lucet, dixiſſet. Tu vero qui promiſeras, iiſdem omnibus teſtimoniis, quibus ille oſtendere præſumpſit Regem legibus ſolutum eſſe, & reum capitis fieri non poſſe, contrarium eſſe demonſtraturum, an id præſtitiſti? Scilicet id feceris, ſi legibus ſolutum eſſe, & non ſolutum idem ſit. Si in jus vocari licere, & non licere, de eodem dici poſſit. Si ſupra omnes eſſe, qui in Regno ſunt, & æqualem eſſe omnibus idem quoque habetur. Tuum vero argumentum ſic eſt. *Aut Rex nullus eſt, nec fuit, quem ſupra leges eſſe poſſimus dicere, aut ſi eſt ullus, aut fuit, Deum utique ſtatuit haud ſæpe rationabilem, ſed profligata omni ratione brutum, & belluinum.* Atqui luce omni clarius, & omni apodixi ἀποδεικτικωτέρως tam à Salmaſio, quam à nobis demonſtratum eſt, Regem, qui vere ac proprie ſic dicitur, ſupra leges

eſſe

eſſe conſtitutum, legibus ſolutum, & pœnis, quæ ex judiciis veniunt, exemptum. Quid ergo conſequitur? Hoc ipſum, ut pro illo tuo impio & nefario dicto, lingua tibi de ore putido, forcipi per vim extracta, in ignem oppoſitum conjiciatur, tuq; poſtea in eundem rogum præcipitatus, animam impurã & ſacrilegã cum cruciatu & tormentis exhalatam inferis reddas. Carolũ primum cum Salomone componi moleſte fert Miltonus, ratio in promptu eſt, Ne quis merito dicat, illos, quos defendit, Regem manu carnificis ſuſtuliſſe Salomone meliorem, ſaltem non pejorem. De Jacobo ejus patre fatetur eſſe qui illum cum Salomone comparare non dubitarunt, non natalibus quidem anteferre. De comparatione utriusque non dubito, ea præcipue parte, quod ambo pacifici fuerunt, & docti. Addam quoque, Prophetam & fuiſſe Jacobum, quod non fuit Salomon Nam omnia, quæ filio Carolo acciderunt ſcelerata & impia factione Brunistarum, Puritanorum, Anabaptiſtarum, & novorum horum ſanctorum, mire vereque prædixit. De natalibus, quorum ratione Jacobum præfert Salomoni, malignitas ejus ſtupenda eſt, & calumniandi inſania, cum impietate non minore conjuncta. *Salomon*, inquit, *Davidis filius. Is prima Saulis Muſicus erat. Jacobus Darli Comitis filius, quem Davidem Muſicum reginæ cubiculum noctu ingreſſum, cum oſtio peſſulum obdidiſſe deprehenderet, haud multo poſt interfecit. Natalibus ergo illuſtrior Jacobus, & ſecundus Salomon ſæpe dictus.* Videant homines quam contemptim hic furioſus de Davide Rege ſimul & Propheta loquitur? Quæſierat tantum Salmaſius, an deterior eſſet Carolus Salomone, quem tot ſuppliciis dignũ aſſeruit Moloſſorum Advocatus? Hoc Miltonus vix poteſt pati. Et ecce Davidem ipſe *Dei unctum* ut Scriptura vocat, & regem potentiſſimum, ac virum fortiſſimum, ex quo Meſſias originem duxit, non dubitat contendere cum Davide Muſico Reginæ Jacobi Comitis filii uxoris, homine nihili, & abjectæ conditionis, ut ſunt omnes ejuſmodi Muſici. Nec parce quidem facere contentus, quod magnum eſſet flagitium, etiam iſtum Davidem Muſicum Davidi Regi præponit, cum dicit Jacobum, qui filius putabatur eſſe illius Davidis Muſici, illuſtriorem Salomone natalibus fuiſſe, qui Davidis regis fuit filius. Sed ille Rex David Muſicus etiam olim erat Saulis; David autem iſte Jacobi pater putatitius, ut loquuntur, Muſicus fuit Reginæ Scotorum. Ergo cum ambo Muſici fuerint, & cantare pares, iſte Muſicus David illo Iſraëlita potior & prior habẽdus eſt, quia nimirum Anglus, an Scotus? De te, Miltone, quia digna loqui non poſſum, ideo taceo. Verba mihi deſunt, quibus explicem quo genere intemperiarũ vecors tua mens & fanatica agitatur. David Rex qualis Muſicus fuerit; & quomodo Sauli operam dederit, Scriptura narrat. Non ſane fuit mercenarius, ut hic Anglicus. Sed cum eodem ſpiritu nequam, qui te nunc concutit, Saul vexaretur,

&

& quæreretur aliquis pſallendi peritus, à quo poſſet Rex recreari, & avocari ab ejuſmodi moleſtia, monſtratus eſt David, quem Scriptura his elogiis decorat I. Samuelis, cap. XVI. *Scientem pſallere, & potentem robore, ac bellicoſum, & prudentem, & formoſum, & Dominus eſt cum eo.* Nec Muſicus Saülis tantum fuit, ſed etiam armigerum ſuum fecit. *Cum autem veniſſet David ad Saülem, ſtetit coram eo, & dilexit eum plurimum, fuitque ei armiger.* Si Salomon iſto Muſico natus eſſet, quo tempore Saüli hanc operam dabat, longe hoc tamen illuſtriores habuiſſe natales cenſendus foret Jacobo, ſi verum quidem eſt ex tali Muſico matris ſuæ fuiſſe prognatum. At Rex erat jam David, non Muſicus amplius, cum Salomonem generavit. Quomodo igitur, ô monſtrum hominis, ſoboles Muſici mercenarii, qualem fuiſſe vis Jacobum, genere clarior, & nobilior eſſe potuit Regis filio, & ejus quidem Regis, quem iſte Miltonus in ſequentibus *maximum & ſanctiſſimum* appellat. Ergo jam tuo judicio, David Muſicus Reginæ Scotiæ præferendus eſt Davidi Regi maximo & ſanctiſſimo, & quod plus eſt, Prophetæ. Sed novi veſtri Prophetæ veteribus palmam & decus omne ſuum abſtulere, antiqui præ illis nihil fuere. Ut veſter Spiritus ſanctus, antiquo Spiritui Sancto, ſive Judæorum, ſive Chriſtianorum longe anteſtat. Alium etiam, ſi Deo placet, Deum habetis. Ubi cum tanto contemptu & indignitate loquutus eſt de Rege, & Propheta Domini quem infra famelicum ac miſerum Muſicum mercedula ad cantandum redemptum abjecit, in Regis Caroli memoriam genus omne calumniarum bacchabundus evomit, in pervicaciam ejus, avaritiam, crudelitatem; ſævum in omnes pios atque bonos dominatum invectus. Quæ horrenda ſunt de piiſſimo & optimo omnium Rege mendacia. De quo ſi quis dixerit contraria omnia bona, vix pro ſuis virtutibus ſatis digen illum ornaret. Sed de his infra erit adhuc dicendi locus, cum talia maledicta linguæ circulatricis ab homine ſpurciſſimi oris in Regem ſuum, & quidem jam μακαρίτην, eructata confutabuntur. Splendidum etiam mendacium eſt, cum ſubjicit patris bella, incendia, rapinas, & miſerorum civium cædes innumeras Carolum filium in publica pœnitentiæ *ſedecula* apud Scotos coram populo confiteri, & deplorare coactum, & jus omne regium ejurare. Væ capiti illorum, ſi hoc verum eſt! Tanto pejores, qui eum ad tam infamem abjectionem ſui, & Majeſtatis ſuæ abdicationem deſcendere adegerunt. Nam hujus facti pœnas meritiſſimas expendunt, Dominos & Tyrannos Anglos coacti tolerare, hoſtes naturales & perpetuos, pro legitimis ſuis Regibus. Nunc comparationem inſtituit Miltonus

Salomonis, & Caroli, ſed aliter quam Salmaſius. Salomonem ut excuſet, Carolum deprimit, ut ſic longe pejor iſte appareat. *Salomon*, inquit, *à meritiſſimo fratris ſupplicio regnum auſpicatus eſt.* Dixerat Salmaſius *à cæde fratris.* Hanc cædem Miltonus meritiſſimum ſupplicium fuiſſe vult. Qua ratione? Id expendamus. Adonias, vivente adhuc patre, ſe pro Rege geſſerat, cum pater decrepitus & capularis rerum habenis tractandis parum habilis eſſet, Regnum ad eum pertinebat jure ſucceſſionis, utpote natu majorem. Ubi factio contraria id reſcivit, Regem occupant, & nuntiando quid ageretur, ſimulque Regis animum pertentando ab Adonia in Salomonem eum inflectunt, ut magis hunc Regem eſſe vellet. Statim eum renuntiari Regem jubet, quod & ejus matri longe ante promiſerat, & per urbem in pompa circumvehi mulâ Regiâ inſidentem, buccinâ præcinente, & populum advertente. Ubi hæc Adoniæ nuntiata, & aliis conſilii ejus ſociis, ac conſciis, metu perterriti in ſuam quiſque domum dilabuntur. Adonias ad aram confugit fratrem metuens, ab eo veniam impetrat, ſecutus ad ſua ire permittitur. Quod ejus crimen fuit? Si Salomon minor natu filius id aggreſſus eſſet, magis reus videretur, ut rem invadens, in qua partem jure non haberet. Quid poſt illa mali commiſit Adonia? Jam videbimus. Venit ad matrem Salomonis Berſabeam. Ejus interceſſione uti vult ad Salomonem fratrem, ut ducere in uxorem ſibi liceat virginem illam, quæ patri Davidi data fuerat ad refocillandum ejus ſenium, & frigus membrorum refovendum. Nihil cum ea rei habuerat David. Eam petit in matrimonium filius natu major, qui regni jure contra jus exciderat. Preces ejus ac vota Salomoni defert noverca. Salomon iraſcitur, mortem ei minatur, etiam curat inferendam. Quo jure? vel qua juſtitia? Potuit enim illi eo modo denegari, quo fuerat petita. Mors data pro eo, quod ſuppliciter petiit, & matre ipſa Salomonis intercedente. Nullus ordo juris obſervatus, non res ad judicium delata. Quod ſi factum fuiſſet; cujus criminis reus peractus eſſet Adonia coram Judicibus, & qua ex cauſa potuit condemnari? Nempe, quod nuptias eas ambiviſſet, quas Salomon non probaverat. Vel hinc qualis fuerit tum Regum Iſraëlitarum poteſtas, mecum collige. Occidi fratrem mandat, ſtatim occiſus eſt. *Regia res ſcelus eſt*, ut inquit ille: at ſceleris nullius reus ille, qui rex eſt, fieri poteſt. *Salomon*, inquit, *à meritiſſimo fratris ſupplicio regnum auſpicatus eſt.* Nihil ergo mali fecit. Quid Carolus? *A patris funere*, inquit. Multo minus hei: ſceleris. Sed vide malignitatem, & tectam improbitatem peſtiferi ſerpentis. Non audet aperte Regem Carolum inſimulare necis paternæ, quia ipſe ſibi conſcius eſt id falſum eſſe Sed per ambages inſinuare vult, talem de eo ſuſpicionem fuiſſe proditam. *Non dico*, inquit, *à nece, quamvis*

indicia

indicia veneni omnia in corpore patris mortui conſpecta ſint. Quid tum? ſi aliquæ notæ veneni in corpore patris mortui viſæ ſunt. An inde ſequitur, à filio patrem veneno ſublatum? *Iſta ſuſpicio in Bucchingamio conſtitit.* Si ſuſpicio hæc in Bucchingamium cecidit, non ergo in filium. *Quem tamen Carolus, & Regis interfectorem, & ſui patris, non ſolum in Comitiis omni culpa exemit, ſed ne omnino res ea Senatus cognitioni ſubjiceretur, Comitia diſſolvit.* Notandum eſt, quod primo ſuſpicionem tantum fuiſſe dicit, mox tamen non dubitat, quaſi res eſſet indubitata, Bucchingamium *Regis interfectorem* pronuntiare, & in Carolum totam eam ſuſpicionem ſceleris patrati derivare, quia in Comitiis eum omni culpa exemit, & ne ea cognitio ad Senatum deferretur, Comitia diſſolvit. Hæc calumnia mera eſt ab hoſtibus Regis conficta, & à Miltono, eorum defenſore, non minus calumnioſe confirmata. Falſum quippe Comitia ob hanc cauſam à Rege fuiſſe diſſoluta, cum certum ſit & teſtatum, Bucchingamium in ſequentibus Comitiis publico judicio ſe ſubjeciſſe. Harum rerum fidem facere poſſunt publica acta, quæ vocant *Regiſtra.* Sequitur apud Miltonum: *Salomon graviſſimis tributis populum preſſit: at ille in Templum Dei & ædificia publica impendit, Carolus in luxum.* Satis aſtute hoc & veteratorie pro homine alias inſano & Fanatico. Cavet, ne expreſſe dicat de Carolo, graviſſimis eum tributis populum preſsiſſe, quia ſcit, ſe non vere id poſſe dicere. De Salomone hoc aperte. Sed in Templum & ædificia publica quod ex tributis collegit impendiſſe: Carolum in luxum. Quid Carolus impendit in luxum? Non enim dixit, leviora aut graviora tributa populo imperaſſe, aut æque gravia, quam Salomonem, quod ratio comparationis poſtulabat. Rem utrimque falſiſſimam ſe ſciebat ſcribere. Jam primum illud falſum de Salomone, quod pecuniam ex tributis redactam in ſolum Templum, & ædificia publica impenderit, cum nemo Principum, Regumque, aut Imperatorum antiquorum, ac ne quidem hodiernorum, in majore & regaliore luxu vixerit. Sed hoc neſcivit fortaſſe Miltonus. Quod tamen Scriptura non tacuit, quæ quo paratu inſtruerentur quotidianæ ejus epulæ, quaſi rem memoratu dignam recenſuit. In ſingulos dies triginta boves pro menſa ejus cædebantur, decem ſexaginta & viginti paſcuales, centum oves, præter cervos, capreas, bubalos, & gallos gallinaceos altiles. Ne ſumptuoſiſſimæ, qualem dicere es viſus, Romanorum Cæſarum, etiam qui luxu maxime celebres fuere, ad hanc ſummam acceſſere, ut patebit vitas eorum evolventibus. Unde porro alebat tam numeroſam, & tam ſplendide ac magnifice veſtitam, familiam? tam amplum ſatellitium, & tam ſuperbe & pompatice ornatum? Quadringenti equites ſemper erant in ejus comitatu, cum proceſſionem aliquo faceret, omnes purpurati, aurati, auri etiam ramentis capillitio eorum inſperſis. Tot uxores, & con-

cubinas, uſque ad mille numero, quantis ſumptibus ipſi conſtiterunt, cum omni ſuo mundo muliebri,& veſtitu Reginis convenienti ? Tot millia equorum quomodo poterat ſine prodigioſis impenſis tenere, cum uſque ad quadraginta millia haberet eorum,qui ad currus erant jungendi,& duodecim millia ſingularium,ſive ſellarium ? Si nihil inſumebat niſi in Templum, & ædificia publica ex pecunia, quam de tributis & vectigalibus conficiebat,unde eam colligebat, quæ aliis ſumptibus ſufficere poſſet,& quos tam magnificus,& regificus, & incredibilis plane luxus requirebat ? Quid hiſcis, Miltone, poterisne, licet impudentiſſimus bipedum, frontem illam tuam ferream, & toties perfrictam, præ pudore non obtegere ? De Carolo magis etiam pudere te debet ob tam manifeſta,& putida, tam etiam horrenda mendacia, & quod de tributis graviſſimis objicis,& quod in luxum à Carolo erogata. Quod ad tributa attinet, poteſne ulla extra ordinem indicta monſtrare præter illa, quæ alii Reges prædeceſſores conſueverant exigere ? Unum fortaſſe dixeris, quod ad inſtaurandam claſſem ex conſilio ſapientum,& Juriſprudentum Regni ſui,impoſuerat; non in commodum ſuum & utilitatem privatam, ſed ad bonum publicum, & populi ſalutem. Quod tamen ſtatim abolendum curavit,cum intellexiſſet populo non probari, & de eo multo queri. Audeſne, homuncio, tributorum gravium exactionem Regi exprobrare,cum hodie tyranni,quos heic defendis,centuplum è populo ſoleant extorquere ? & cum pro uno aureo ſolido, qui ſub Rege pendebatur, nunc centenos miſella plebs cogatur perſolvere ? Quid factum ingentibus illis auri argentique ponderibus, quæ tyranni tui ex Gaza regia redacta in ſinum ſuum converterunt, aut quos in uſus ea impenderunt ? An in templa & ædificia publica ? Qui immenſas opes à tot Regibus tot annorum ſpatiis congeſtas fœdiſſimæ harpiæ unguibus aduncis rapuere,qui agros patrimoniales coronæ, Epiſcopales, Cathedrales,& eorum proventus vendidere, pecuniæque vim vix credendam unde collegerunt, quid ex illa pecunia factum ? Quid illis decies centenis millibus, & alteris adhuc decies centenis millibus, & alteris adhuc decies centenis, quæ ex nobilium & plebeiorum, quos vel capite damnarunt,vel exilio mulctarunt, bonis tam mobilibus,quam immobilibus,redegerunt? Poſt tantam pecuniarum copiam, cui parem vix multi ſimul reges habere potuerunt,quam in fiſcum publicum congeri oportuit populi bono profuturam, cur nihilominus nunc tam intolerandis tributis populum premunt,aut quos ad uſus impendendis?Nempe ut exercitus terra marique maximos alant, quibus tyrannidem,quam occupaverunt, tueantur, & quod vi rapuere, vi defendant.Tum ut belli impenſas tolerent, quod vicinæ genti,& ex antiquo confœderatæ priorum Angliæ Regum, ſine cauſa

in-

intulerunt,certe non ob aliam,quam ut prædis & rapinis avaritiam ſuam profundam explerent, quæ patrimonium unius regis & univerſi regni opulentiſſimi divitiis, quas ſuas fecerunt, non potuit exſaturari. Tunc porro luxum Caroli ſuſtines carpere? Quo Rege inter omnes conſtat neminem Regem magis frugalem vixiſſe, magis continentem, ut qui parciſſimus tam in victu,quam in veſtitu fuerit, cum alias eſſet liberaliſſimus in egentes,& in argumentum ejus liberalitatis hoc poſſet adferri, quod magnos theſauros non reliquit. Qui eos nihil ad ſe pertinentes invaſerunt,cum ad hæredes redire debuerint, magno redemptum vellent eum rapaciorem fuiſſe, avariorem, & deparciorem,ditioremque.? Sic enim plures pinguiores, qui ex ejus ſpoliis & exuviis opimitates convaſaſſent. Pergit Miltonus ad reliqua comparationis, quæ non melius ipſi ſuccedunt, quam priora. *Salomon à plurimis uxoribus ad idolorum cultum pellectus eſt: Carolus ab una,* Sed ad quem idolorum cultum pellectus eſt ab uxore Carolus? Demus,uxorem Caroli æque fuiſſe Idololatriæ mancipatam, ut erant concubinæ Salomonis. Concedamus,in Religione Pontificia coli Idola.Nunquid uxor Carolum ad ſuam religionem pellexit,& Idola, quæ venerabatur, coëgit colere? Mors hoc crimine eum abſolvit, in cujus ſuſpicionem hoſtes ipſius illum,cum in vivis erat, adducere conabantur. Ne in fine quidem vitæ id ei objicere auſi ſunt perduelles ejus, cujus memoriam hac macula infamare nunc non veretur parricidarum patronus, mentiendi tantum & calumniandi callidus. Ut idolorum cultorem probet fuiſſe, altaria in Eccleſiis ait ſtatui juſſiſſe,& imminentes altaribus Crucifixos pingi. Mentitur in eo,quod adjicit,*ut adorarentur.* Hoc enim falſiſſimum. Quid aliud ſunt altaria, niſi menſæ fixæ & ſtabiles, quæ ſic altarium inſtar exhibent,ut cœna,quæ in his celebratur, imaginem ſacrificii, quod ſemel pro humano genere in cruce Chriſtus obtulit, creditur exhibere.Altaria ea etiam nominavit antiquitas Eccleſiæ,poſtquam mos inolevit ut ſtatæ & immobiles in parte Templi ad hos uſus ſtruerentur, id eſt,ad illius ſacrificii commemorationem celebrandã.Cæterum, ſi in his non conficiatur ſacrificiũ Miſſæ eo more,& cũ ea ſuperſtitionis credulitate, quam introduxerũt Pontificii;ſed ſimpliciter cœna adminiſtretur ſecundũ Chriſti inſtitutionẽ,nihil id cũ idolorum cultu affine habere exiſtimamus.Ne Jeſu quidẽ cruci affixi ſimulachra in parietibus picta,aut Sanctorum imagines, ſi non adorationis gratia,ſed hiſtoriæ tantum ponantur. Jam habuimus comparationem Salomonẽ inter & Carolũ,quam placuit Miltono nobis dare, à ſolis vitiis,& delictis inſtitutam.Crimina amborum ipſo deſcribente cognovimus. Nunc pœnam videamus, quam utrumque judicat meruiſſe;alterum vero ex merito tuliſſe. Salmaſius dixerat,cum melior Carolo Salomon non fuerit,non tamen à populo capitis

eum fuiſſe damnatum, ut Carolum. Subjicit Miltonus, non inde ſequi, *Salomonem damnari à populo non debuiſſe.* Ergo debuit damnari, ſi judicio ſtemus Miltoni. *Id ne fieret, multa tum incidere potuiſſe, cur hoc expedire populo non videretur.* Hæc ſunt ejus verba. Ex quo intelligere eſt, ſi Salomon, loco Caroli, Rex Angliæ fuiſſet, ut fuit Iſraëlitarum, meritum ſupplicium non fuiſſe tunc evaſurum. Tria tamen tantummodo crimina propoſuit, propter quæ capitalem ſententiam ſubire eum oportuerit, ſi judicium in eum conſtituere Iſraëlitæ tum commodum exiſtimaſſent. In prioribus duobus eum abſolvit. Nam meritiſſimum ſupplicium de fratre ſuo natu majore eum ſumpſiſſe affirmat. Nihil igitur heic erravit. Quod tributis graviſſimis populum preſſit, intra veniam quoque peccaſſe exiſtimandus eſt, Miltono judice, quia eam pecuniam in templum & ædificia impendit. Reſtat tertium & ultimum, quod ſolum non ignoſcendum illi fuiſſe autumat, & propter quod capitis à populo damnari debuit, ſi ita tum ſibi populus expedire ſtatuiſſet. Nempe, quod ad idolorum cultum deflexit, pellectus uxorum & concubinarum perſuaſione. Ut pariatio inter utrumque conſtaret, totidem crimina & fere eadem Carolo impingit. In primo, quamvis ſit confidentiſſimus, non tamen audet conſtanter affirmare, necis paternæ conſcium fuiſſe: ſed nugas agit, & per ambages id inſinuat, quibus fidem facit, id verum eſſe ne ſeipſum quidem credere. De tributis, tametſi videtur illum Salomoni parem facere, quod graviſſima etiam populo ſuo ſimiliter impoſuerit, id tamen recto ſtylo non ſuſtinet aſſerere, ſed oblique criminatur, & ſubdole in luxum tributa, quæ exegit, impendiſſe. De his duobus nos Carolum abſolvimus, ut ipſe Salomonem culpa exemerat. Et ſic etiam collationi utriuſque flagitiorum magis ratio conſtabit. Supereſt tertium, quod ſolum capitale eſſe utrique portendit, idolorum cultum ad quem impulſi ſunt, & pellecti uxorum ſuarum fraudibus. Sed Salomon hac in re venia dignior, quia plures unum aggreſſæ, ſic tandem vicerunt: Carolus ab una ſe induci paſſus eſt. Hoc igitur unicum crimen, ſi nunc Miltono credimus, propter quod, ut Salomon mori meruit, ita Carolus merito mortuus eſt. Non ſenſit miſerabilis Miltonus, in quos ſe laqueos imprudens induerit. Quod cæcitati ejus condonamus, tam corporis, quam mentis. Si propter Idololatriam Pontificiam ſupplicio affectus eſt Carolus; cur in ſententia, quam in eum ſcelerati Judices ediderunt, nihil tale annotarunt? An *Tyranni, Homicidæ,* & *Proditoris*, vocabula hoc ipſum ſignificant, *Idolorum cultorem,* & *Pontificiæ religioni addictum?* Cur ſicut vixit Pontificius, non ſic etiam obiit? Cur hoc ei, poſtremis vitæ temporibus, nemo inimicorum objectavit; cum omnia undique conquirerent, quibus reus mortis jure videri factus poſſet? Sed de his adhuc infra dicendi locus dabitur. Nunc à Miltono

quæramus,

quæramus, cum multa dixerit, incidere tum potuiſſe, quare Iſraëlitæ ſibi expedire non putarent, ut Salomonem ita tractarent, quemadmodum Angli Carolum acceperunt; ex tam multis, cur aliqua ſaltem non explicaverit? An, Fanaticorum more, ſemper hariolabitur, & ſomniis ſuis, & vaticinationibus nos fidem volet adhibere? De Salomone interim, dicis gratiâ, demus illi multa, eo tempore populum impedire potuiſſe, ne jure ſuo in eo condemnando uteretur. Sed quomodo nobis perſuaſerit, easdem cauſas, ſemper, & ubique, & erga omnes Reges idem impedimentum attuliſſe? Cum tot Judices, tot Reges fuerint à Moſe uſque ad Sedeciam, deinde poſt reductionem ex captivitate ab illis, qui cum ſummo imperio Rempublicam Judæorum gubernarunt, uſque ad Herodis domum, cur nullus Judicum, nullus Regum, in jus vocatus reperitur, ac capite damnatus. Atqui tot fuere in his Adulteri, Homicidæ, raptores, Tyranni, idololatræ. Nihilne, tota illa temporis intercapedine, quæ quamplurimos Judices, Reges, Sacerdotes habuit auctoritate Regia dominantes, mox etiam Reges: nihilne, inquam, potuit incidere, cur populus expedire ſibi videretur, malefacta, & delicta Regum ſuorum capitalia punire, & in eos judiciorum publicorum forma animadvertere. Nulla autem cauſa, nulla occaſio illis data eſt, nulla poteſtas ſumpta, ut ſaltem vel audere ſe oſtenderent; ſi exequi non poterant. Quid te torques, Miltone? cur oculos lumine caſſos attollis? Cur brachia ad pectus premis, & digitis increpas? Dic aliquem ſaltem colorem? *Populus*, inquit, *certe, quid ſui juris eſſet haud multo poſt, & verbis, & factis oſtendit, cum Salomonis filium decem tribus expulerunt.* Hoccine tantum habes, quod dicas? Ut video, neſcis inter vim & jus diſtinguere. Vim noſtis; jure agere neſcitis. Quod factum nullo jure fuiſſe etiam ipſa Scriptura, & omnes Judæorum interpretes affirmant, tu id pro jure nobis obtrudis. Si jus illud fuit populi, cur aliæ duæ tribus non id ſequutæ ſunt. Cur decem illæ, quæ filium Salomonis expulerunt, non ad pœnam eum repoſcebant, ut vos de Caroli filio feciſtis? Cur via, & more judiciali, ac jure ordinario, cum eo non egerunt? Cur apud reliquas duas tribus, cum decem ipſæ eſſent, non inſtiterunt, ut communi conſenſu ad judicium traherentur capitis, tam pro crimine patris, qui Tyrannice ipſis imperaverat, quam pro ſuo, qui minatus fuerat ſe eos flagellis & ſcorpionibus male accepturum? Quod ais, *Niſi mature ſe in fugam conjeciſſet, credibile eſſe etiam lapidibus illum fuiſſe obruituros:* id more tuo facis, ut quod in Scriptura non eſt, in ea id velis haberi. Miſerat Roboamus ad eos Adoram, qui tributis colligendis erat præfectus, lapidibus eum coopertum neci dederunt. Non erat præſens Roboamus, cum hoc actum eſt, ſed ubi intellexit quid actum eſſet, in civitatem, curru aſcenſo, confeſtim ſe recepit, ne quid ſcilicet violenti ab illis pateretur.

Sed de lapidatione nullum verbum eo loco. Nunc,ut pacate tecum agam,quaſi ſi hominis aliquid in te eſſet,aut humani, cum vis illos,quid erat juris ſui,verbis & factis oſtendiſſe: cur igitur Scriptura diſertis verbis teſtatur, *prævaricatos eſſe Iſraëlitas in domum Davidis*,Regum I. cap.VII. *Et prævaricati ſunt Iſraëlitæ in Domum Davidis uſque hodie.* In Hebræo eſt verbum *Thaſchah*, quod ſignificat *prævaricari,injuſte,perfide, impie agere, legem & pactum transgredi*; quæ omnia ſunt rebellantium, unde & pro *rebellare* uſurpatur. Hinc & *Theſchahim*, rebelliones. Septuaginta Interpretes id verbi reddere ſolent per ἀνομεῖν, παρανομεῖν, ἀδικεῖν, ἀσεβεῖν, ἁμαρτάνειν. Qui jus ſuum perſequitur,& obtinere contendit,non injuſte agit, nec perfide, ut Scriptura dicit tum feciſſe Iſraëlitas, qui adverſus Regem ſuum & Dominum rebellarunt. Quod & ipſe fatetur Jeroboamus,dominum nempe populi legitimum fuiſſe Roboamum,Salomonis filium. Ideo,ne ad ſanitatem aliquando populus poſſet reverti,impietatem inDeum adjunxit ad impietatem illam,quā in regem ſuū commiſerant,curavitque,ut à Dei cultu etiam deficeret,ſicut à fidelitate,quam Regi debebant,deſciverant. *Dixit autem Jeroboamus in corde ſuo, nunc revertetur regnum ad domum Davidis, ſi aſcenderit populus iſte ad faciendum ſacrificia in domum Domini in Jeruſalem, convertetur cor populi hujus ad Dominum ſuum Roboamum Regem Juda.* Nullo igitur jure nec ipſe, nec populus, qui eum ſequutus eſt,Regem ac dominum ſuum deſeruit. Quod confeſſione etiam ſua teſtatus eſt,& clarius id expreſſit Scriptura,quæ dicit *perfide illos & injuſte egiſſe*.Deinde,quale jus illud populi fuiſſe intelligis? An libertatis? Quid ergo fecerunt, ut jus illud recuperarent? An in libertatem ſe vindicarunt, & ſervi Regum eſſe deſierunt? Immo fecerunt, quod ſolent debitores, qui verſura ſolvunt, juri ac imperio Regio ſe iterum ſubdiderunt,& Regem Rege mutarunt.An pejorem meliore? Res ipſa indicavit. Impium & Idololatram adſciverunt, ſub quo continuis bellis conflictati ſunt,quibus inter ſe Tyrannus ac Rex legitimus vario eventu contenderunt. Inter rebellionis iſtius initia, cum Roboamus perduelles bello perſequi tenderet, à Deo prohibitus eſt cum hoc verbo,*Quod à ſe facta eſſet res iſta.*Et ſane jam ante Deus prædixerat ſe Salomonis Idololatriam iſto modo vindicaturum,tranſlata in filium pœna, qua decem tribuum defectione mulctatus eſt.Et quamvis eam per Jeroboamum fieri procuraverit, nihilominus impietatem illius poſtea merito ſupplicio remuneratus eſt,tota domo ſtirpitus extincta. Cum Deus ſic Reges ipſe puniendos ſibi ſumat, eo ipſo ſe ſolum eorum judicem eſſe legitimum ac verum ſignificat.Igitur utSalomonem, ita & Davidem, ut antea dicebam,divino judicio Deus ultus eſt. Hic,ſi ad populi Tribunal vocandus fuiſſet,propter duo capitalia

crimina

crimina cædis & adulterii, morti debuit per carnificem tradi. Sed quomodo in Davidem hoc expetiſſet, aut in quemquam alium Regum ex ejus domo, cum regnum ad ſe,ut patrimonii proprium,haud ſecus,pertinere duceret? Nonne ita de eo moriens conſtituit, ut de hæreditate reliqua providit, & præterito majore natu filio, minorem natu poſt ſe regnare voluit? Hoc promiſerat jam ante, & cum jurejurando quidem, matri ejus Berſabeæ. Idemque jusjurandum & promiſſum paulo ante mortem renovavit,& ad effectum perduci curavit, cum Sadoco Sacerdoti,& Nathani Prophetæ imperavit, ut Salomonem in Regem ungerent, eumdemque circumduci per urbem mula Regia ſedentem,& proclamari buccina præcinente facerent,*Vivat Rex Salomon.* Sic Salomon conſtitutus Rex eſt à Davidi, cum jure primogenituræ Regnum ad Adoniam pertineret. Ita enim ſcribitur Samuelis III. cap. I. *Reſpondens autem Jonathan dixit ad Adoniam, Profecto dominus noſter Rex David conſtituit Regem Salomonem.* Eodem jure potuit regnum extraneo relinquere, ut filio minori,cum viveret natu major, cui jus naturæ & ſucceſſio legitima id dabat. Non alio jure uſi ſunt Reges Ægypti,& alii Aſiatici, ad quorum exemplar Rex à Judæis petitus eſt, & datus. Cicero de lege Agraria, *Quis ignorat regnum Ægypti Teſtamento Regis Alexandrini populi Romani eſſe factum?* Sic Nicomedes Rex Bithyniæ regnū ſuū,quaſi hæreditatē, populo Romano reliquit, quod propterea in cenſū & numerū provinciarū imperii Romani relatum. Attalus quoque Rex populum Romanum cum feciſſet hæredem bonorum ſuorum, in illis bonis regnum reputatū eſt. Sic Cyrenaïca Provincia ab Apione rege Teſtamento Romanis data eſt. Sic Romani Cæſares, pro ſuo jure & regum aliorum more,ſucceſſores ſuos deſignarunt & adoptarunt, qui poſt ſe erant imperaturi,cum liberos non habuerunt; ita Nerva Trajanum,Trajanus Adrianum,Adrianus Ælium Verum, hoc deinde mortuo Antoninum Pium, ſed ex conditione & lege, ut ipſe Marcum Antoninum, & Lucium Verum adoptaret poſt mortē ſibi ſucceſſuros. Rex præterea Iſraëlitarum ſummos Pontifices in exilium mittebat jure ſuo,morte etiam afficiebat, Prophetas impune interficiebat, nulla legum aut judiciorum formidine. Jus vitæ & necis in omnes habebat, & quidem indicta cauſa: Bella, quæ vellet,& quando vellet, & contra quos vellet, ſuſcipiebat. Exercitus conſcribebat, vectigalia & tributa imponebat,nemine repugnante. I nunc, Miltone, & dicito talem Regem, & cum tali ac tanta poteſtate, ſubjectum legibus fuiſſe, miniſtrum tantum populi fuiſſe, nec plus potuiſſe quam plebeium quemlibet, & iiſdem pœnis ob delicta obnoxium vixiſſe,ut nimirum de populo. Sic enim Reges nobis depingis.

CAPUT III.

SÆpe uſu-venit, ut qui victi ſunt, canant Io triumphe, dum ſe pro victoribus gerant. Et aliquando me in aliqua urbe fuiſſe memini, in qua publice ignes accendi juſſit Magiſtratus ob æctum victoriæ nuntium, cui poſtridie infelici prælio res proſtratas triſtior, ſed verus, nuntius afferebat. Idem contigit hoc loco Miltono. Falſiſſimum eſſe jactat, & ſine auctore, ſine ratione à Salmaſio dictum, quaſi triumphat, *Reges impune poſſe quod velint, à populo puniri eos jus, ac fas non eſſe, Deum proinde vindictam de his tribunali ſuo reſervaſſe.* Quod à Salmaſio aliqua auctoritate, aut ulla ratione probatum negat, quam vere, aut qua ratione id negare ſe potuiſſe confidat, ipſe viderit. Sed ſcio nec poſſe illum, nec velle quidquam dicere, quód verum ſit. Mala mens, malus animus, & perpetuum veritatis oppugnandæ & obſtinatum propoſitum, quia nec aliter defendi poſſe tam deploratam cauſam vidit, niſi mendaciorum, ſtropharum, impoſturarum, & calumniarum perpetua concinnatione. In præcedenti capite, quale jus eſſet regium, ex ipſa Scriptura ſatis explicatum eſt. An Evangelii ſpiritus aliud flare deprehendatur, exquirendum eſt. *Videamus*, inquit, Miltonus, *an id ſuadeat Evangelium, quod diſſuaſit Lex, non imperavit.* Si capere hæc me jactarem, vana foret mea jactantia. Non enim quid velit, ſatis aſſequor. Quid diſſuaſit lex? An ne Reges impune poſſent quod vellent? Hoc velle videtur. Quid non imperavit? An ut punirentur Reges à populo? Siccine demonſtrare ſe poſſe putavit, & iiſdem quidem teſtimoniis contrarium ejus, quod demonſtrandum ſuſceperat Salmaſius? Quam frigide, quam obſcure, & ambigue, & ignave id, quod intendit, adſtruere conatur! Diſſuaſit lex, ne reges impune poſſent. At ubique ex ea evincitur, ſumma cum impunitate Reges cædibus, rapinis, adulteriis, graſſari. Prophetas etiam ipſos, & Sacerdotes ſummos, divino unctos oleo, interficere, aut relegare, contra leges divinas peccare, idola contra vetitum colere, paſſim exemplis inde allatis paſſim conſtare, Deum vindictam de eorum ſceleribus & flagitiis, legiſque tranſgreſſionibus, & ἀθετήματι ſibi reſervare. Quid autem illud eſt, quod lex non imperavit? ut ad judicium Reges vocentur, cauſam capitis dicturi? Hoc pro nobis eſt. Si non imperavit, certe nec fieri debuit. Quid hoc ad rem, *Non imperavit.* Oſtende vel ſemel id fuiſſe factum, ut in jus aliquis vocatus ſit, cum tot Judices, tot Reges probroſæ vitæ, & morum damnandorum, per ſpatium plurium ſæculorum vixerint. *Videamus*, ait rurum Miltonus, *an Evangelium, divinum illud libertatis præconium, nos in ſervitutem addicat Regibus, & Tyrannis, quorum ab impotenti*

potenti imperio, etiam ſervitutis cujuſdam magiſtra, lex vetus populum Dei liberavit. Quomodo potes dicere, *Videamus*, qui nihil vides? At nos videmus heic, te veterem legem & novam invicem opponere, quaſi diverſas, & adverſis frontibus inter ſe pugnantes. Veterem vis eſſe magiſtram ſervitutis. *Cujuſdam ſervitutis*, dicis. Sed quænā ſit illa *quædam ſervitus*, explicare te oportuit. Novam autem *præconem* eſſe *libertatis*. Iterum debuiſti exponere, cujus libertatis. Eſt enim animi libertas, eſt & corporis: ut ſervitus eſt corporis, & ſervitus peccati, quæ ad animum pertinet. Nihil eſt autem dicere, quod videndum ais, *An Evangelium, quæ lex eſt libertatis magiſtra, nos addicat Regibus, & Tyrannis?* Hoc fuit potius quærendum, num illa lex imperia omnia & regna aboleverit? Sic enim certo conſtaret, an etiam ſervitutem, quæ ab his impendet cervicibus eorum, qui ſub nova lege vivunt, ſuſtulerit. Quod autem adjicit, *A regum & tyrannorum impotenti imperio veterem legem, ſervitutis cujuſdam magiſtram, populum liberaſſe*: id etiam te oſtendere fuit neceſſe quomodo, aut quādo, hoc acciderit. Rerum quippe ulla ratio non patitur, ut lex ſervitutis magiſtra populum ab imperio regum liberaverit; cum è contrario Deus ipſe reges populo impoſuerit, atque ubique in Scriptura ſubditi Regū appellentur *eorum ſervi*, & ipſi Reges vocentur *populorum ſibi ſubjectorum Domini. Dominari* de his, *ſervire* de illis paſſim in eadem Scriptura uſurpatur. Loca plura ad teſtimoniū afferre ſuperſedeo, quæ paginas aliquot implerent. Adeo autem ſervi, qui ſub Judicibus, aut Regibus, ut capitalem fraudē id eſſet committere, dictis eorum non eſſe audientes. Hinc illa Rheubenitarum, & Gaditarum ad Joſuam: *Quicumque rebellaverit ori tuo, & non obedierit verbis tuis in omnibus, quæ præceperis, interficiatur.* Tuum igitur jam erit nobis aperire, qua in re, aut qua ratione, lex ſervitutis magiſtra populum ab imperio Regum exemerit. Ex Chriſti lege non melius id probabis. Contrariæ probationis argumentum è perſona Chriſti duxit Salmaſius: eum tu doces, cum tamen id neminem neſcire fatearis, *Non privati ſolum, ſed etiam ſervi perſonam ideo ſumpſiſſe, ut nos liberi eſſemus.* Sane à peccati ſervitute, & à pœna, quæ peccatum ſubſequitur, morte æterna. *Immo*, inquis, *hoc intelligendum non de libertate tantum interna, ſed etiam civili.* Nunc primum mihi & hoc loco nomen *libertatis civilis* auditum eſt. Nam quæ libertas eſt civilis? An, ut mors aliqua *civilis* dicitur Juriſconſultis, alia *naturalis*; ita & libertas duplicis generis? Ego vero credidi, unam eſſe libertatem, eamque naturalem. Qui enim è ſervo fit liber, non libertatem, civilem acquirit, ſed naturalem, quam amiſerat, recuperat. Juriſconſulti quippe ſtatuunt ſervitutem jure gentium contra naturam introductam fuiſſe. Sed eſto: ſit *libertas civilis*, ut placet Miltono, quam & infra reponit: quo argumento, aut quo teſtimonio novæ le-

gis eam nobis morte Chriſti quæſitam docet. *Si de interna*, inquit,*libertate tantum intelligeretur, cum liberos nos feciſſe Chriſtus dicitur,quam aliena eſſent iſta,quæ Maria,mater Chriſti, ejus in adventu cecinit?* Quid illa vero cecinit? Ecce tibi! *Superbos diſſipavit cogitatione cordis ipſorum, detraxit Dynaſtas è thronis,humiles evexit.* Quando hæc cecinit? In adventu Chriſti.Ergo jam Chriſtus advenerat. Atqui nondum tum erat natus,ſed adhuc in alvo Matris latebat, ut patet ex Lucæ I. Nam haud diu poſt ſalutationem Angeli,& initio ſtatim conceptionis, ad cognatam Eliſabetham,viſendi gratia venit.Et tum Canticum illud, unde hæc verba petita ſunt,ita exorſa eſt, *Magnificat anima mea Dominum.* Quæ non deChriſto,quem haudi ra pridem conceptum in utero geſtabat, ſed de Deo patre pronuntiavit; ut & iſta,*Detraxit Dynaſtas è thronis,& evexit humiles*;ſed & alia quæ præcedũt,& quæ ſequuntur.Ideò non poſſunt hæc trahi in illum ſenſum,ut Chriſtus Reges & Dynaſtas è Thronis detrahendo libertatem ſuis procuraverit, ut inſcitiſſime & falſiſſime argumentatur ineptus Miltonus.Similia de Deo paſſim in Scriptura veteri dicuntur.At videtur illud totum Mariæ canticum ex variis veteris Teſtamenti locis contextum,quæ in Pſalmis apud Jeremiam,Iſaiam, & alibi leguntur: iſta vero,*Detraxit Dynaſtas è Thronis,& humiles extulit*,paria faciunt cum his Danielis II. XXI. *Aufert Reges, & conſtituit Reges*.Ita hoc loco Mariæ,Dynaſtas, id eſt, Reges è thronis detrahit,& humiles in thronos evehit. Sic enim id intelligendum,Deum nempe facere ſæpe de Regibus ſervos,& de ſervis Reges. Ergo ſi una manu dat libertatem,Regem aliquem exuendo poteſtate, altera ſervitutem reducit,novos Reges alibi conſtituendo. Tametſi hæc de Chriſto acciperentur, ut ab æterno eſt,& patri coævus, nihil pater ſine illo ſtatuit, nec diverſam ab eo voluntatem habuit. Et ipſe Chriſtus in Evangelio ſuo profeſſus eſt,ſe non veniſſe, *ut legem ſolveret, ſed ut eam impleret.* Hi tres unam *Monarchiam* conſtituunt ſub tribus perſonis: Pater, Filius,& Spiritus Sanctus. Atque ita Patres primitivæ Eccleſiæ appellant, Græci, Latinique, Μοναρχίαν. Regna itaque Deus Pater & Chriſtus conjunctim modo dant, modo auferunt. Nec res ſecus ſe habuit in nova, quantum ad hoc,quam in veteri lege. At nova lux ab Evangelio per Chriſtum affulſit, quæ non fuit in veteri fœdere, conſcientiarum libertas ,liberatio à peccati vinculis & reatu mortis æternæ, & ſolutio legis cerimonialis, & gratuita remiſſio delictorum per ſanguinem Chriſti,abſque neceſſitate ſacrificiorum. Quod autẽ *in adventu Chriſti*,ea cecinisse Mariam vult Miltonus,cujus conceptio vix tum inchoata erat,nugatur ſciens, ſolenſque. Non enim *Chriſti adventus* proprie dicitur,niſi ab eo tempore, quo ſe mundo patefecit,& Meſſiæ officium exercere cœpit, quod poſt

trigeſimum demum ejus ætatis annum factum. Ut oſtendat autem, ſe pleniſſimũ eſſe bellarũ rationum & ratiocinationum, ex verbis ſupra citatis concludit, *Si adventus Chriſti Tyrannos potius in ſolio ſtabiliret, Chriſtianos eorum ſæviſſimo imperio ſubjiceret.* Nihil aliud reſpondeo, niſi hoc, ut verum prius, ita & poſterius. Probet nunc, ut hoc evertat, Chriſtum adventu ſuo non tunc quando adhuc in utero eum mater geſtabat, ſed poſtquam ſe pro Meſſia cœpit gerere, Tyrannos omnes thronis ſuis dejeciſſe, & ſic Diſcipulos ejus ſæviſſimo illorum imperio fuiſſe liberatos. Auguſtus eo tempore imperabat, bonus quidem Princeps, ſed nihilominus Tyrannus, & Uſurpator, ac libertatis patriæ ſuæ oppreſſor. Hic & Judæam in Provinciam redactam ditione premebat, & omnes Judæos, Chriſtique etiam Diſcipulos, ſub imperio ſuo habuit, quoad vixit, & in ſolio ſuo à Deo ſtabilitus eſt. At ſucceſſores ejus æque Tyranni, immo etiam longe ſæviores in Eccleſia Chriſti dominati ſunt, & in hac dominatione à Chriſto confirmati. Plurimi eorum & Eccleſiam Dei perſequuti ſunt, Nerones, Trajani, Severi, Decii, Aureliani, Diocletiani, qui omnes crudeliſſime, & cum omni genere ſuppliciorum in Chriſtianos graſſati ſunt. Et inter hos quidem, Severus, Aurelianus, & Diocletianus in ſolio ſuo ſtabiliti ſunt, & à quo, niſi à Chriſto? Quis præter eum, Attilam, Flagellum Dei cognominatum, ſuſcitavit? Quis Gothos, Vandalos, Longobardos, Francos, Burgundiones, & alia populorum è Septemtrione in Meridianas partes Imperii Romani redundantium immiſit examina? Cujus permiſſione & voluntate, niſi Chriſti, Europam Chriſtianam partim Hæretici, partim Gentiles vexarunt, & infeſtarunt? Quis hodieque in ſolio firmat & ſtabilit Ottomannos, qui maximas florentiſſimaſque olim Aſiæ & Europæ Regiones, eaſque Chriſtum profeſſas, ſæviſſima premunt Tyrannide? Annon eſt idem Deus Chriſtusque, qui veteris fœderis tempore Nabuchodonoſorem & Cyrum ideo ſtabilitos in ſede regni ſui conſervavit, ut eorum imperio ſubjiceret, & captivitate inſuper moleſtiſſima longe à patria relegatum populum ſuum Judaicum affligeret? Vide, quantum cœcus videre poteſt, eumdem Deum Chriſtumque in veteri Teſtamento novoque fuiſſe, eadem utrobique voluiſſe, & præcepiſſe circa regnorum & Rerumpublicarum everſiones, inſtaurationes, & mutationes, dilectis ſibi nationibus interdum libertatem indulſiſſe, interdum ſervitutem impoſuiſſe, prout utrumve videbantur meriti. Eamdem porro legem, ſive ſervituris Magiſtram, ſive libertatis adminiſtram, in utroque fœdere viguiſſe. Illud autem imprimis conſtare, Doctrina Evangelii, per Chriſtum & ejus Diſcipulos prodita, nihil innovatum, aut immutatum uſpiam in civilibus πολιτείαις fuiſſe. *Ipſe*

Chriſtus

gis eam nobis morte Chriſti quæſitam docet. *Si de interna*, inquit, *libertate tantum intelligeretur, cum liberos nos feciſſe Chriſtus dicitur, quam aliena eſſent iſta, quæ Maria, mater Chriſti, ejus in adventu cecinit?* Quid illa vero cecinit? Ecce tibi! *Superbos diſſipavit cogitatione cordis ipſorum, detraxit Dynaſtas è thronis, humiles evexit.* Quando hæc cecinit? In adventu Chriſti. Ergo jam Chriſtus advenerat. Atqui nondum tum erat natus, ſed adhuc in alvo Matris latebat, ut patet ex Lucæ I. Nam haud diu poſt ſalutationem Angeli, & initio ſtatim conceptionis, ad cognatam Eliſabetham, viſendi gratia venit. Et tum Canticum illud, unde hæc verba petita ſunt, Ita exorſa eſt, *Magnificat anima mea Dominum.* Quæ non de Chriſto, quem haudi ra pridem conceptum in utero geſtabat, ſed de Deo patre pronuntiavit; ut & iſta, *Detraxit Dynaſtas è thronis, & evexit humiles*; ſed & alia quæ præcedũt, & quæ ſequuntur. Ideò non poſſunt hæc trahi in illum ſenſum, ut Chriſtus Reges & Dynaſtas è Thronis detrahendo libertatem ſuis procuraverit, ut inſcitiſſime & falſiſſime argumentatur ineptus Miltonus. Similia de Deo paſſim in Scriptura veteri dicuntur. At videtur illud totum Mariæ canticum ex variis veteris Teſtamenti locis contextum, quæ in Pſalmis apud Jeremiam, Iſaiam, & alibi leguntur: iſta vero, *Detraxit Dynaſtas è Thronis, & humiles extulit*, paria faciunt cum his Danielis II. XXI. *Aufert Reges, & conſtituit Reges.* Ita hoc loco Mariæ, Dynaſtas, id eſt, Reges è thronis detrahit, & humiles in thronos evehit. Sic enim id intelligendum, Deum nempe facere ſæpe de Regibus ſervos, & de ſervis Reges. Ergo ſi una manu dat libertatem, Regem aliquem exuendo poteſtate, altera ſervitutem reducit, novos Reges alibi conſtituendo. Tametſi hæc de Chriſto acciperentur, ut ab æterno eſt, & patri coævus, nihil pater ſine illo ſtatuit, nec diverſam ab eo voluntatem habuit. Et ipſe Chriſtus in Evangelio ſuo profeſſus eſt, ſe non veniſſe, *ut legem ſolveret, ſed ut eam impleret.* Hi tres unam *Monarchiam* conſtituunt ſub tribus perſonis: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Atque ita Patres primitivæ Eccleſiæ appellant, Græci, Latinique, Μοναρχίαν. Regna itaque Deus Pater & Chriſtus conjunctim modo dant, modo auferunt. Nec res ſecus ſe habuit in nova, quantum ad hoc, quam in veteri lege. At nova lux ab Evangelio per Chriſtum affulſit, quæ non fuit in veteri fœdere, conſcientiarum libertas, liberatio à peccati vinculis & reatu mortis æternæ, & ſolutio legis cerimonialis, & gratuita remiſſio delictorum per ſanguinem Chriſti, abſque neceſſitate ſacrificiorum. Quod autẽ *in adventu Chriſti*, ea ceciniſſe Mariam vult Miltonus, cujus conceptio vix tum inchoata erat, nugatur ſciens, ſolensque. Non enim *Chriſti adventus* proprie dicitur, niſi ab eo tempore, quo ſe mundo patefecit, & Meſſiæ officium exercere cœpit, quod poſt

tri-

trigeſimum demum ejus ætatis annum factum. Ut oſtendat autem, ſe pleniſſimũ eſſe bellarũ rationum & ratiocinationum, ex verbis ſupra citatis concludit, *Si adventus Chriſti Tyrannos potius in ſolio ſtabiliret, Chriſtianos eorum ſaviſſimo imperio ſubjiceret.* Nihil aliud reſpondeo, niſi hoc, ut verum prius, ita & poſterius. Probet nunc, ut hoc evertat, Chriſtum adventu ſuo non tunc quando adhuc in utero eum mater geſtabat, ſed poſtquam ſe pro Meſſia cœpit gerere, Tyrannos omnes thronis ſuis dejeciſſe, & ſic Diſcipulos ejus ſæviſſimo illorum imperio fuiſſe liberatos. Auguſtus eo tempore imperabat, bonus quidem Princeps, ſed nihilominus Tyrannus, & Uſurpator, ac libertatis patriæ ſuæ oppreſſor. Hic & Judæam in Provinciam redactam ditione premebat, & omnes Judæos, Chriſtique etiam Diſcipulos, ſub imperio ſuo habuit, quoad vixit, & in ſolio ſuo à Deo ſtabilitus eſt. At ſucceſſores ejus æque Tyranni, immo etiam longe ſæviores in Eccleſia Chriſti dominati ſunt, & in hac dominatione à Chriſto confirmati. Plurimi eorum & Eccleſiam Dei perſequuti ſunt, Nerones, Trajani, Severi, Decii, Aureliani, Diocletiani, qui omnes crudeliſſime, & cum omni genere ſuppliciorum in Chriſtianos graſſati ſunt. Et inter hos quidem, Severus, Aurelianus, & Diocletianus in ſolio ſuo ſtabiliti ſunt, & à quo, niſi à Chriſto? Quis præter eum, Attilam, Flagellum Dei cognominatum, ſuſcitavit? Quis Gothos, Vandalos, Longobardos, Francos, Burgundiones, & alia populorum è Septemtrione in Meridianas partes Imperii Romani redundantium immiſit examina? Cujus permiſſione & voluntate, niſi Chriſti, Europam Chriſtianam partim Hæretici, partim Gentiles vexarunt, & infeſtarunt? Quis hodieque in ſolio firmat & ſtabilit Ottomannos, qui maximas florentiſſimasque olim Aſiæ & Europæ Regiones, easque Chriſtum profeſſas, ſæviſſima premunt Tyrannide? Annon eſt idem Deus Chriſtusque, qui veteris fœderis tempore Nabuchodonoſorem & Cyrum ideo ſtabilitos in ſede regni ſui conſervavit, ut eorum imperio ſubjiceret, & captivitate inſuper moleſtiſſima longe à patria relegatum populum ſuum Judaicum affligaret? Vide, quantum cœcus videre poteſt, eumdem Deum Chriſtumque in veteri Teſtamento novoque fuiſſe, eadem utrobique voluiſſe, & præcepiſſe circa regnorum & Rerumpublicarum everſiones, inſtaurationes, & mutationes, dilectis ſibi nationibus interdum libertatem indulſiſſe, interdum ſervitutem impoſuiſſe, prout utrumve videbantur meriti. Eamdem porro legem, ſive ſervitutis Magiſtram, ſive libertatis adminiſtram, in utroque fœdere viguiſſe. Illud autem imprimis conſtare, Doctrina Evangelii, per Chriſtum & ejus Diſcipulos prodita, nihil innovatum, aut immutatum uſpiam in civilibus πολιτείαις fuiſſe. *Ipſe*

Chriſtus

Chriſtus, inquit Miltonus, *ſub Tyrannis naſcendo, ſerviendo, patiendo, omnem honeſtam libertatem nobis acquiſivit.* Ante habuimus ab eodem civilem libertatem, nunc habemus *honeſtam*. Eademne eſt? videtur. Civilem hominem vulgo vocamus, honeſtum, modeſtumque; ut contrà *incivilem*, qui moroſus eſt, & difficilis. Ergo honeſta libertas & civilis eadem ſit. Vulgo Galli dicunt in idiomate ſuo, *Une honeſte liberté.* Chriſtus igitur ſub tyrannis natus eſt, ſerviit, & paſſus eſt, ut Miltono honeſtam & civilem libertatem acquireret, ut libere melioribus ſe malediceret, & conviciaretur, ut perduelles, qui Regem ſuum parricidaliter necarunt, defenderet, ut ejus memoriam multis mendaciis & calumniis proſcinderet, ut in bonos omnes virulento ore & calamo debaccharetur, ut Reges omnes adlatraret, & votis interſiceret. Quid enim eſt libertas, niſi facultas agendi quid velis, & quomodo velis. Hanc illi Chriſtus ſanguine ſuo, & crucis ſupplicio comparavit. Euge, ſic datur. Hæc eſt novorum Sanctorum in Anglia diſciplina. Chriſtianorum alia doctrina eſt; Chriſtum nempe patiendo pro ſuis, vitam æternam illis acquiſiſſe, & præterea documentum eis & exemplum præbuiſſe, quid pati ipſi viciſſim pro ejus nomine deberent. Crucem aſcendendo iis, qui ſe imitari vellent, crucem quoque geſtandam propoſuit, non libertatem civilem promiſit. Non bene conveniunt, nec in uno loco ſtant Crux Chriſti, & libertas civilis; abnegatio ſui, & talis libertatis contemptus, ut & omnium bonorum externorum ſpontanea amiſſio melius cum cruce faciunt. Si Philoſophus eſſes, Miltone, vel gentilem in morem, nedum Chriſtianum, ſcires ſolum ſapientem liberum eſſe, non poſſe cogi, libertatem ſuam retinere, vel ſæviſſima tyrannide graſſante, ſervos eos ſolos dici oportere, qui cupiditatibus ſuis devincti ſunt, qui affectibus ſerviunt, qui vitiis premuntur. Illius libertatis quaſi rudimenta ſapientibus ſuis Philoſophia, ſolo naturæ lumine inſtructis, donavit; Chriſti vero doctrina omnibus ſuis numeris abſolutam & perfectam largita eſt. Hæc mera libertas, non quam pilea, Romano more, & jure, dabant. An tu putas Chriſtum, cum venit, in hunc modum ſervos ad pileum vocaſſe, ut ſoliti facere factioſi & rebelles, qui contra rempublicam conjurati ergaſtula ſolvebant, & ſervos ad libertatem ſollicitabant, ut eorum opera in patria oppugnanda & evertenda uterentur? Hoc certe videris velle, dum ita ſcribis: *Ut poſſe ſervitutem, ſi neceſſe eſt, æquo animo pati, ſic poſſe ad libertatem honeſte adſpirare non abſtulit Chriſtus, ſed majorem in modum dedit.* Iterum heic nobis honeſta illa libertas reponitur, & honeſta ad illam aſpiratio, quam non abſtulit Chriſtus, ſed majorem in modum dedit. Aude igitur nobis eam explicare & definire, aut quid faciendo, aut patiendo poſſimus honeſte ad illam aſpirare? An Regem, qui nobis imperat, necando? Ita feciſtis, & vos certe ho-

neſti

neſti eſtis parricidæ. Teſtimonio Pauli nos id docebit, I. ad Corinthios, cap. VII. *qui non de Evangelica ſolum, ſed de civili libertate ſic ſtatuit.* Videmus heic iterũ *libertatẽ civilem* heic appellari, quam paulo ante honeſtam libertatem eſſe voluit, & quam tertio ſic vocat in ſequentibus, ubi ait, Chriſtum *nobis, ſervitius ſua pretio, libertatem etiam civilem confirmaſſe.* Sed verba Pauli audiamus, quibus honeſta illa & civilis libertas nobis præcipitur, non ſolum Evangelica: *Servus vocatus eſt? Ne ſit tibi cura. Sin autem potes liber* civilem confirmaſſe. Scio quosdam viros doctos hujus ſæculi *libertatem civilem* nominaſſe, & à *perſonali* diſtinxiſſe; ſed nulla ratione, nec veterum prudentium auctoritate. *Perſonalem libertatem* vocarunt, quæ dominium privatum excludit; ut, cum ſervus fit liber, *perſonalem libertatem* acquirere illis dicitur. Sed quomodo cum hoc ſenſu diſcernetur à civili? Perſonale vulgo opponitur reali, ut actiones, quæ in perſonam, dicuntur perſonales; quæ in rem, reales. Sic perſonas & res diſtingui moris eſt. Quod civile & perſonale non item. Nam & cives perſonæ ſunt, & per civilem illi libertatem intelligunt univerſorum civium, qui in Republica libera vivunt. Atqui ſinguli cives perſonali libertate fruuntur, quæ etiam dici poteſt civilis, quia ut civis eam obtinet. Plures fuere gradus libertatis, & ſpecies, quam ſervi accipiebant manumiſſione. Nam alii Romani cives fiebant, & poterat hæc eorum libertas *civilis* meliori jure appellari, quam univerſorum ſimul civium. Alii Latini, alii dedititii. Sed de his locus heic non eſt. Quidquid ſit, civilis libertas non ea eſſet, de qua loquitur Paulus, juxta doctorum illorum virorum diſtinctionem, ſed perſonalis, ut verba ejus docebunt. *Servus vocatus eſt. Ne ſit tibi cura. Sin autem potes liber fieri, potius utere. Pretio empti eſtis, ne eſtote ſervi hominum.* Locum Pauli produxit Miltonus, ſed more, &, quaſi jure ſuo, truncatum. Sic enim Paulus: *Servus vocatus es? Ne ſit tibi cura. Sed ſi etiam potes liber fieri, potius eo utere. Etenim qui in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini. Similiter & qui liber vocatus fuit, ſervus eſt Chriſti. Pretio empti eſtis, ne fiatis ſervi hominum.* De duplici ſervitute heic potiſſimum agitur, de ſervitute, quæ tunc temporis in uſu & more fuit, nunc non eſt, qua ſervi fiebant hominum, & de ea, qua ſervi Dei efficimur. Inde quoque duplex libertas conſequitur, una juris civilis, ut inſcite garrit vervecinum pecus, & Evangelica, ſed naturalis & ſpiritualis. Servitute illa, qua Dei ſervi ſumus, liberti Dei reddimur, & libertatem ſpiritualem adipiſcimur, quæ nos ſervitute peccati & mortis exſolvit, & à Deo quaſi manumittimur. Quos autem homines manumittebant, eos libertos ſuos faciebant, & libertatem illi conſequebantur naturalem, hoc eſt, eam, quam amiſerant, à natura ſibi datam, recuperabant. Paulus toto illo capite inſinuat, ut in qua quisque ad fidem Chriſti vocatur, in ea maneat.

Sic

Sic enim in verſiculo, qui proxime præceſſit, *Unusquiſque in qua vocatione vocatus fuit, in ea maneat.* Tum ſequitur ſtatim : *Servus vocatus es? Ne ſit tibi cura.* Si mancipium es alicujus, cum vocaberis ad communionem Eccleſiæ Chriſti, conditio tua ſervilis, in qua poſitus es, cum vocavit te Chriſtus, ne te moveat. Ex quibus conſtat, tantum abeſſe, ut Chriſtus πολιτειῶν civilium rationem adventu ſuo mutatam voluerit, ut ne quidem quidquam in familiis privatis, & earum adminiſtratione aliquid innovari præceperit. De ſervis ibi loquitur ære emptis, qui in ſervitute erant apud dominos, qui illos pretio ſibi paraverant. Monet igitur Apoſtolus, ut ſi quis in tali conditione, qua ſervitutem ſervit, vocatus fuerit, ut ne id curæ habeat, nec ea de re ſit ſollicitus, aut anxius. Si potes bene & fideliter ſerviendo impetrare à domino tuo, ut te manumittat, & libertate donet, hoc potius utere. Alio etiam modo, ut liberi fierent à Dominis ſuis obtinebant ſervi, cum eis poterant pretium perſolvere, quanti empti fuerãt. De utroque modo, quin intellexerit Paulus, non dubito. Omnino autem de ejuſmodi ſervis, quales tunc fuerunt, & de tali ſervitute, quæ uſitata in eo tempore fuit, Apoſtoli verba illa eſſe explicanda, nemo eſt adeo ignarus veterum morum, qui non videat. Solus Miltonus, ignorantiæ & improbitatis horrendum monſtrum, id aut neſcivit, aut neſcire ſe ſimulavit, ut ad ſcopum ſuum collinearet. Non de ſervitute generaliter ſumpta, qua quilibet homines quorumcumque dominorum, Regum, aut potentum, principumve imperio ſubjecti ſunt. In ea ſervitute qualicumque hærentes ad libertatem honeſtam & civilem adſpirare hortatur, quaſi ex monitu Apoſtoli, & Chriſti præcepto. In quo quantopere avius à veri abeat regione, dici non poteſt. Niſi potius improbitas ſit, qua ſciens prudensque non ipſe errat, ſed alios in errorem inducere contendit. Verbit autem illis Pauli, *Pretio empti eſtis, ne eſtote ſervi hominum,* non ita ſunt accipienda, ut funginum hoc caput exiſtimat, quaſi Chriſtus pretio ſervitutis ſuæ nobis libertatem etiam civilẽ confirmaverit. Sed ex more quoque veterum, qui tunc & apud Romanos, & apud Judæos obtinuit. Vult Paulus, ut unusquiſque in ea conditione maneat, qua vocatus eſt: ſi circumciſus, ne præputium adducat: ſi ſub præputio, ne circumcidat, hoc eſt, ne Judæus fiat. Ad eumdem modum, qui ſervus vocatur, ut ſervus manere non dedignetur, niſi ſi poſſit fieri liber, honeſta, ut diximus, & legitima ratione, aut pretiũ ſuo Domino perſolvendo, aut obſequiis & fidelitate demerendo. Non fuga, aut cæde dominorum. Nihil enim tale præcipit Paulus. Adjicit Apoſtolus, eum, qui vocatus eſt ſervus, hoc eſt, in ſervili conditione manens, ſit libertus Chriſti, id eſt, libertatem ſpiritalem conſequitur, à peccato,

& peccati pœna liberatus, *Qui liber vocatus fuit, ſit ſervus Chriſti*, Chriſti nempe doctrinam amplectendo, præcepta ejus ſervando, crucem ejus portando, quæ ſervitus eſt etiam ſpiritalis. Ut ſervi autem ſibi eſſemus, Dominus nos ſanguinis ſui pretio redemit; ut domini terreni ſervos ſibi faciunt, quos captivos pretio ſuo redimunt. *Pretio empti eſtis, ne fiatis ſervi hominum.* Chriſtus vos ſanguine ſuo emit, & ſervos ſuos fecit, ne fiatis ſervi hominum, hoc eſt, in ſervitutem vos hominibus mancipetis. Quod erat tunc tralatitium. Nam multi ſe vendebant ad pretium participandum. Quidam etiam ſe laniſtis & magiſtris auctorabant, ad depugnandum cum beſtiis, aut aliis gladiatoribus, in ſpectaculo publico, cum ædiles, aut prætores munus populo edebant. Hæc auctoratio venditio erat, & jurabant in verba laniſtæ, eique ſe ſervos addicebant, ad omnia quæ vellet patienda, uri, ferro ſecari. Unde illa Horatii:

Quid refert uri virgis, ferroque ſecari?
Auctoratus eas?

Hæc omnia igitur Pauli eodem pertinent, ut in qua quis conditione ad fidem vocetur, eam retineat: ſi ſervus, non ob ſervitutem, quam patitur, ſollicitus ſit, nam libertus eſt Chriſti: ſi liber ſit, ne ſe hominibus mancipium det, vendendo ſe, quia ſit Chriſti ſervus, pretio ejus, id eſt, ſanguine, emptus. Tantum igitur abeſt, ut ſervituti, qua cives ſuis Regibus & Magiſtratibus ſummis ſubjecti ſunt, quidquam derogatum voluerit Chriſtus, aut de imperio, quod Reges habent in ſubditos, diminutum, aut mutatum, ut etiam in domibus privatis dominorum jus integrum & inviolatum, tam in ſervos, quam in liberos & uxores, ſervari per Apoſtolos præceperit. Sic nec maritos à ſervitute moroſarum uxorum liberari voluit, neque uxores dominatione imperioſa maritorum. Eodem quippe capite ſcribit Paulus, poteſtatem corporis ſui uxorem non habere, ſed virum: ſimiliter nec virum ſui, ſed uxorem. *Mulier*, inquit, *corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir*; *ſimiliter & vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier.* Sed Miltonus hanc Theologiam non didicit, qui uxorem ſuam poſt annum à nuptiis dicitur res ſuas ſibi habere juſſiſſe, ob graves tantum mores; cum Chriſtus ob ſolam adulterii cauſam id fieri permiſerit. Sed bonus ille vir nihil habet, quod præferat libertati illi ſuæ civili, & honeſtæ. Idem Paulus eodem capite, ne mulierem quidem vult à marito ſuo diſcedere, etiamſi infidelis ſit, ſi modo cum ea velit vivere. Multo minus ſervos fideles à dominis ſuis recedere eo nomine, quod infideles ſint, voluit, aut iis invitis liberos fieri, cum præcipiat eum, qui ſervus

vus vocatus eſt, debere in ea conditione manere, ſi non poſſit fieri liber; ſi poſſit, non vetat. Ex quibus patet totum illud à Dominorum voluntate pendere, ſtatuiſſe Apoſtolum. Igitur ſi uxores fideles à viris infidelibus divortium facere prohibet Apoſtolus, ſi ſervos, qui vocati ſunt, non vult liberos fieri contra voluntatem dominorum, licet infideles ſint. Pari ratione, immo etiam majore, ſubjecti non debent recedere ab obſequio, obedientia, & fidelitate, quam Regibus ſuis tenentur præſtare, quamvis moroſi ſint, aſperi, crudeles, addo etiam, quod plus eſt, infideles, & idololatræ. Quod adeo tunc certum, & indubitatum, minimeque adeo controverſum viſum eſt, ut de eo monere ſuperfluum duxerit Apoſtolus, aut præceptum ſuper eo ſpeciale Chriſti diſcipulis tradere, ut nefas eſſet de eo dubitare. *Et formam quidem ſervi*, pergit Miltonus, *noſtra vice ſuſcepit, animum vero liberatoris ſemper retinuit.* Euge, dic nobis in qua Academia Theologiæ operam dediſti! Magnos ſane in ea progreſſus feciſſe te oſtendis. Servi formam aſſumpſit Chriſtus noſtra vice. Ergo ſervi eramus. Quorum Dominorum? Peccatorum noſtrorum, & vitiorum. Venit in hunc mundum, ut in libertatem nos aſſereret, nempe ab illa ſervitute peccati, & mortis, cui obnoxii ante fuimus. Ergo revera noſter liberator fuit, non tantum animum liberatoris retinuit. Si vero ad illam tuam fatuam libertatem civilem nos vocas, & de ea intelligis, cum ais Chriſtum animum liberatoris ſemper retinuiſſe, quomodo retinuit, ſi reipſa & effectu eum ſe habere nunquam oſtendit? Ubi vero, aut quando, aut quibus modis id oſtenderit, tuum erit probare. Nos enim contrarium aſſerimus. Nam exemplo ſuo, quid ſui tenerentur diſcipuli facere, declaravit, dum omnia quæ fideles ſubjecti præſtare debent, diligenter exequutus eſt; ſub Tyranni imperio naſcendo, qui naſci poterat ſub Republica, legibus civilibus illius imperii ſe accommodando, uſque ad judicium capitis, & crucis ſervile ſupplicium, quod pati non recuſavit, tributa, & cenſum, quamdiu vixit, ſolvendo. Jam heic ſumus, & hoc ipſum eſt, unde Regium jus quid ſit, longe aliter Chriſtum docuiſſe, Miltonus nobis demonſtrare ſtudet, quam Salmaſius fecit. Quod autem magis mirum eſt, iiſdem teſtimoniis, quibus Regii juris abſolutam licentiam Salmaſius adſtruere conatus eſt, eam Miltonus deſtruet. Infelici ſucceſſu jam id in ſuperioribus tentavit: an meliorem nunc ſperare heic queat, mox videbimus. Locus eſt ex Matthæi ſeptimo, ubi tributi exactores à Petro, & à Chriſto, didrachma poſtulant tributi nomine, quod ſinguli penſitabant. Summa argumentationis Miltoni huc redit, non eſſe juris Regii, tributa graviora exigere, præcipue à filiis, & liberis. Non auſus eſt ſimpliciter dicere, *Tributa exigere.* Nam ſciebat ſe nullo negotio poſſe refelli, cum maxime proprium ſit juris Regii, tributa, & vectigalia populo

im-

imponere. Duo igitur, quæ excipit, & quæ colligi putat poſſe ex illo Matthæi loco, *Reges non debere graviora tributa exigere,* & ſi exigant, debere ab his immunes eſſe ac liberos Regum filios: Chriſtianos autem omnes, qui filii ſunt Chriſti, ipſo auctore liberos eſſe. Ergo nemo Chriſtianus tenetur tributum Regi ſolvere. Hæc eſt ejus ratiocinationis ſumma, quæ nulla nititur ratione, ſed præcipuam ubique ἀλογιστίαν præfert. Si à gravioribus tributis tantum liberi ſunt filii regum, non ſunt utique omnino à tributis ſolvēdis immunes Ut hoc demonſtret fingit id quod non eſt, Chriſtum nempe, cum à Petro exigeretur didrachma, de illis loqui, tanquam quæ nimis grave ipſi eſſe tributum videretur. *Hoc autem,* inquit, *tributum per ſe exiguum, multis aliis adjunctum grave erat.* Quæ omnia inepta, falſa, ἀσυλλόγιστα. Ne verbo quidem Chriſtus ſignificavit, aut innuit grave illud fuiſſe tributum, neque etiam grave fuit. Cur gravia eſſe videantur, adfert rationem perquam fatuam. *Gravia autem fuerint, oportet, de quibus heic Chriſtus loquitur. Alioquin in Republica etiam pauperes capite cenſi fuerunt.* Si non ubique imperitiam ſuam proderet, rumperetur. Appoſite ſane ad rem. Quid iſti *capite cenſiti* in jure noſtro coloni, qui eas dependebant. At hi diverſi fuere à *capite cenſis* Reipublicæ. Sic enim appellati, qui nullo, aut præparvo ære cenſebantur, hoc eſt, qui nihil æris, aut admodum, in cenſum deferebant. Et ſic diſtinguebantur à claſſicis & idoneis civibus, id eſt, ditioribus, qui priores claſſes occupabant, quique plurimum æris in cenſum deferebant. Proletarii ſupra capite cenſos mille quingentum æris in cenſum deferebant, hique pauperrimi illorum civium erant, qui aliquo ære cenſebantur. At ex iſtis capite cenſis, qui nullum cenſum habebant, quo cenſerentur, vult videri Miltonus grave admodum illud fuiſſe tributum binarum drachmarum, quod in ſingula capita pendebatur. Quo nihil poteſt fingi falſius aut ineptius. Sed quid hoc totum, quod diſputat ex illo Matthæi loco, contra jus Regium facit, quale à Salmaſio ſtatuitur? Non negat juris illius Regii eſſe, tributa imperare, de ſolis gravioribus excipit. Sed quæſtio eſt, Si Rex graviora juſto imperet, quid pati debeat? An ſecurim, & carnificem? Nos negamus, nec Chriſtus, aut Paulus id voluit. Cum enim hoc à voluntate Regum pendeat, & à Regni neceſſitatibus, prout hæ minores ſunt, aut majores, ita in arbitrio Regis eſt ad illas neceſſitates ſublevandas gravioribus interdum tributis, & vectigalibus populum premere. Quæ poſtea boni Principes ſolent remittere, ubi cauſa ceſſat, propter quam impoſita ſunt. Rabbini ſcribunt Reges Judæorum poteſtatem habuiſſe imponendi populo tributa, ſive propria neceſſitate urgente, ſive publica, cum belli gerendi ratio id requirebat. Ipſe autem bellum in-

dicere

dicere poterat arbitrio ſuo, ſine alia cauſa, quam ad dilatandos imperii fines. Nunc doceamus, quantopere ratio fugiat Miltonum, qui ex illa Matthæi relatione, & Chriſti teſtimonio Chriſtianos immunes eſſe tributorum regibus ſolvendorum argumentatur, quia Chriſto auctore filii Regum ab eorum præſtatione liberi ſunt, cui obnoxii ſoli videntur extranei. Interrogatus ab exactoribus tributorum, & cenſuum capitis, an Dominus ejus didrachmum ſolveret? ſine hæſitatione reſpondit, ſolvere. Et cum domum ingreſſus eſſet Petrus, ut Jeſu hoc ſignificaret, occupavit Jeſus, & dixit, *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus tributa, aut cenſum accipiunt? à filiis ſuis, an ab alienis? Dixit illi Petrus, Ab alienis. Ait ei Jeſus, Nempe igitur liberi ſunt filii.* Quæſtio eſt, quinam heic vocentur filii Regum, à quibus tributa & cenſum non accipiunt, & alieni, ſive extranei, à quibus accipiunt. Item quæritur, quo nomine illa didrachma exigebantur, aut cui? Ego vero non minus ad rem pertinere, & quæri debere arbitror, quæ ſint tributa aut cenſus, quorum penſitatione liberos eſſe Regum filios dixit Chriſtus. In Græco eſt, τέλη, ἢ κῆνσον. Sciendum eſt heic proprie τὰ τέλη vocari tributa, quæ agris imponuntur; cenſum, qui in capite indicitur, qui & cenſus capitis, & capitatio uno verbo dicitur. Hanc proprietatem utriuſque vocabuli optime expreſſit Tertullianus in Apologetico his verbis: *Ut agri tributo onuſti viliores, ita hominum capita ſtipendio cenſa viliora.* Inde agri tributarii, & provinciæ ſtipendiariæ, quarum homines ſtipendio cenſi erant, ſive capitis cenſum ſolvebant. Quod & Plutarchus, libro De puerorum inſtitutione, clare explicat: Τῶν ἐθνῶν, inquit, κατὰ κεφαλὴν εἰσφερόντων ἄργυρον· *Provinciarum capitis cenſum inferentium.* Provinciæ ergo populi Romani, quæ bello erant quæſitæ, ſtipendium ſive cenſum capitis penſitabant, & tributum. Arrianus, in codice Theodoſiano, onus agri, quod in lege eſt, tributum interpretatur. Hoc loco Matthæi τὰ τέλη ſunt tributa, ὁ κῆνσος eſt ſtipendium, vel cenſus capitis, quod Græci vocant ἐπικεφάλαιον. Et falluntur viri docti ad hunc locum, qui notant τὰ τέλη eſſe, quæ in capita indicebantur: cenſum vero, quæ agrorum nomine impoſita. Si vices verteris, verum dixeris. Tributo onerati Provincialium agri fuere: homines vero capita ſtipendio cenſa, ut loquitur Tertullianus, id eſt, cenſui capitis obnoxia. Utriuſque immunes erant cives Romani, ut urbs Roma olim, & pars Italiæ, quæ intra centeſimum ab Urbe lapidem claudebat, & ſub juriſdictione Præfecti Urbis erat, quæ Urbicaria, & Suburbicaria vocabatur. Reliqua Italia, ultra centeſimum, an-

nonaria

nonariæ tantum functioni obnoxia fuit,non tributis,nec cenſui capitis, ſive capitationi. Inter provincias Aſia hoc privilegii habuit, ut ſtipendia homines ejus non cenſerentur, nec capitationem præſtarent, ſed annonarias tantum ſpecies penſitabant, & certum de frugibus modum, qui lege cenſaria locabatur exigendus, & pro annonæ ubertate,aut inopia, modo parcior erat, modo abundantior. Ne ſub ultimis quidem Imperatoribus provinciæ Aſiæ capitationem agnoſcebant, ut neque plebs urbana, tam Romæ, quam in Orientalibus provinciis, item Lycia, & Pamphylia, quæ erant Provinciæ Aſianæ diœceſeos, ut conſtat ex lege unica Codicis *De capitatione civiũ cenſibus eximenda.* Solæ igitur provinciæ,bello ſubactæ,excepta Aſia, tributa,& cenſum, ſive ſtipendium, pendebant. Agri eorum tributarii: homines ſtipendiarii,vel capite cenſiti. Cives tamen Romani etiam ſub libera Republica præter vectigalia genus quoddam tributorum conferebant, quæ *Ultro-tributa* vocabantur. Hæc voluntaria fuit contributio, ut nomen ipſum indicat, ad neceſſitates publicas ſponte à civibus inferri ſolita, cujus exactio etiam locabatur à cenſoribus, ſicut ex Livio conſtat, ubi loquitur de cenſura Marci Porcii Catonis,& Valerii Flacci. *Vectigalia ſummis pretiis,ultro-tributa infimis locaverunt.* Quod enim hæc *Ultro-tributa* à volentibus tribuebantur,& pro modo facultatum uniuscujuſque, ideo cenſores infimis pretiis ea locabant, ne nimis acerbe à publicanis exigerentur. Hodieque hæc *ultro-tributa* vocamus *deniers d'octroi,* id eſt, *pecuniam ultro-tributionis.* Nam verbum noſtrum *octroier,* quod eſt *concedere,* factum ex Latino *ultro-tribuere.* Inde explicandus & Seneca, cum dicit *Virtutem nec lucro invitari, nec damno abſterreri, adeoque neminem ſpe ac pollicitatione corrumpere, ut cuncta in ſe impendere jubeat, ac ſæpius in ultro-tributis ſit. Non ſolum in ſe impendit, ſed ultro etiam in alios liberalis,ac de ſuo donat.* Quod ad hæc ultro-tributa attinet, quædam Regni Gallici provinciæ, quæ aliter imperio adjunctæ ſunt, quam bello,& vi armorum, hanc prærogativam habent, ut ex trium ordinum conſenſu, & pro viribus provinciæ,quod poſſe ſe putet præſtare, Regio fiſco pendat. Cæteris provinciis, quæ bello acquiſitæ ſunt, tributa imperantur, arbitratu eorum, qui nomine Regis his contributionibus præficiuntur. Atque hæc obiter. In Romano vero Imperio, ubi omnes provinciæ civitate donatæ fuerunt, quod lege Antonini factum, omnia hæc diſcrimina ſublata ſunt, & univerſæ provinciæ ex æquo, annonarias functiones, & tributa,& capitationes penſitare coactæ ſunt. Nondum tamen ſub Auguſto id obtinebat. Neque tamen verum eſt, quod heic Miltonus perhibet poſt alios quoſdam, in hoc loco Matthæi opponi cives naturales, ut vocantur, populis bello ſubactis. Non minus ſtultum eſt,ac delirum, quod vult, Herodi hæc didrachma perſoluta, interverſo Sanctuarii reddituNam

per

per Veſpaſianum poſtea interverſum conſtat, templo everſo, & didrachmo, quod in uſum Templi pendebatur ab Iſraëlitis omnibus, in Capitolii redditum converſo. Gratis ergo hoc ab illo jactatur; neque tamen hilum ad rem ejus facit, ſi quis hoc illi conceſſerit. Sed nec de eodem cenſu hæc intelligenda, ſive capitatione, de qua in ejuſdem Matthæi XXII. ſcribitur. Ibi enim denarius Romanus Cæſaris imagine ſignatus νόμισμα κήνσου appellatur, & diverſus eſt ab hoc didrachmo. Reſtat, ut exponamus dictum Chriſti de filiis Regum, qui cenſus capitis, ſive capitationis, & tributi cujuſcumque immunes ſunt. Improbus Miltonus hanc immunitatem ad perſonam Petri transfert, cum de ſe Chriſtus eam intellexerit. Sed ut poſſet inde concludere, ſe, id eſt, Anglos ſuos, ſive quatenus Chriſtianos, debere eſſe liberos. Ita enim ſcribit: *Certiſſimum eſt, ſi filius fuit Chriſtus, & proinde liber, nos etiam, auctore Chriſto, liberos eſſe, vel ut cives, vel ut Chriſtianos. Non eſſe ergo juris Regis à filiis, & liberis tributa graviora exigere.* Non poteſt non falſiſſima eſſe concluſio, quæ ex præmiſſis adeo falſis confecta eſt. Nihil non fictum, ſtultum, ac delirum in hac ejus argumentatione. Primum, ut diximus hæc perſonam Petri non reſpiciunt, ſed Chriſti. Exactor, qui Petrum acceſſit, & ab eo quæſivit, an Magiſter ejus didrachmum ſolveret, de Petro ipſo non dubitavit, ſed de Chriſto. *Acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt, Magiſter veſter non ſolvit didrachma? Ait, Etiam.* Et ſtatim hoc nuntiavit Jeſu Petrus. Tum Jeſus interrogavit Petrum, quid ei videretur, Reges terræ, à quibus acciperent tributa, aut cenſum, à filiis ſuis, an ab alienis? Cum Ab alienis reſpondiſſet, neque enim aliter poterat; nihilominus tamen Jeſus voluit illud ſolvere. Per *filios Regum* intelligemus, ſi Miltono credimus, cives, qui Regi ſubjecti ſunt. Rex parens eſt patriæ, ita enim ſe dici cupiunt. Ergo cives, eorum filii. Immo, Miltone, ut Reges *Patres Patriæ* appellantur, ita cives Patriæ filios decet nuncupari. Sic paterfamilias cum dicatur, filii familiæ vocitantur. Sed audiamus verba belluæ belle ratiocinantis. Herodes graviore tributo populum ſuum, id eſt, Galilæos, preſſerat. *Hinc itaque Chriſtus Herodis injuſtitiam arguendi, cujus ſub ditione erat, occaſionem cepit. Qui, cum cæteri Reges terræ, ſiquidem Patriæ Parentes ſe dici cupiant, non filiis, id eſt civibus ſuis, ſed alienis, bello nempe ſubactis, graviora tributa imperare ſoleant: hic contra, non alienos, ſed filios opprimeret.* Hæc omnia ad libidinem conficta, ſtulta, nugatoria, & bonæ mentis, ac rationis vacua. Herodis filii, homines Tetrarchiæ ejus ſubjecti. Eos preſſit graviore tributo. Quali? binarum drachmarum in ſingulas familias. Grande ſane onus, & vix ferendum pauperrimo! Decem nempe ſtufferi monetæ Hollandicæ; ſive duæ regales

Hiſpaniæ,

æ. Hos pauper alicunde non potuit corradere, ut binas
as, nomine tributi ſemel in anno ſolvendi, penderet.
ccaſionem Chriſtus arripuit eius injuſtitiam arguendi.
æ ſunt maximæ, ſed Miltono dignæ. Exactores illi, qui
cenſuum, quem ad manum habebant, ut inde ſcirent
familiarum, & perſonarum, à quibus petendum erat
mum, non ignorare potuerint, Jeſum filium Mariæ, &
fabri, ut putabatur, utque etiam in cenſum relatus fuit,
u, qui actus eſt ex edicto Auguſti, ut per omnes Impe-
incias, ita etiam per totam Judæam, & provincias vi-
Joſephus cum Maria ſponſa, quæ prægnans tum erat,
tum fuit in urbe Bethlehema, ex qua oriundus erat, ut
mo, & familia Davidis. Ipſe Jeſus ſemper ab omnibus,
ſari inter homines cœpit, appellabatur Filius Davidis.
itur è genere eſſet Regio, & id non eſſet ignotum ex-
s capitationis, ea de cauſa quæſierunt à Petro ejus Di-
an ſolveret didrachmum, cujus videbatur immunis, quia
e domo Regia Davidis? Tota autem poſteritas cujus-
gis, tametſi regnum ab ea receſſiſſet, iiſdem ferme pri-
, & prærogativis fruebatur, quarum compos erat, cum
t. Reges Judæorum ita partiebantur bona devictorum
ſtium cum exercitûs ducibus, ut prædiorum duodeci-
rtem tollerent, ſpoliorum dimidiam, & de pecunia nu-
, & Theſauris totum. De terris cum, ut dixi, unciam
t, hoc jus ad filios ſuos tranſmittebant, uſque in ſæcu-
Rabbini tradunt. Multo ergo magis poſteri eorum
es tributorum, & cenſûs fuerint. Illud vero certum eſt,
domum ubique terrarum liberam fuiſſe à præſtatione
ium, & tributorum. Multis ex legibus Codicis liquet,
Auguſtam, & patrimonium Auguſtorum, eam tributo-
omnium publicarum functionum, tam annonariæ rei,
uri & argenti, immunitatem habuiſſe. Hi ſunt, quos
Regum appellat Chriſtus, & quos liberos eſſe à tributis
cum ab alienis tantum, id eſt, aliis civibus, & ſubjectis
ent exigi. Cum ſciret, exactores dixiſſe Petro, *Magiſter*
rachma non ſolvit? & quid Petrus reſpondiſſet, vel priuſ-
ac ab eo intellexiſſet, etiam non ignoraret. Sic cum
gavit, ut ibi habetur, ut Petrus videret, & omnes cum eo
li, tantam ſe humilitatem in omnibus rebus oſtendere,
nvis de Regis genere eſſet, quamvis Filius Dei, ſibi ta-
eſſe exequendum in hoc mundo, cuius gratia miſſus à
uerat, & eo etiam modo efficiendum. Hoc enim pro cæ-
is factis fecit, & ut ſibi ad finem uſque per omnia con-
perſolvit tributum, quod non debebat, utpote Davi-
gis filius, ſervi formam ſuſcepit, ſe judicio humano ſub-
upplicium ſervile paſſus eſt. Non ergo id voluit Chriſtus
docere

docere juris Regii non eſſe à filiis & liberis tributa graviora exigere, cum dixit tributa filiis regum minime imperari, ſed alienis, ſed abſolute jus non eſſe ut à filiis regum, id eſt, ab iis, qui genere regio orti eſſent, ea exigi. De gravioribus tributis id non intellexit, ſed ſimpliciter de omni tributo, etiam leviſſimo, immunes ejus eſſe debere regias familias, & Regum poſteros, ut ipſe erat. Perſolvit tamen, quia ex officio & munere, quod implendum habebat, infra omnes ſe homines abjicere, & humilitatem teſtari & profiteri vel infimis vix cognitam. Ex his perſpicuum eſt, quam longe à ſcopo ſuo aberravit Miltonus, dum de jure Regio diſputantem heic nobis Chriſtum inducit, *& negantem jus Regium eſſe, graviora vectigalia liberis imponere.* Immo negavit ille, tantum jus eſſe à filiis Regum, tributum vel cenſum omnino exigere. Quod eſt veriſſimum, ſed nihil inde parari, quod Miltonus in rem ſuam poſſit convertere. Paulus non fuit ergo Chriſti Apoſtolus, nec mentem Magiſtri ſui & Domini intellexit, cum in Epiſtola ad Romanos hæc poſuit: *Reddite igitur omnibus, quod debetis: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. Certe,* inquit, *ſpoliare, diripere, occidere, excruciare proprios cives, & præſertim Chriſtianos, jus eſſe Regium multo evidentius negat.* Non video, ubi hoc negaverit de Regibus, ſed p[illegible] inculcat, & per ſe, & per Diſcipulos ſuos, raptores, homicidas, & id genus omne, Regni cœleſtis non compotes eſſe futuros. Hoc jus tamen Regium, quod in ſpoliando, diripiendo, occidendo, non tantum plebeïos & Chriſtianos cives, ſed ipſos Reges verſatur, nemo eſt, qui melius exercuerit unquam præ illis, quos tu defendis. Unus inter omnes Cromwellius hujus Regii juris ſcientiſſimus, non ſolum θεωρίᾳ, ſed etiam πράξει. Feſtivum etiam eſt, quod ſtatim adponit Miltonus, *Chriſtum hunc in modum de jure Regio cum ſæpe alias diſputaſſet, venire in ſuſpicionem quibusdam cœpiſſe, non ſe Tyrannorum licentiam pro jure Regio habere.* Pudet me cum hoc fabulatore & nugatore agere, qui nihil loquitur, quod mentis bonæ, vel ſenſûs communis, vel rationis quidquam habeat. Ægrorum ſomnia & anicularum næniæ majorem præ ſe ferunt veriſimilitudinem. Fingit quod nuſquam eſt, ea dicit, quæ nullus febriculoſus, vel Fanaticus hariolus poſſit confingere. *Chriſtus diſputat de jure Regio. In ſuſpicionem ex eo venit Phariſæis, quod Tyrannorum licentiam pro jure Regio non haberet. Non id de Regio jure ſenſit, quod Regibus gratum erat.* Ubi hæc picta vidit, aut ficta? *Id,* inquit, *ex reſponſo ejus apertiſſime colligitur, quo ille percontatores amandare à ſe potius, quam docere videtur. Poſcit numiſma cenſus. Cujus,* inquit, *imago eſt iſta? Cæſaris. Reddite ergo Cæſari quæ ſunt Cæſaris, quæ Dei ſunt, Deo.* Non probat Miltonus iſtud reſponſum Chriſti, quia minus plenum eſt. Omiſit, quod præcipue & primo quidem loco ponere debuit,

debuit, *Reddite populo, quæ ſunt populi.* Ne me putetis vobis imponere, ecce ipſa belluæ profanæ verba, quæ verbis Chriſti ſtatim ſubjunxit, ut ea redargueret: *Immo quæ populi ſunt, populo reddenda eſſe quis neſcit?* Ut magiſtrum refutet, auctoritatem prætendit Diſcipuli, Pauli nimirum, reddendum eſſe omnibus, quod debetur. Ergo & populo. Videamus Fanatici verba: Reddite omnibus quod debetis, inquit Paulus XIII. ad Romanos. Non ergo Cæſari omnia. Optima conſequentia. Paulus dixit, *Reddite omnibus quod debetis. Ergo non Cæſari omnia.* Immo, frutex, ergo non Cæſari tantum quod debetur, reddendum eſt, ſed etiam aliis, quod illis debetur. De populo nihil ibi Paulus. Quid igitur populo reddemus, quod illi debetur? Cur oblitus es id hoc loco commemorare, cum tanto animi calore verbis Chriſti addenda illa eſſe contenderes, *Et quæ populi ſunt, populo?* Cum illa haberes ſub acumine calami, & jam de cerebro tuo exiſſent, repente in auras, vaporis inſtar aut fumi, evanuerunt. Satis habuit probare illo Pauli teſtimonio, *non omnia Cæſari eſſe reddenda.* Cum ille ibi tantum præcipiat, omnibus debita eſſe reddenda. Sed de loco Pauli paulo poſt, nunc de Chriſti verbis agamus, ubi, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari eſſe reddenda, quæ Dei, Deo, pronuntiat. Herodiani quidam, id eſt, ex aula Herodis domeſtici, cum Phariſæis juncti, dolo Chriſtum aggreſſi ſunt, ut ei capitis periculum crearent vel ab Herode, vel à Cæſare, prout reſpondiſſet ad interrogata. Petierunt igitur ab eo, ân Cæſari cenſum dare licitum foret? ſe eum ſcire, qui ex animi ſententia eſſet reſponſurus, ut qui veridicus eſſet, nec perſonam cujusquam reſpiceret. Vidit Chriſtus qua mente hoc rogarent, & ſcito acutoque reſponſo improbitatē eorum eluſit, ſatis aperte dicendo quid ſentiret, ſic tamen ut occaſionem illi inde accipere non poſſent, eum perdendi, id quod captabant. Inſpecto igitur nummo, in quo cenſus ſolvebatur, denario nempe Romano, qui imaginē Cæſaris habebat, reſpondit, quæ Cæſaris eſſent, eſſe reddenda Cæſari, & proinde tributum ei dandum eſſe, cujus nimirum ille nummus eſſet, in quo cenſus penderetur. Omnes, qui hactenus Regum auctoritatem propugnarent veteres ac novi Scriptores, hoc telo uſi ſunt ad eam confirmandā. At tanta eſt Miltoni inſania, ut idem telum credat conjici poſſe ad evertendum. Quod idem eſt, ac ſi quis ignē ad urendum, & ad congelandum vellet adhibere. Quid autem in illo Chriſti reſponſo, quo ſe licentiam Tyrannorum pro jure Regio non habere oſtenderit? Quid quod Regibus gratum non eſſe arguere quis poſſit? Fatetur ipſe, Regii juris eſſe, tributa imperare, dum ne graviora juſto imperentur. At heic Chriſtus ſimpliciter reſpondit, cenſum capitis Cæſari eſſe dandum. Non minore inſania, immo magis etiam ſtupenda, locum Pauli ex Epiſtola ad Romanos adduxit, ut jus

illud Regium infirmaret, quo uno maxime poteſt ſtabiliri. Toto illo fere capite XIII. Epiſtolæ ad Romanos Apoſtolus vel ab ejus principio nihil agit aliud, niſi ut inculcet ſuis ſubjectionem & obedientiam præſtandam ſummis & ſupereminentibus poteſtatibus, id eſt, Regibus, vel cum poteſtate Regia & ſuprema imperantibus. Qui illis reſiſtit, divinæ ordinationi reſiſtere, & per hoc damnationem in ſe accerſere. Nullam eſſe poteſtatem, niſi à Deo, & quæ tunc imperarent, inde quoque eſſe. Et cum ad Romanos illa Epiſtola ſcripta ſit, non potuit alias poteſtates ſupereminentes, quibus eos ſubjici præcipit, intellexiſſe, quam de Romanis Imperatoribus. Dei eſſe miniſtrum dicit,& gladium habere, ut malos puniat. Ad quem hæc pertinent, niſi ad Imperatorem? Sed nec minus illa, quæ ſequuntur, *Ideo enim & tributa præſtatis: Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſi laborantes.* Cui enim alii tum tributa præſtabantur, quam Imperatori, præcipue à Romanis,ad quos hæc Epiſtola, quibusque adeo hoc præcipitur? Sequitur continuo, *Reddite igitur omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Sed cui reddendum eſt tributum, cui vectigal, niſi Cæſari? Nonne & honor ipſi reddendus erat debitus? *Deum timete,* inquit Petrus, *Regem honorate.* Metuendum quoque eſſe, paulo ante ſcripſit Paulus, Φοβοῦ, οὐ γὰρ εἰκῇ τὴν μάχαιραν φορεῖ· *Time illum, non enim ſine cauſa gladium gerit.* In hac eadem Epiſtola bis tributa & vectigalia Cæſaribus reddenda eſſe docet, de populo ne verbum quidem. At Miltonus ex hoc ipſo loco magno cum fervore in has voces erumpit. Immo, quæ populi ſunt, populo eſſe reddenda quis neſcit, cum Paulus reddenda omnibus, quæ debentur, ſtatuat? Ego certe ſum, qui neſcio, donec id me docueris. Reddam illi eadem omnia, quæ Cæſari, cum dominabitur, ut facit in Republica libera. Et tum quidem tantummodo, cum in concionem congregantur ad leges ferendas, aut de re ſumma aliquid ſtatuendum. Sed quid ego debeo, Petro Muſcæ, Gulielmo Talpæ, & Johanni Papilioni; illi, cerdoni; alteri,ſartori? Sed dic, ſodes, Miltone, an veſtrum Parlamentum populo reddidit, quod illi debebatur, cum graviſſimis eum contributionibus oppreſſit? Ne Cæſari quidem ſuo, quæ debebantur, reddidit, cum carnificem illi dedit. Sed fateor ſane, iſti Parlamento Cromwellium reddidiſſe, quod ei debebatur, cum uno verbo ex eo loco, in quem convenerit de ſummis rebus deliberaturi, quaſi pecudes è ſtabulo ejecit, & in poſterum eos exauctoravit: Cromwellio ipſi alii poſtea, ſi Deus volet, quod ei quoque debetur, reddent. *Non ergo Cæſari,* inquit, Miltonus, *omnia reddi oportet.* Hoc confiteor, non enim

illi omnia debentur, nec ejus ſunt omnia. Nam quæ Dei ſunt, Deo eſſe reddenda ipſe Chriſtus dixit. Ergo quæ Dei ſunt, Cæſari non ſunt danda. Pergit Miltonus. *Libertas noſtra non Cæſaris, verum ab ipſo Deo natale nobis donum eſt.* Profecto alia Cæſaris libertas, alia noſtra eſt. Noſtra, Cæſaris non eſt; quæ Cæſaris eſt, non eſt noſtrum. *Ab ipſo Deo natale nobis donum eſt.* Et quam Cæſar habet libertatem, ab ipſo quoque Deo natale donum habet. Libertatem ille à Deo accepit, nobis imperando, nobis ſola parendi facultas dono Dei conceſſa eſt. Et libere quidem & ſponte parere ei debemus, cui nos ille voluit ſubjici, non coacte. Hæc noſtra libertas eſt. Cum officium noſtrum facimus, liberi ſumus, neminem timemus, & nihil. Mali & rebelles cives ſemper metuunt, quod meruere. *Quam male eſt,* inquit ille, *extra legem viventibus, ſemper quod meriti ſunt, expectanti?* Hoc etiam eſt, quod Paulus in ea Epiſtola dixit; *Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium Rex gerit.* Qui malum fecit timet, qui timet, liber non eſt. *Vis autem*, ait ibidem idem Apoſtolus, *non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Petrus quoque eodem ſpiritu, quo Paulus, inſtinctus, & eadem Doctrina inſtructus, ſubjectos nos eſſe vult, primum Regi & ſupereminenti, deinde & præſidibus, quos mittit ad ultionem facinoroſorum. Hanc eſſe Dei voluntatem ait, & nos quod ille vult, facere debere, ὡς ἐλεύθεροι, tamquam liberos, & non tamquam malitiæ prætextu libertate abutentes, ſed ut ſervos Dei. Qui ſervus eſt Dei, facit ejus voluntatem, & quidem cum vera libertate, non ſimulata, nec adumbrata malitiæ velamine. At Dei voluntas eſt, ut ſubjecti ſimus Cæſari, ſive Regi, & obedientiam ei præſtemus. Duobus locis in eadem Epiſtola hoc præceptum inſinuat, de ſubjectione, ſive ὑποταγῇ. Initio Epiſtolæ, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta ſit.* Et Paulo poſt, Διὸ καὶ ὑποτάσσεσθαι ἀνάγκη *Quapropter ſubjici neceſſe eſt, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Petrus dixit, *Propter Deum*; quia Dei hæc voluntas, ut ſubjecti ſimus Regi. In ſignum ſubjectionis, tributa ei pendimus. Et pendi vero debere, tam Chriſtus, quam Paulus docet. At ſubjectio, ſive ὑποταγὴ, libertati oppoſita. Ubi Regis eſt imperium, ibi libertas non eſt ſubjectorum. Regnum & libertas non morantur in eadem ſede, & ſemper diſtinguntur. In veteri lege Reges paſſim Domini audiunt, & eorum eſt dominatio; ſubjecti ſervi ſunt, & ſervire dicuntur. Inde liberæ Reſpublicæ, & liberi populi, qui ſub Regibus non ſunt. Non liberi ergo, qui ſub Regio ſunt imperio. Qui libertatem igitur hanc aſſerunt, Reges tollunt. Hæc mens Miltoni, cum ait, *Eam libertatem Cæſari cuivis reddere, quam ab eo non acceptimus,*

cepimus, turpiſſimum eſſet, & humana origine indigniſſimum. Cæſares itaque nullos eſſe vult, nullos Reges, cum libertatem etiam tantopere defendit, ut nulli Cæſari dandam eſſe cenſeat. Cur hoc? Quia eam à Deo accipimus. At Deus ipſe & Chriſtus tam per Prophetas in veteri, quam per Apoſtolos ſuos in novo fœdere, illam ipſam libertatem Regibus eſſe ſubjiciendam mandavit. *Hoc etiam humana origine indigniſſimum.* At idem Deus, qui primum hominem creavit, primum etiam Regem conſtituit, & proinde libertatem etiam noſtram Regiæ dominationi ſubjecit. Primos quippe Reges patres familias fuiſſe, jam ante certa ratione probatum eſt. Atqui inter eos primus omnium Adam, ut pater, ita & Rex. Omnes deinde Patriarchæ hoc idem imperium & vere Regium in ſuas quiſque familias, id eſt, liberos & ſervos, habuere. Ne hoc quidem ignoratum gentium ſcriptoribus, qui omnes conſentiunt, hanc formam gubernationis primam omnium inter populos extitiſſe. Cicero III. de legibus: *Omnes antiquæ gentes Regibus primum paruere.* Et Salluſtius de bello Catilinario, *Id in terris nomen Imperii primum fuiſſe.* Juſtinus, *Principio rerum, gentium, nationumque, imperium penes Reges fuit.* Ubi igitur illa tua libertas originalis, quam jactas? Si cum origine humana cœpit imperium & jus Regium, ſervitus quoque æque antiqua eſt, ac generis humani principium, & de vetuſtate poteſt certare cum libertate, atque etiam vincere. Ubi latitabat tunc temporis libertas illa tua civilis, quam donum Dei natale eſſe affirmas. Nonne Regibus erat reddenda & Cæſaribus, qui inter ipſa mundi primordia regnarunt? Sed ubi etiam illa veſtra, quam toties venditas, & quam Regis veſtri ſanguine per carnificem effuſo vobis peperiſtis? Eſtne in Parlamento, quod Regem ſuum ideo ſuſtulit, ut ea aurea libertate frui poſſet? Ergo cum Parlamenti jam ſit, à vobis eſſe Parlamento, reddendam ex tua argumentatione non ignoras. At turpiſſimum eſt, & origine humana indigniſſimum, eam, quam ab ipſo Deo natalitium munus accepiſtis, neſcio cui gregi hominum è fæce populi ſelectorum, eam reddere. Recte ergo fecit, & glorioſe Cromwellius veſter, qui homines indignos tali libertate hoc Divino dono privavit, eamque ſine æmulo ac rivali ſibi ſoli retinere voluit. Nunc penes Cromwellium eſt, & vos illam ei reddere non abnuitis, tamquam Cæſari alicui, aut Regi. Si Rex non eſt, nec Cæſar, ede quis ſit. Non audes dicere, & metuis? Unde itaque tu liber? Reſpice à tergo, & auſculta. Ecce tibi, qui in aurem inſuſurrare paratus adſtat, Tyrannus. Huic Tyranno libertatem tuam debes dare, quam Regi tuo legitimo reddere noluiſti. Renuis, & piget parere, cave Tyrannũ. Si una vocula imperioſa potuit centum & quinquaginta homines Parlamentum Anglicanum conſtituentes, in quibus reſidebat libertas illa tua civilis, & Majeſtas populi,

ab-

abſterrere & abdicare,quid tibi faciet puſillo & cœculo puſioni?
Exuet te ſtipendio tuo & munere, quod pro defenſione populi
Anglicani tibi decrevit illud Parlamentum,& iterum redibis ad
antiquam tuam & famelicam illam ludimagiſtri profeſſionem.
Egregiam & lepidam mox adfert rationem , cur omnes homi-
nes debeant eſſe liberi, id eſt, ſine imperio, ſine regimine, ſine
rege, atque,ut verbo peſtiferæ ſectæ utar , *Independentes* , quia
nempe os homini,& vultum natura dedit, & ſic imago Dei eſt.
Facetum ſane & joculare, ut hæc ratio ab illo proponitur. *Si
enim os hominis,* inquit, *& vultum aſpiciens interrogaret quiſquam,
cujus iſta imago eſſet,an non facile quivis reſponderet Dei eſſe?* Si qui-
vis ſcit, ſe imaginem Dei eſſe, quid opus ut homo quidam, ho-
minis cujusdam vultum & os videns interroget quemdam , aut
quemlibet, cujus iſta imago ſit, & quivis reſpondeat, Dei eſſe.
Se quiſque tantum in ſpeculo inſpiciat & os ſuum vultumque
contempletur, ut à ſeipſo quærat, cujus imago ſit & ſibi ipſi re-
ſpondeat, ſe imaginem Dei eſſe. Ergo nemo eſt, qui Deum non
viderit, quin ſciat quo ore, quo vultu ſit. Sciunt etiam omnes
quia viderunt, Deum habere os & vultum ſimilem humano, &
hominem ſimilem divino. Quomodo enim fieri aliter poſſet,ut
homo hominis vultum adſpiciens ſtatim diceret imaginem ho-
minis , Dei eſſe ipſam imaginem ? Solos Anglos Enthuſiaſtas
antea credidi hoc poſſe dicere,quibus tam ſæpe Deus ſe præſen-
tem exhibet, & manifeſto numine oſtendit. Nunc cum Milto-
nus nobis affirmet, quemvis hominē de eo bene poſſe reſpon-
dere, fides ſit penes hominem veracem,quem probabile eſt,ſæpe
Dei vultum & os vidiſſe.Non enim tam confidenter,& conſtan-
ter homo ſanctus aſſeveraret, hominis & Dei vultum ad idem
exemplar eſſe exſculptum. Alias Scripturæ Divinæ ſola auctori-
tate motus, hactenus exiſtimavi hominem ad Dei imaginē eſſe
factum.Tam ſtultus etiamuſque ad hoc tempus & imperitus fui,
ut putarim,imaginē illā Divinā,ad quā Deus ipſe ſe hominē for-
maſſe teſtatur, non de filo & figura corporis eſſe accipiendā,ſed
de mente animi, conſilio & ratione. Græci τὸ ἡγεμονικὸν
appellant, in quo ſolo & gentiū ſaniores & ſapientiores Philo-
ſophi imaginē Dei expreſsā eſſe agnoverunt. Cum enim Deus
totus mens ſit & animus, totus incorporeus, non poteſt homo
videri ad imaginē & exemplar Dei cōpoſitū & fabricatū,niſi ſo-
la mente & animo Noſtra mens divinæ mētis particula eſt, quæ
cum cogitat,ratiocinatur,meditatur,contēplatur, ad Deū proxi-
me accedit,& tāto magis ſe illi aſſimilat,cujus imago eſt. Hanc
doctrinā à teneris unguiculis hauſi,& ad hanc uſq; ætatē in me-
moria habui conſtanterque retinui. Nunc à meliore magiſtro e-
doctus Johanne Miltono Anglo,qui os ad os Deum ſæpe contē-
platus eſt, dediſcere jam cogor, quæ didiceram, & agnoſcere,

homines vultu, & ore, os & vultum Dei referre, & propterea ſervire, & obedire nemini mortalium debere, ne ipſi quidem Deo, cum per omnia, os humerosque, Deo ſimiles ſint, & plus etiam Dei in ſe aliquando habeant, quam Deus ipſus, cum nempe Reges ſuos carnifici tradunt, & ſe in libertatem vindicant, vel invito, & nolente Deo. Hæc enim Doctrina eſt Miltoni, quam toto hoc capite diſertis verbis & clarifice id teſtantibus conſignavit. Jam perſequitur, ut oſtendat, cum Dei ſimus, non poſſe jus eſſe Cæſaris, id eſt, hominis. *Cum igitur*, inquit, *Dei ſimus, id eſt vere liberi, ob eamque cauſam ſoli Deo reddendi, profecto Cæſari nos, id eſt, homini, in ſervitutem tradere ſine piaculo, & quidem maximo ſacrilegio non poſſumus*. Cur ergo, homo ſacrilege, vosmet ipſos reddidiſtis Cromwellio, id eſt, homini, & quidem injuſto, impio, & improbo Tyranno in ſervitutem tradidiſtis, veſtro Rege legitimo deſerto, & carnifici reddito? *Cum Dei ſumus, id eſt, vere liberi*. Ita ſemper loquitur, quaſi ſuæ gentis homines ſoli hominum, ſint Dei, ſint Divini, ſint ad imaginem Dei figurati; ſoli vere liberi. *Nos*, inquit, *cum Dei ſimus*. Nec aliter unquam ſolet. Libertatem autem illam veram, quam ſoli poſſident Angli, in ſolo corpore conſiſtere cenſet, ut etiam imaginem illam, qua homo Deo ſimilis eſt, in ſolo vultu & ore conſtituit. Deo, inquit, homo ſimilis eſt, ore, & vultu, & toto corpore. Ob hanc cum Deo corporalem ſimilitudinem homo vere liber eſt, ut Deus in illa figura humana etiam eſt liber. Ergo libertas illa corporalis eſt, & ad ſolum corpus pertinet. Ea eſt, quam *perſonalem* quidam vir doctiſſimus appellat, quam potius ego dixerim corporalem. Ea eſt, ut paulo ante docuimus, ſervi ſub domino, & proinde corporalis potius dicenda, quam perſonalis. Nam perſona ex animo & corpore conſtat. Si aliqua autem eſt *libertas perſonalis*, eſt etiam ſervitus perſonalis. Nam ſervus, qui ſervit perſonalem ſervitutem, cum liber fit, libertatem perſonalem nanciſcitur. Atqui ſervitus ea non eſt perſonalis, quia corpus tantum, non hominem totum domino ſubjectum tradit, id eſt, perſonam totam, ex animo & corpore compoſitam. Servitus autem corporis non impedit libertatem animi. Etiam qui in vinculis eſt, liber animo poteſt eſſe. Et hæc eſt vera libertas, & homine digna, & ea imagine Divina, ad quam eſt factus, quæ corporis eſt, non animi. Ætatis ſuæ ſapientiſſimus, & Sectæ Philoſophus ſupra alias omnes liberrimæ, libertatisque, vitæque innocentiſſimæ, & morum integerrimorum Epictetus ſervus fuit, & corpore debilis, & bonis fortunæ pauperrimus, nihilominus bonis animi ditiſſimus, & diis carus, ut hoc Epigramma teſtatur;

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Ipſe quoque Paulus, & Secta olim, cum inter Judæos eſſet, Phariſæus, quid his velim, omnes intelligunt,& poſtea Chriſti Diſcipulus,& Apoſtolus de præcipuis unus, clare ſignificavit in Epiſtola ad Corinthios prima, loco jam ſupra citato, etiã ſervitutẽ ſervientẽ,in hac ipſa ſervili cõditione conſtitutũ Doctrinæ, & libertatis Chriſtianæ eſſe capacem,vetatque eum,qui ſervus vocatus eſt ad fidem, de ſervitute eſſe ſollicitum, cum Dei ſit libertus. Ergo nihil eſt, quod prohibet, unum eumdemq; hominem & hominis ſervum eſſe,& Dei libertum, id eſt, Dei liberum. Hæc libertas, quam in Deo habemus, non eſt corporis, ſed animi: corpus ſervituti obnoxium ſimul habere poſſumus, & animum libertatis candidatum. Quomodo liber ſit animus, corpore ſerviente? cum vitiis & affectibus non ſervit, cum peccatorum vinculis non eſt irretitus. Majus imperium eſt ejus, qui ſibi & ſuis cupidinibus imperat, quam qui in homines imperium habet. In majore imperio major eſt libertas, ergo magis liber eſt, qui ſibi imperat, quam qui aliis. Unus & idem itaque poteſt & ſibi imperare, & alteri parere, liber eſſe, & ſervus, liber animo, ſervus corpore. Nec ſæculi Philoſophi hoc ignorarunt, quorum iſtud eſt dogma, *S. p entem vere eſſe liberum, ſibique imperioſum.* Si ſervum in corporali ſervitute conſiſtentem, ſub imperio & poteſtate Domini,nihil eſt quod prohibeat; vere eſſe liberum, & veram libertatem poſſidere: multo minus, qui ſub poteſtate vivit Regia, & Cæſari alicui ſubjectus, ulla re poſſit impediri, ne libere agat, &,libertatem animi ſui retineat, quamvis in ſervitute ſit, quam vocarent civilem. Nam ſi aliqua eſt, ut volunt, libertas civilis, eſt etiam ex oppoſito ſervitus civilis. Sed nulla ſic proprie dici poteſt, cum illa, de quâ intelligunt, ſit univerſorum civium ſub Rege ſervitus & ſubjectio, quæ generalis eſt potius ſervitus, quam civilis, ut libertas civium, qui ex ea ſervitute exierunt, non civilis videtur appellanda, quamvis *civile bellum* dicatur, quod cives cum civibus gerunt. Sed quocumque modo vocetur hæc generalis ſive libertas, ſive ſervitus univerſorum civium, *piaculum, ſacrilegium maximum* vocat Miltonus, ſub Regio imperio vivere, & Cæſari reddere, quæ Cæſaris ſunt. Hujus maximi ſacrilegii reos Chriſti Apoſtolos facit, qui nos jubent, Regibus, & aliis poteſtatibus ſupereminentibus,eſſe ſubjectos. Cur hoc? Quia non decet hominem, qui Dei inſtar ore & vultu refert, eſſe cujusquam ſervum. At cum Chriſtus ſeſe terris oſtendit, omne genus humanum dividebatur in ſervos, & liberos, ut eſt apud noſtros

Ju-

Juriſconſultos. Ea plures quidem tum ſervi ferme fuere, quam liberi. Maxima igitur illo in tempore hominum multitudo imaginem Dei, vultumque & os Divinum non habuit. Nam quicumque habet, debet eſſe liber, & cum nullus ſervus ſit liber, ideo nullus ſervus ſilo & figura oris, Deo ſimilis cenſendus eſt. Judice porro Miltono, Angelo, vel Anglo? certe Angelum ex forma dicendum potius, quam Anglum Itali olim Poëtaſtri, cum inter eos verſaretur, cecinerunt, & hoc elogio eum condecorarunt. Tunc ergo cum erat Angelica facie, longe γραφικώτερον & expreſſius ad Dei imaginē accedebat: nunc vero cum cœcus ſit, multo magis recedit ab exēplari. Nam Deus non eſt cœcus, ſed πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει. Sed illo, inquā, Miltono Anglo judice Chriſtus male fecit, qui cum dixit, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari reddenda, quæ Dei, Deo, *quæ Cæſaris ſint, quæ Dei*, in medio reliquerit. Ego vero, ut Chriſtum defendam, non debuiſſe tunc aliud dicere aio, quia ſatis habuit oſtendere hoc dicto, & quid ſentiret de quæſtione propoſita, an liceret cenſum Cæſari dare; & ſimul os obturare malevolis & improbis ſycophantis acuta & arguta reſponſione. Quemadmodum autem illud Chriſti reſponſum Phariſæos olim & Herodianos ad redegit, ita nunc videtur & Angelum iſtum Anglum male habere & urere. Non enim poteſt abſtinere, quin iterum manum eo ferat, ut ad ulcus ſibi valde moleſtum & importunum. *Quod ſi idem erat*, inquit, *hoc numiſma, quod didrachmum illud Deo pendi ſolitum, ut certe poſtea ſub Veſpaſiano fuit, tum ſane controverſiam non minuit Chriſtus, ſed implicavit, cum impoſſibile ſit, Deo & Cæſari idem ſimul reddere.* Quid ſibi velit iſtis homo nugator, juxta ſcio cum ignariſſimis. Hoc tantum ſcio, eum hariolari, divinare, vaticinari, cavillari, ea quæ non ſunt, nec eſſe poſſunt, fingere & dicere. Quod ſi, inquit, idem erat hoc numiſma quod didrachmum illud Deo pendi ſolitum, ut poſtea ſub Veſpaſiano fuit. Atqui non erat. Quod igitur fuiſſe hariolaris & ſupponis. Tempore adhuc Auguſti didrachmum illud, hoc eſt dimidium ſicli ſanctuarii Iſraëlitæ, templo pendebant, quia templum tum ſtabat. Veſpaſianus templo Hieroſolymorum jam everſo, ſanxit, ut omnes Judæi ubicumque degerent, binas didrachmas tributi, ſive ſtipendii nomine quotannis in Capitolium inferrent, pro eo didrachmo, quod antea in templum Hieroſolymitanum conferrebant. At munus ille cenſualis, quem Chriſtus ſibi oſtendi juſſit, moneta fuit Romana argentea *denarii* nomine, paulo drachma Græca gravior. Nam ſeptem denarii Romani unciam faciebant, cum octonæ drachmæ tale pondus efficerent. Non poteſt igitur eſſe idem heic denarius Romanus, Cæſaris imagine ſignatus, quod paulo plus drachma Attica valebat, cum didrachmo illo Sanctuarii

ctuarii, vel etiam cum illo, de quo mentio fit Matthæi XVII. Ubi appellantur τὰ δίδραχμα in his verbis, Ὁ διδάσκαλος ὑμῶν οὐ τελεῖ τὰ δίδραχμα. Nam δίδραχμον numus fuit pondere & pretio binarum drachmarum. At denarius drachmæ tantum fere & paulo plus pondus & valorem habuit. Longe aliud denarius ille & numiſma cenſum à didrachmo. Nam didrachmum eo loco monetæ Judaïcæ numus, ſiclus nempe communis & uſualis, ut quidam loquuti ſunt, duabus drachmis æſtimatum. Siclus Sanctuarii, qui & ſtater, quatuor drachmas pendebat. Ideo Chriſtus Petrum pro ſuo & ipſius didrachmo ſtaterem è ventre piſcis extractum, quem piſcatus ejus monitu fuerat, pendere juſsit. Alius etiam hic denarius, ſive cenſualis numus à binis illis drachmis, quas Veſpaſianus omnibus Judæis indixit, quibuscumque in terris diſperſi forent, Capitolio inferendas, quas olim in templum Hieroſolymitanum conferebant, ſed templo ipſorum everſo, in templum Romanum, quod erat omnibus Diis conſecratum, id eſt Capitolium, conferri voluit. Hæ binæ drachmæ ſolis Judæis impoſitæ, ubicumque conſiſterent. At cenſus ille, de quo apud Matthæum & Marcum, omnibus provinciis imperio Romano ſubjectis indictus erat, & omnes ex æquo provinciales capitatim illum ſolvebant, vel in ſingula capita. Unde & capitatio dicebatur, & capitis cenſus, Græcè ἐπικεφάλαιον. Atque ita Scriptum eſt in vetuſtiſſimo codice Claromontano, quo Beza uſus eſt, apud Marcum, pro eo quod eſt in vulgatis exemplaribus Κῆνσον. Ἔξεστι Καίσαρι κῆνσον δοῦναι, ἢ οὔ; Et Syrus Interpres, ut idem Beza notat, *pecuniam capitis* vertit. Plutarchus vocat ἀργύριον ἐπὶ κεφαλήν, qualem provincias cenſus nomine pependiſſe Romanis ſcribit, ut ſupra adnotavimus. Non binas drachmas, ſed unum tantum denarium Romanum iſtius cenſus ſive capitationis nomine penſitabant provinciales. Ideo νόμισμα κήνσου, appellatur denarius, tam apud Matthæum, quam apud Marcum, quia denarius unus & quidem Romanus, pro cenſu ſolvebatur. Adeo autem omnibus hoc notum erat, denarium tantum in cenſum dari, ut Chriſtus apud Marcum, cum interrogaretur à Phariſæis & Herodianis, utrum ſolvendus eſſet cenſus, an non? oſtendi ſibi petierit denarium, quia unus denarius Romanus pro cenſu à ſingulis capitibus dabatur. Φέρετέ μοι δηνάριον, ἵνα ἴδω. *Afferte mihi* denarium, ut videam. Diverſus itaque hic denarius cenſus à didrachmo, quod Chriſtus & Petrus ſolvit apud Matthæum cap. XVII. quin & à binis drachmis, quas Veſpaſianus poſtea univerſis Judæis, ubicumque habitarent,

impoſuit, in Capitolium inferendas. Chriſtus illo Matthæi loco τὰ τέλη, & τὸν κῆνσον aperte diſtinxit; Οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη, ἢ κῆνσον; Ubi recte vetus Interpres reddidit, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum?* Pro tributo igitur didrachma illa exacta ſunt, & perſoluta à Chriſto, & Petro, & proprie agrorum, & familiarum intributiones fuere. Cenſus vero, collatio fuit in ſingula capita, & unico Romano denario perſolvenda. Cum igitur hic cenſus, ſive denarius, de quo Chriſtum interrogarunt Phariſæi, an ſolvendus eſſet Cæſari, alius fuerit ab illis duabus drachmis, quas Veſpaſianus Judæis indixit Capitolio inferendas, cum olim Templo inferebantur Hieroſolymitano, quamdiu ſtetit, non poteſt videri Chriſtus controverſiam implicaſſe, ſicut ſceleratus Miltonus ſomniavit, quaſi impoſſibile eſſet, Deo & Cæſari ſimul idem reddere. Hoc ſane impoſſibile fuit, neque hoc agebatur, neque etiam propoſitum à Phariſæis id Chriſto fuit, utrum templo, an Cæſari ſolvendus eſſet cenſus. Nam & templo tunc temporis pendebantur binæ drachmæ, quas Deus lege ſcripta, Exodi XXX. ſolvi ſanxit, & cenſus etiam Cæſari à Judæis, ut & ab omnibus cæteris provincialibus perſolvi ſolebat, non minimo inter utramque illationem diſcrimine. Binas illas drachmas à ſolis Judæis pendi lex erat, & in moneta Judaïca, ſiclo nempe minore, ſive didrachmo. At cenſus ab omnibus provinciis in ſingula capita exigebatur, in denario Romano ſolvendus. *At enim*, inquit Miltonus, *oſtendit, quæ Cæſaris eſſent, numiſma nempe illud Cæſaris imagine ſignatum. Quid igitur inde lucraris præter denarium vel Cæſari, vel tibi?* Euge, papæ! acute dictum, & ſalſe. Quis neget, Miltonum artem jocorum adprime tenere? Salibus & urbanitate nemo eum vincit. Hollandi de hoc viderint, qui ſalſum hominem eſſe judicarunt. Nihil ergo Salmaſius eo Chriſti teſtimonio pro Regum defenſione lucratus eſt præter denarium vel Cæſari, vel ſibi. Haud mirum ſane eſt, Anglos in his minutis tam frigide jocari, aut tam inſulſos ſuaviludios ad cauſam ſuam defendendam adhibere, quibus, ludus jocusque eſt, capita Regum ridendo demetere. Quod ad Salmaſium attinet, puto, ſi bene illum novi, nihil inde lucri feciſſe præter materiam riſûs, quam illi largiter ſuppeditaſti ex hac tua inſulſitate. Ego ſane ipſe multum te deriſi, pluriſque hoc facio, quam centum Jacobæos, quos accepiſſe Salmaſium falſo objeciſti, pro mercede Defenſionis Regiæ. Quid vero Cæſar lucratus ſit, audiamus. *Aut enim*, inquis, *Cæſari Chriſtus præter denarium illud nihil dedit.* Nota tibi, lector, *denarium illud.* Si Salmaſius ita loquutus eſſet, parricidalis ſolœciſmi in Ariſtarchi perſona commiſſi argueretur. Sed hoc condonandum tanto majoris parricidii reo.

reo. An tu vero, Miltone, credis parum Cæſari dediſſe, cum denarium illum ei dedit? Univerſa veſtra magna Britannia, quam tamquam ſuam oviculam deglubit Cromwellius, tantumdem illi reddere, quantumvis graviſſimis tributorum oneribus fatiſcens, non poteſt, quantum ille denarius, ſive cenſus in ſingula capita impoſitus attulit illius temporis Cæſari. Cogita, ſodes, in toto imperio, quam longe lateque patebat, quot capita eſſent, totidem denarios ad fiſcum Cæſaris ex illo cenſu rediiſſe. Num hoc tibi parum? Nullus hodie Rex tantum habet in reditu ex omnibus ſuis vectigalibus, tributis, & cenſibus. Sed fortaſſe habebit Cromwellius, ubi totum orbem ſub leges ſuas miſerit. Quod ſperat brevi futurum. *Nihil Cæſari Chriſtus præter denarium illum dedit?* An cum illo denario neſcis dediſſe in omnes homines imperium ſummum? Certe, qui tributi, & cenſûs imperandi alicui dat poteſtatem, ut Chriſtus illo ſuo reſponſo Cæſari dedit, omnium hominum, à quibus jus habet tributorum exigendorum, Dominum & Regem facile agnoſcit. Nullum aliud majus dari poteſt argumentum ſubjectionis, quam tributi ſolutio. Ita Perſæ, Romani olim uſi ſunt erga illos, & ſtipendiarios faciebant. Turcæ hodieque hunc morem habent. Hoc jus eſt, & fuit ſemper Regum omnium, ut victores victis tributum imponerent in ſignum ſubjectionis. Vis hoc aliqua tibi priſca auctoritate probari? Auctorem accipe. Quod tamen non erat neceſſe in re tam clara & confeſſa. Unus erit pro centum, iſque maxime idoneus. Cum dixiſſet Paulus, neceſſe eſſe ſubjici Regi, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ſtatim ſubjunxit, Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ φόρους τελεῖτε· *Ideo enim & tributa præſtatis.* Ad quæ verba Ambroſius optimum egit interpretem Apoſtoli, ita commentando: *Ideo dicit tributa præſtari, vel quæ dicuntur fiſcalia, ut ſubjectionem præſtent, per quam ſciant ſe non eſſe liberos, ſed ſub poteſtate degere, quæ ex Deo eſt. Principi enim ſuo, qui vicem Dei agit, ſicut dixit Daniel Propheta*; Dei eſt, *inquit*, regnum: & cui vult, dabit illud. *Unde & Dominus*, Reddite, *ait*, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. *Huic ergo ſubjiciendi ſunt, ſicut Deo, cujus ſubjectionis probatio hæc eſt, quia illi pendunt tributa.* Hæc tibi ſufficiunt? An adhuc plura requiris? Unus homo talis pluris faciendus, quam mille, immo plus, quam tota factio parricidarũ Independentiũ. Tributorũ igitur perſolutio, teſtificetur ſubjectionem eorum, qui illa præſtare tenentur, quid populo reliquit Chriſtus, cum omnia Cæſari dederit hac una tributi datione? At tu contra; *Cæſari, præter denarium illud, nihil dedit, cætera omnia nobis aſſeruit.* Vobis? Nempe Anglis, Chriſti deliciis & amoribus, quibus ora Dei tueri datũ eſt, præſentiſq; audire & reddere voces. Accipite igitur illa cætera omnia, dum unum hoc Cæſari non denegetis, quod illi

conceſſit

conceſſit ChriſtusTributorum indictionē & exactionem,& per hanc imperium in vos & poteſtatem ſummam omnium rerum. Jam vobis ex eo nihil poteſt aſſeri præter eorumdem præſtationem & ſubjectionem. Auguſtinus quoque in illius Paulini loci expoſitione, *Omnis anima*, utrumque conjunxit, ſubjectionem & tributorum perſolutionem. *Quod autem ait*, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, *non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, rectiſſime admonet, ne quis ex eo, quod à Domino ſuo in libertatem vocatus eſt, factus Chriſtianus extollatur in ſuperbiam, & non arbitretur in hujus vita itinere ſervandum eſſe ordinem ſuum, ut poteſtatibus ſublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt, exiſtimet non ſe eſſe ſubdendam.* Et paulo poſt ibidem: *Si quis ergo putat, quoniam Chriſtianus eſt, non ſibi eſſe vectigal ſolvendum aut tributum, aut non eſſe exhibendum honorem debitum eis, qui hac curant poteſtatibus, magno in errore verſatur.* Hæc duo ergo ſe invicem ſubſequuntur, ut qui Regi ſubditus eſt, tributum ei debeat, & qui tributum Regi præſtat, ei ſubjectus intelligatur. Atqui ſubjectus Dominum utique agnoſcit. Sed egregio dilemmate heic utitur Miltonus Anglus, & acumen mirum ingenii ſui prodit: *Aut enim*, inquit, *Cæſari Chriſtus præter denarium nihil dedit, cætera omnia nobis aſſeruit, aut ſi quidquid pecuniæ Cæſaris nomine inſcriptum eſt, id Cæſari dedit, contrarius jam ſibi, noſtra fere omnia Cæſari dabit.* Ratio dilemmatis poſcebat ut utrumque membrum cum affirmatione poneretur. Aut hoc verum, aut illud. Non illud, ergo hoc. Iſte vero argutus diſputator alteram partem affirmantis more, alteram ὑποθετικῶς ponit, *Aut ſi quidquid pecuniæ Cæſaris nomine inſcriptum eſt, id Cæſari dedit.* Atqui hoc falſum Chriſtum, cum denarium Cæſaris vultu inſignitum reddendum eſſe Cæſari reſpondit, de omni pecunia, quæ Cæſaris imaginem præferebat, intellexiſſe; & proinde falſiſſima etiam conſequentia, quæ inde poſſet inferri, noſtra fere omnia Chriſtum Cæſari donaſſe. De cenſu Cæſari præſtando agebatur. Is cenſus in ſingula capita uno denario taxatus fuit. Interrogatus Chriſtus, an iſte denarius, qui pro cenſu exigebatur de ſingulis à Cæſarianis tributorum coactoribus, liceret Cæſari ſolvere? Reſpondit Chriſtus ſolvendum; nec hunc cenſum illi denegandum, vel ob hanc rationem, quod imagine Cæſaris eſſet notatus, & ſic quod eſſet Cæſaris, reddendum Cæſari. Plurimi, qui multa millia denariorum in ſaccis & arcis condita habebant, non plus tamen, quam unum denarium tenebantur præſtare. Quia cenſu iſto capitis, qui à ſingulis pendebatur, unius denarii ſolutione quiſque defungi poterat. Sed neque hoc Chriſtus voluit dicere, neque hac ratione uſus eſt, omnem monetam, quæ Principis effigiem habet, eſſe Principis propriam, ut inſcite & inepte

argutatur hic Anglus. Auctoritatem & pretium dat monetæ effigies Cæſaris, cum nulla legitima haberi queat, aut in uſu verſari, & per manus populi currere, ut vulgo loquuntur, & Græci προχωρεῖν, niſi quæ hunc characterem exhibet. Et omnis quidem moneta quodammodo Cæſaris aut Regis, cujus nomen & vultus in ea exprimitur, eſſe dici poteſt, ſed formæ tantum ratione, & cudendæ poteſtate, nam proprietas & poſſeſſio corporis ipſius numorum ad eum pertinet, cujus in bonis numeratur. Liber meus eſt, quem ego compoſui, cujus ſum auctor, & qui nomen meum præfert, ſed corpus libri typis per Bibliopolam excuſi, & ab eodem venditi, ejus proprie eſt, qui emit, & poſſidet. Non tantum tamen juris habeo in editionem libri mei publicatam, quantum Cæſar habet in monetam juſſu ejus cuſam, & publici uſûs factam. Nam formam ejus poteſt reſolvere, & ab uſu removere; cum idem auctori non liceat in operis ſui editionem à Typographo publicatam. In moneta duo ſpectantur, corpus ſive materia, & forma. Poteſt quis monetam auream, vel argenteam conflare, & tamquam aurum vel argentum in maſſa vulgo æſtimatur, promercalem & venalem exhibere. Sin in forma ſua maneat, non poteſt aliam ei æſtimationem ponere, quam lex principis poſuit. Hic poteſtatem habet non ſolum ejus pretium augere & minuere, ſed etiam ut nullius amplius ſit pretii, facere, & eam abrogare, novamque pro ea formam inſtituere. Ita æſtimationem ab eo accipit, ut formam. Et hac ratione principis videtur eſſe. Unde & vocatur eorum Regum vel Imperatorum nomine, quorum figuram gerit. Numus Cæſaris Auguſti, Numus Tiberii, Numus Antonini; atque ita de cæteris. Sic Philippei numi à Philippo Rege Macedonum dicti; utque ab Anglia tua non recedam, Henrici, Jacobi vulgo appellantur, Henrici Regis & Jacobi nomina & ora præferentes. Erras autem, Miltone Angle, cum dicis, *Monetam ideo effigiem Principis habere, ut probam ſe eſſe moneat; ut quaſi Principis nomine inſignitam, ne quis audeat adulterare.* Tametſi fallaris, magnam tamen heic poteſtatem & Prærogativam Regibus imprudens tribuis, quorum inter jura & hoc fateris eſſe, ut nulla moneta proba ſit, niſi quæ nomen eorum inſcriptum habeat, & os expreſſum. Et cum agnoſcis, neminem audere eam adulterare, quæ ſic formata ſit. Agnoſcere etiam te libens & lætus video, non alium præter Regem, monetæ cudendæ jus & poteſtatem habere. Qua in re ſupra privatos te multum eum evehere non ſentis. Non tamen eam ob cauſam principis effigie ſignatur, ut probam ſe eſſe moneat, ut ſciolè blatteras. Nam monetæ adulteratores hoc imitantur, & falſis numis, quos fabricant, effigiem Regis imponere, quo melius poſſit pro vera & proba exhiberi, non verentur. Nec unquam

quam aliter ſolent. Tantum abeſt, ut abſterreantur à propoſito numos adulterandi, Regis illa effigie, qua qui probi ſunt, inſigniuntur. Sed, ut dixi, ideo Regis nomen,& effigies monetæ, quam cudi jubet, inſcribitur, quia nemo præter eum in regno ſuo tale jus habet. Sic ideo ipſe, juriſdictionem ſupra omnes ſolus habet, quia nemo jus reddere poteſt, niſi ab eo poteſtate judicandi accepta. Militia ideo ei commiſſa eſt ſoli, ne factioſi & ſeditioſi cives arma contra eum, & contra rempublicam capiant, & ne quis exercitum conſcribere, & armatos in unum cogere queat,niſi juſſu ejus & auctoritate. Inſpectionem Religionis, & Eccleſiæ curam, ideo ſolus ſibi vindicat, ne hæreſes in regno oriantur, quæ pacem turbent, & unitatem in Eccleſia ſcindant. Falſum etiam, quod heic iterum ingeris, *Chriſtum & ſuo, & Petri nomine profeſſum eſſe, ſe duo didrachma Regibus non ex debito perſolvere.* Non Petri nomine id profeſſus eſt,ſed ſuo tantum. Non Regibus id ex debito ſe perſolvere negavit. (Qui enim illi Reges fuere, qui exigebant?) ſed Cæſari. Quod eſſet ex familia Regia Davidis, ſe liberum eſſe debere à ſolutione tributi Petro inſinuavit, quia Reges non ſolent tributum exigere à filiis ſuis. Nihilominus id perſolvit. Auguſtinus in Pſalmum CXVIII. ad illa verba, " Principes perſequuti ſunt me gratis. *Quid enim Chriſtiani læſerunt regna terrena, quamvis regnum cœlorum eis promiſerat Rex eorum? Nũquid Rex eorũ milites ſuos prohibuit pendere,& exhibere, quæ debentur Regibus terræ? Nonne de hoc ſibi calumniam molientibus Judæis ait, Reddite,quæ ſunt Cæſaris,Cæſari,& Deo, quæ Dei ſunt? Nonne tributum de ore piſcis ipſe perſolvit? Nonne Præcurſor ejus militibus regni hujus, quid facere deberent pro æterna ſalute quærentibus, non ait, Cingulum ſolvite, arma projicite, Regem veſtrum deſerite, ut poſſitis Domino militare?* Sed ait, *Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum.* Ignoſcet mihi Miltonus Anglus, ſi auctoritas unius Auguſtini majoris apud me ſit ponderis, quam omnium Anglorum in unum collectorum. Reliqua, quæ ſequuntur, Miltoni, plane Miltoniana ſunt, id eſt, frivola, futilia, & inepta. *Si ad jus Regium inſcriptio tantum valeret, Reges profecto noſtras omnium facultates, uti eſſent ſua, ſola nominis inſcriptione ſtatim perficerent.* Non merentur hæc refelli. Hoc tantum dixero, Cromwellium veſtratem ſine ulla nominis inſcriptione perfeciſſe, uti omnes Regis facultates eſſent ſuæ. *Aut ſi noſtra omnia jam ſua ſunt, quod tuum dogma eſt.* Non hoc Salmaſii dogma, ſed Auguſtini, Ambroſii, & aliorum Patrum, Omnia Cæſaris eſſe. Hoc etiam dogma adſtruitur Regii juris definitione, quam Samuel dedit. Chriſtus cũ profeſſus eſt, *regnũ ſuũ non eſſe de hoc mũdo,* Regibus hujus mũdi cætera omnia aſſeruit. Eximium ad hanc rem illud Ambroſii, non tantum tributum Cæſaris eſſe, quod agri ſolvunt, ſed ipſos etiam agros. *Si tributum petit, non negamus. Agri Eccleſiæ ſolvunt tributum.*

tributum. Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vindicandorum. Nemo noſtrûm intervenit. Et poſt pauca: *Non faciam de agris nundinas. Tollat eos, ſi libitum eſt: Imperatori non dono, ſed non nego.* Alio loco in eamdem ſententiam multa habet: *Reſpondi, ſi à me peteret quod meum eſſet, id eſt, fundum meum, argentum meum, jus ejuſmodi meum me non refragaturum. Si patrimonium petitur, invadite.* Tributa igitur ex agris, & cenſus ex perſonis, & vectigalia ex rebus, quibus poſita ſunt, jure optimo, & æquiſſimo Regis ſunt. Poſſeſſiones ipſæ & perſonæ etiam ejus, jure illo Regio ſummo, quod violentiæ & injuriæ conjunctum eſt, cui tamen reſiſti vetat Deus in utroque fœdere. Sed de his non eſt iſtio loco quæſtio. De cenſu tantum agitur, an Cæſari ſolvendus ſit? Controverſiam hanc propoſuerunt Chriſto Herodiani & Phariſæi. Chriſtus in favorem Cæſaris decidit. Negat Miltonus. Sed quantum eſt, Interpretum veterum, ac novorum, affirmant. Quibus potius credemus? Non tibi, Miltone, qui ais, *Chriſtum hoc in loco non tam officii noſtri erga Reges ita perplexe & ambigue admonere voluiſſe, quam Phariſæos hypocritas improbitatis & malitia arguere.* Immo te ipſum malum & improbum eſſe fatearis, neceſſe eſt, qui Chriſtum heic perplexe & ambigue loqui audes dicere. Artes Jeſuiticas & Cromwellianas vis eum nimirum calluiſſe, & exercuiſſe, cum *æquivocationibus ſuis*, & *retentionibus*, ut vocant, *mentalibus*. Qui ipſa ſimplicitas fuit, duplicem eum in ſermonibus ſuis, & perplexe reſpondentem ad interrogata inducis. Sane retundere voluit improbitatem & calumniam Herodianorum, & Phariſæorum. Sed quomodo? Cum ambagibus & involucris mentis, reſpondendo? Non ſic retudiſſet. Quæſierant illi, Utrum liceret, Cæſari cenſum ſolvere, an non? Si ambiguo & ancipiti reſponſo incertos dimiſiſſet, Magiſtri & Doctoris officio, qualis habebatur ab omnibus, non vere functus eſſet. Aperte ille reſpondit ad quæſtionem propoſitam, Cæſari reddendum eſſe, quod eſſet Cæſaris, nempe denarium cenſûs; tum quia Cæſaris effigie & nomine inſculptus foret, & quia ex lege ejus impoſitus in ſingula capita, jure etiam ab omnibus exigebatur fiſco Cæſaris inferendus. Sciendum eſt, alia tributa in auro, alia in argento, alia etiam in ære exigi ſolita. *Glebalis auri* illatio poſt Conſtantinum à Senatoribus in aureis ſolidis præſtabatur. Certum etiam genus numorum certis capitationibus, & tributis fuit deſtinatum. Ut hujus cenſûs capitis ſolutio ſub Auguſto ab omnibus provincialibus in capita ſolvi ſolitus, denario Romano peragebatur, *ſiliquaticus* ſub poſtremo imperio dicebatur, quod in ſiliqua una aurea à ſingulis pendebatur. Ætate Caſſiodori pro certo tributi genere *aſſis* exigi ſolebat. Unde & *aſſis* pro tributo ipſo apud illum ſæpe ponitur. Ut lib. XII. *Parantedorum, & annonarum, præbitionem ſecundum*

evectiones

nes conceſſas in aſſem publicum conſtituimus imperari. Alibi *tributarium aſſem* appellat. Et in Codice Theodoſiano de indulgentiis debitorum, *Peraquatis territoriis nonam partem tantummodo prateriti aſiis publicarum toleret functionum.* Hinc in vita Alexandri Severi legimus cum vectigal ad tertiam partem auri redegiſſet, formandos curaſſe tremiſſes aureos, id eſt, numos aureos, qui tertiam partem aurei ſolidi pendebant. Additque Lampridius ibidem. *Alexandrum dixiſſe etiam quartarios futuros, quod minus non poſſet.* Et feciſſet, ſi vectigal potuiſſet ad quartam partem aurei reducere. Sed publicæ neceſſitates tum id non permiſere. Ex his omnibus conſtat, tributis & cenſui ſolvendis certam nummorum ſpeciem conſtitutam fuiſſe. Inde & Grammatici Græci vocem Latinam in Græcum uſum tranſlatã Κῆνσος de ipſa moneta, ſive denario, in quo cenſus ſolvebatur, interpretati ſunt, Heſychius & Suidas, Κῆνσος, εἶδος νομίσματος ἐπικεφάλαιον, *Cenſus, genus nummi,* in quo capitatio, ſive cenſus capitis ſolvebatur. Ita ergo tempore illo Chriſti & Auguſti cenſus ſive capitis tributũ, quod Græci ἐπικεφάλαιον vocarunt, Latini *capitationem*, denarius unus fuit. Romanus, id eſt, Cæſaris figura ſignatus. Cum autem Chriſtus adjecit, *& quæ Dei ſunt, Deo.* Eamdem omnino recipit interpretationem cum prioribus illis verbis, *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris.* Nam ut denarius Cæſaris figuratus, ad cenſum, qui Cæſari debebatur, ſolvi tum ſolitus, ita ſanctuario Dei ſive templo, ſiclus duabus drachmis æſtimatus, pendebatur ab Iſraëlitis, in quo parte ab una urna ſacra, in qua manna repoſitum erat, exſculpta viſebatur: In altera virga Aaronis revireſcens, cum hac inſcriptione, *Jeruſalem ſancta.* Chriſtus igitur ut calumniam in fraudem pellicere ſe ſtudentiũ eluderet & amoliretur, Cæſaris cenſũ Cæſari, ita reddi debere reſpondit, ut Dei Deo deberet. Ut enim in Cæſarea moneta cenſus Cæſaris redditur Cæſari, ſic in moneta quæ Dei eſt, & ſanctuarii, redditur tributum ſanctuario, id eſt, Deo. Duplici ratione nitebatur illud reſponſum Chriſti, Cæſar poteſtatem habuit monetæ cudendæ, & per hoc Cæſaris ille nummus fuit, qui imaginem ejus preferebat, ut qui & eũ formari curavit. Cenſus ille capitis à Cæſare impoſitus eſt omnibus provincialibus, talis & in tali moneta ſolvendus. Imperandi tributi facultatem habere Cæſarem ne quidem negare auſus eſt Miltonus, ſi cum temperamento imperetur. Sciebat Chriſtus, ſe volentia reſponſurum eſſe Herodianis & Phariſæis, ſi negaſſet tributum eſſe reddendum Cæſari. Nam nec ignorabat, parum æquos eſſe imperio Phariſæos, ut de his tradit Joſephus lib. XVII. Nec Herodianis, id eſt, Aulicis Herodis

minus

minus inviſum fuit imperium. Nam & ipſe certum tributum pendebat Cæſari. Pater enim ejus regnum precario obtinuerat ab Auguſto, ſed ſub conditione certi tributi, ἐπὶ τισὶ φόροις τεταγμένοις, ut ſcribit Appianus. Non dubium eſt, quin filius Herodes, cujus Herodiani iſti, idem tributum præſtiterint. Cum autem & Phariſæi & Herodiani etiam ſcirent, non latere Chriſtum quo animo eſſent erga Cæſarem, & quid ſentirent de ſolutione tributi, ideo putabant, ſibi facile eſſe, à Chriſto tale reſponſum elicere, quo eum perdere apud præſidẽ Cæſaris poſſent, ſi negaſſet cenſum ſolvendum. Non igitur potuit Chriſtus aliter retundere eorum malitiam, & ſimul ſe expedire ab eorum tendiculis, & vere quid ſentiret de cenſu Cæſari ſolvendo proloqui. Miltonus, qui heic calliditatem & vafritiẽ vulpinam Chriſto tribuerat in perplexe & ambigue reſpondendo, nunc eumdem nobis erecto & elato ſpiritu deſcribit. *Quid? rurſus*, inquit, *cum ei nuntiarent Phariſæi, Herodem ejus vitæ inſidias parare, an humile, aut demiſſum ab eo reſponſum tyranno reddendum tulerunt?* An non diceres, ejuſdem naturæ fuiſſe reſponſum prius Chriſti, & iſtud? Sic ſane videtur ex Miltoni verbis colligi. Atqui illud perplexum & ambiguum fuit, hoc vero magnanimum & ex ejus convitio. Quid tam contrarium? *Immo*, inquit, *& dicite vulpi illi*. Ibi vulpes erat Chriſtus. Heic Regem vulpem appellat. Non humile & demiſſum hoc reſponſum ait fuiſſe Miltonus. Mirum, ſi quidquam humile aut demiſſum à Chriſto debuit expectari. Sed videndum, quis in quem dixerit, ut judicetur, quomodo dictum ſit. Dixit Regis æterni filius, & ipſe æternus, patri coævus, Rex, ex Regia familia, Meſſias, vita & veritas. Ipſe eſt, qui Phariſæos γεννήματα ἐχιδνῶν appellavit, γενεὰν πονηρὰν & μοιχαλίδα, ſepulchra dealbata. In quem dixit? Non in Cæſarem, non in Regem, vel Imperatorem, cui ſecundum humanitatem ſubjectus eſſet, ſed in Tetrarchum provinciæ Galilææ, qui Romano Imperatori ſubditus erat, tributumque eidem pendebat. Sed nec iſte Herodes de Chriſti cauſa cognovit, nec ſententiam capitis in eum dixit. Non etiam apud eum à Judæis accuſatus eſt, ſed ad tribunal Cæſaris præſidis vocatum, & ab eo condemnatum. Sed quid inde Miltonus contra Reges intendit, quod Chriſtus Herodem appellaverit *Vulpem*? Hoc dixit, inquit, *innuens Reges non jure Regio, ſed vulpino, civibus ſuis inſidiari*. Argute & docte argumentatur. Nihil pote melius, aut acutius. Quia Herodes Tetrarcha vulpina aſtutia fuit, ideo omnes Reges vulpino ingenio ſunt, nec jure Regio regnant, ſed vulpino. Quod ſit jus Regum ſcio; quod ſit jus vulpinum ignoro; Hoc melius coquus noverit, qui vulpem aſſatum, aut elixum, aut in artocreate coctum, pro lepore

lepore, ut memini aliquando fieri, conviviis appoſuerit, cum condimento,& jure vulpino. Si verum fateri audes, Miltone, poteſne aliquẽ inter Tyrannos vel antiquos, vel hodiernos, nominare, qui jus iſtud, quod aïs vulpinũ magis uſurpavit, quã tuus Cromwellius? Herodes, ad iſtam vulpem comparatus, Germanus fuit aſinus,& vervex merus. Non tamen aſturam tantum, ut ait ille, ſervat ſub pectore vulpem, ſed monſtrum triceps,& tricorpor, ex vulpe, moloſſo,& homine compoſitum. Hoc ſaltem hominis habet, quod ſcit, quando vis moloſſica impendenda ſit, & quando uſurpanda vulpina calliditas. *Sub Tyranno*, dicit Salmaſius, *ſupplicium mortis ſubire ſuſtinuit.* Reſpondet Miltonus: *Enimvero qui potuit, niſi ſub Tyranno?* Quomodo hoc intelligit? Si præſes Cæſaris, aut judex ab eo datus, iniquam & injuſtam ſententiam pro judicio dixit, qua innocentem damnavit, an ob id Cæſar Tyrannus? ſub bono & juſto Rege nullusne unquam extitit malus,& injuſtus judex? Potuit ergo Chriſtus mortis ſupplicium ſubire ſub alio, quam ſub Tyranno. Si ſub Auguſto paſſus eſſet, ut ſub Tiberio paſſus eſt, quid diceres? Non aliud fortaſſe. Nam omnes Reges, etiam optimi, Tyranni. Si ſupplicium ſub Tyranno paſſus eſt, *An ideo ad injuſtiſſima quæque juris Regii teſtis & aſſertor?* Quis ita concludit? Illud ſaltem poteſt, nihil eum ſub Tyranno ſupplicium patiendo juri Regio detraxiſſe, ac ne quidem tyrannico. Et hoc Salmaſius voluit. Sed infert Miltonus, *Chriſtus quamvis noſtri liberandi, non ſub jugum mittendi cauſa, ſervum ſe fecerit, tamen ad hunc modum ſe geſſit, nec juri quicquam Regio præter æquum & bonum conceſſit.* Hoc gratis garrire eſt. Nihil conceſſit morte ſua Regio juri Chriſtus præter æquum & bonum. Sed quid deceſſit illi juri per ejus ſupplicium? Liberandi noſtri cauſa, non ſub jugum mittendi ſervum ſe fecit. Nec noſtri liberandi cauſa, eo ſenſu, quo intelligis, nec ſub jugum mittendi, ſervum ſe fecit. Sed quantum ad ſervitutem, aut libertatem, quam vocas civilem, nos reliquit, ſicut eramus, qui ſervi, ſervos; qui liberi, liberos. Non enim magis nos liberos fecit, quam fuimus, nec magis ſervos. Certe, non pileari juſſit ſervos, non rudibus induit gladiatores, non ergaſtula refregit, ut inde vinctos extraheret, non ad ludum, aut opus, aut gladium condemnatos ſervavit, non ſubjectos Sacramento fidelitatis ſolvit, non milites diſcinxit, Dominorum in ſervos poteſtatem illibatam reliquit, nihil juri cujusquam, nec Domini, nec patris, nec Regis, aut Imperatoris detraxit. Nos ille certe tamen liberavit. A qua ſervitute? Peccati,& mortis æternæ. Vis adhuc dicam tibi, à quo alio genere ſervitutis nos manu aſſeruerit in libertatem? à cærimoniis legalibus. Hæc eſt lex libertatis perfecta, quam vocat Jacobus, cap. I. verſu

XVIII.

XVIII. Ὁ δὲ παρακύψας εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας, καὶ παραμείνας. Et capite ſequenti, idem: Οὕτω λαλεῖτε, καὶ οὕτω ποιεῖτε, ὡς διὰ νόμου ἐλευθερίας μέλλοντες κρίνεσθαι· *Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per legem libertatis judicandi.* An putas, Miltone, legem illam libertatis Apoſtolo dici & intelligi, qua liberos fecit, qui ſervi erant, aut ſubjecti à jugo dominorum, & imperio Regum ſuorum? Petrus in Actis, cap. XV. cærimonialis legis jugum appellat, quod quidam in eo cœtu imponere ſtudebant cervicibus fidelium: *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Aliquo loco Paulus ſe liberum eſſe prædicat ab iſto nempe jugo cærimoniarum legis. Si credis aliam Diſcipulis ſuis & fidelibus à Chriſto libertatem datam, falleris, & ſpiritu illo malo, qui tuos Anglos exſtimulat, exagitari te oſtendis. Alterum Chriſti teſtimonium, pro Regum jure & dominatione, petitum ex ejusdem reſponſo ad Zebedæi filios, & eorum matrem, petentem pro ipſis à Chriſto, ut in regno ſuo, id eſt, cœleſti, alter ad dextram ejus ſederet, alter ad ſiniſtram. Reſpondit, non eſſe ſuæ poteſtatis hoc iis dare, cum illi tantum id obtenturi eſſent, quibus Pater ſuus eum locum paraſſet, ac deſtinaſſet. Hæc cum audiſſent cæteri Diſcipuli, indigne tulerunt hanc ambitionem Zebedæi filiorum, iisque ad ſe vocatis Chriſtus dixit, gentium Reges & principes in eos dominari, non autem ſic futurum inter ſuos diſcipulos, & in Eccleſia fidelium ſuorum. Sed quicumque eorum primum locum ambiret, debere in ultimo ſtare, & cæteris inſervire. Hanc enim veram eſſe muneris Evangelici dignitatem, & maximam, non inter primos conſiſtere; ſed inter ultimos, & aliorum ſervum eſſe, non Dominum: ſe enim ipſum veniſſe, non ut aliis imperaret, ſed ut miniſtraret. Nemo eſt tam ſtipes, qui non videat, rem omnium clariſſimam, hoc nempe argumentum non valere contra Reges gentium, eorumque dominatum; immo egregie eum adſtruere, ſicut hactenus omnes intellexerunt. Contra Papas autem Romanos plurimum facere, qui more Regum & Principum terrenorum, tyrannidem in Eccleſia uſurparunt, & dominationem plusquam Regiam. Cum tamen regni mundani & cœleſtis, æterni & mortalis, longe ſit diſpar ratio. Mens Chriſti in illo reſponſo, quod dedit Zebedæis, luce meridiana eſt apertior. Quid ex eo Miltonus efficere poſtulat? Contrariam plane demonſtrationem inde elicere intendit, ſoletque ita ſemper, ubi vero ratio eum deficit, ibi maxime tumultuatur, ac ſtrepit, & in convitiorum ſpumas ebullit. Citatis Chriſti verbis, ita Salmaſium alloquitur. *Hæc tu, niſi mente captus, tecum*

facere credidiſſes : Hisne te argumentis vincere, ut Reges noſtros rerum dominos exiſtimemus ? Tales in bello hoſtes nobis contingant, qui in caſtra hoſtium, quanquam & armatos vincere ſat ſcimus, uti tu ſoles, cæci atque inermes tamquam in ſuos incidant, ita ſemper, quod maxime tibi adverſatur, id demens veluti firmiſſimum cauſa tua ſubſidium comparare conſuevisti. Verba ejus libuit integra producere, ut conſtaret hominem aperte furere,qui ſperet,ſe omnium oculos ita poſſe excœcare,ut cum dies eſt, noctem eſſe , cum nox eſt, ſolem lucere, poſſint ejus jactantiis inducti ſibi perſuadere. Hariolatur in primis , Chriſtum in reſponſione omnes ſimul Chriſtianos commone facere, quale jus Magiſtratûs & imperii civilis apud eos conſtitui voluerit. Nihil tam alienum à propoſito Chriſti fingi potuit,cum nihil tale ex ejus admonitione percipi queat.Fingit deinde Zebedæi filios, cum maximam dignitatem in regno Chriſti affectarunt , & ab eo petierunt, ſomniaſſe mox in terris futurum Chriſti regnum. Quod merum eſt Fanatici hominis ſomnium. Sed ita ipſe hoc commentus eſt, ut ſtultis perſuaderet, de ſola dignitate in regno terreno ſub Chriſto Rege adipiſcenda cogitaſſe Zebedæi filios, quo facilius figmentum illud adſtrueret . Chriſtum, cum eos hoc nomine corripuit, quod affectarent primatum & potentiam in terris oſtendiſſe, quale vellet regimen civile inter Chriſtianos inſtitui. De regno cœleſti intellexiſſe, non de terreno, matrem Zebedæi filiorum, cum petiit à Chriſto, ut in regno ejus alter ad dextram ipſius ſederet, alter ad ſiniſtram, ipſe Chriſtus reſponſo ſuo ſatis probavit, cum dixit, non id ſe poſſe dare cuiquam, ſed patrem ſuum, qui id daturus eſſet, illis, quos ad hoc prædeſtinaſſet. Οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ᾽ οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου. Præterea, quod apud Matthæum dicitur , ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, pro eo apud Marcum eſt, ἐν τῇ δόξῃ σου· *In gloria tua.* Quam gloriam notum eſt, ad regnum cœleſte Chriſti pertinere, poſtquam in cœlum aſcendiſſet, non ad illud terrenum , quod Chiliaſtæ & Fanatici Miltoni vaticinantur. De regno, quod poſt mortem ſuam eſſet ſequuturum, & poſt aſcenſionem in cœlum ſuam.Chriſtum intellexiſſe, etiam apparet ex eo, quod Zebedæi filios interrogavit, an poſſent bibere calicem, quem ipſe biberet,& Baptiſmum ſuſcipere,quo eſſet tingendus. Occaſione porro hinc ſumpta vocatis ſuis Diſcipulis, cum eos videret indignari de hac ambitione Zebedæi natorum, admonuit eos,officium muneris Apoſtolici & Evangelici, non in primatu aliquo,vel principatu conſiſtere, ſed in Miniſterii & ſervitii humilitate.Gentium Reges & magnates dominationem & imperium in ſuos ſubjectos habere, ſed aliam eſſe rationem adminiſtrandæ

ſtrandæ Eccleſiæ,quam fundare parabat, & Reipublicæ, quæ regibus aut principibus regebatur. Nunc videamus, quomodo procedat Miltonus in hujus loci explicatione, & quod cauſæ ſuæ ſubſidium inde ſibi comparet.Ex alto rem ſic exorſus eſt, ut verear, ne præceps cadat.*Petebant*,inquit, *Iſraëlitæ Regem, ut habebant omnes iſtæ gentes, diſſuaſit Deus multis verbis, quæ Chriſtus heic ſummatim complexus eſt.Scitis principes gentium in eas dominari; petentibus tamen iis dedit Regem Deus, quamvis iratus: Chriſtus, ne peteret omnino Chriſtianus populus,more gentium dominaturum, adhibita cautione antevertit, Inter vos non ita erit. Quid hoc clarius dici potuit?* Nihil ſane clarius, quam te eſſe omnium bipedum ſtultiſſimum, & amentiſſimum, cum iſta tua ratiocinatione, in qua nihil omnino quod mentem Chriſti attingat. Petierunt Iſraëlitæ Regem, Deus illis invitus dedit. Quid hod ad eam rem,de qua heic agitur? Quid ſimile in utraque. Zebedæi filii petierunt à Chriſto, ut in regno Dei, hoc eſt, in gloria cœleſti Chriſti ſederent, unus ad dextram ejus, alter ad ſiniſtram. An Diſcipuli Chriſti poſtularunt tum ab illo, ut regem ſibi daret,& ut regimen aliquod civile inter eos conſtitueret? Ad ſolos diſcipulos tum ea loquutus eſt Chriſtus, ſoli ejus Diſcipuli, & quidem decem, ut diſerte Matthæus ponit, qui erant in totum duodecim, comprehenſis duobus filiis Zebedæi, his duobus obloquuti ſunt, & ſuccenſuerunt propter illam affectationem primatûs. Inter hos ſolos duodecim diſcipulos ortam eſſe de primatu & dignitate contentionem diſertis verbis docet Lucas in eadem re narranda,cap.XXII. *Facta eſt autem contentio inter ipſos,quis eorum videretur eſſe major.*Quid illis tũ dixit? *Reges gentium dominantur in eos: vos autem non ſic.* In Evangelii nimirũ prædicandi & annuntiandi officio, cui eos Chriſtus præfecerat, locũ non eſſe,imperioſæ dominationi, qualem habere Reges in gentes ſibi ſubjectas. Idque exemplo ſuo illis monſtravit, qui non veniſſet,ut ſibi miniſtraret, ſed ut aliis miniſtraretur. Ideo & qui inter eos præfectus & præſes aliorũ,& major reliquis eſſe videretur,pro minimo & miniſtro omniũ reputari debere. *Quis major eſt*,aiebat Chriſtus, *is qui accumbit menſa, an qui miniſtrat? nonne qui accumbit? At ego*, inquit,*ſum in medio veſtri, ut qui miniſtrat.*Deinde addit,prout pater diſpoſuit mihi & pactus eſt, ita ego vobis diſpono & paciſcor regnum meum,ut edatis & bibatis in menſa mea,in regno meo,& ſedeatis ſuper Thronos judicantes duodecim tribus Iſraël.Hæc ad regni cœleſtis gloriam,& judicium ſupremum pertinere, an aliquis eſt, qui non videat? Miltoni ſunt,id eſt,cœci,qui non vident? In Miniſterio autem Evangelii, & Paſtorali Eccleſiæ adminiſtrandæ officio, nulli principatum Regium, nullam Dominationem; qualis in Reipublicæ gubernatione ſub Regibus & Principibus mundi eſſet intervenire oportere, Chriſtus verbis illis oſtendit.

Unde & Canonici Juris Græci Interpretes Eccleſiaſtica officia non ἀρχὰς eſſe, ſed διακονίας docent, munera ſunt, & miniſteria, non honores, nec dignitates, nec imperia, nec dominationes. Quam ſtultum eſt igitur, & falſum, quod ridiculus morio autumat de Chriſtianis, quaſi Regem à Chriſto petere deſtinantibus, & Chriſto anteverrente, & cautionem adhibente, ne Regem more gentium dominaturum poſcere vellent. Quinam Chriſtiani tum fuere, qui hoc petere poterant? Soli Chriſti Diſcipuli omnem Chriſtianorum, qui tunc temporis erant, numerum complebant. Pone multos fuiſſe, & quidem tot numero, ut Rege opus habuerint. An ſine Rege aliqui fuere? Nonne omnes illo tempore tam Gentiles, quam Chriſtiani, ſi ulli tum Chriſtiani, ſub imperio vixere vel Romano, vel Parthico? Si gentes aliquæ extitere, quæ ſubjectæ non eſſent alterutri imperio, ſuos Reges habuere. An Chriſtus eo loco ſe veniſſe dixit, ut Reges Thronis ſuis decuteret? Immo ut ſervus, ac miniſter eſſet, non ut Rex, vel Imperator. An aliam regulam præſcripſit ſuis Apoſtolis? Immo eamdem. Poſt ejus mortem quid ſequuti ſunt? An imperia, & dominationem affectarunt, & Reges ſolio ſuo aut deturbarunt, aut deturbandos docuerunt? Nihil minus. Ipſe Apoſtolatus, an pro dignitate, in qua imperium eſſet, habitus eſt? Immo διακονίαν vocarunt id munus, ut conſtat ex Actorum I. cum *Matthias* ſubrogatus eſt in locum Judæ; λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης, καὶ ἀποστολῆς. *Ut accipiat locum Miniſterii hujus, & Apoſtolatus.* Nullus ergo Chriſtianus populus tum fuit, qui Regem petere debuerit, cum univerſus orbis Romanos ſuos Reges haberet. Nullum ex his Chriſtus, adventu ſuo, poteſtatem ac regnum deponere juſſit, ut locus novo pateret. Cum Iſraëlitæ Regem à Samuele petierunt, Regem non habuerunt. Deus, ut eos ab hac mente averteret, juſſit illis exponi per Prophetam, quam grave eſſet & moleſtum jus Regium. Petebant Regem ſibi dari, ut haberent omnes gentes. Datus eſt Deo volente, & quidem cum illo ipſo jure, quod Regum omnium fuit proprium. Chriſtus etiam hoc jus agnovit, cum dixit, Reges gentes in eas dominari, κυριεύειν, κατακυριεύειν, & κατεξουσιάζειν, dominos eſſe gentium ſibi ſubjectarum, & omnem, in eas poteſtatem, & imperium ſummum habere; ſed noluit, diſcipulos ſuos, paſtores Eccleſiæ, quam inſtituebat, & doctores, & Evangelii ſui præcones tali regimine gubernari, in qua unus poteſtate Regia & Monarchica in fratres ſuos dominaretur. At Miltonus, novus verbi Divini interpres cœlitus demiſſus, & in

hæc tempora Dei dono reſervatus', talem concluſionem ex verbis illis Chriſti, quæ modo explicavimus, extundit, Regem Chriſtianum populi miniſtrum eſſe, Regem inter Chriſtianos aut omnino non eſſe oportere, aut eſſe debere ſervum omnium. Si velit dici Dominus, non poſſe ſimul eſſe Chriſtianum: & Milto hanc Doctrinam auctorem habere Chriſtum non dubitat affirmare. Sani lectoris eſto judicium, an non hæc ſint inſani ſincipitis exerrationes. Mitto, quam bene hæc congruant menti & ſententiæ Chriſti, quam bene Apoſtolorum ejus præceptis conſonent, quam rationi ipſi, & Doctrinæ omnium ſæculorum Chriſtianæ conſentanea ſint. Sed illud tantum urgebo, qualis futura ſit, & quam miſera Regum conditio, ſi ad hanc amuſſim Miltonianam exigatur, ut ſervi ſint, & Miniſtri ſuorum populorum. Rogandus etiam iſte, an Cromwellius nuper boni Miniſtri officio functus ſit, cum Parlamentum uno verbulo exauctoravit, & turpiter è loco, in quem convenerat, de re ſumma deliberaturum, ejecit. Belſua Miltonus, feris, & urſis, ac ſuis moloſſis immanior, & ad beſtias jure damnandus, ſi tale ſupplicium in uſu nunc eſſet, ut olim fuit, lupos & lupas heic crepat! Unde hæc tam atrocia, & calumnioſa in Salmaſium? Quia locum illum Evangeliſtarum eo modo interpretatus eſt, ſicut omnes hactenus Chriſtiani doctores intelligendum eſſe docuerunt. Facit quod Serpentes ſolent, ut vehementius ſe in volumina torqueant, & acrius ſibilent, quo fortius pede impoſito premuntur. Pergendum eſt porro, & à Chriſti auctoritate ad Apoſtolorum Teſtimonia deveniendum. Hoc fecit jam Salmaſius. Petrum primum inducit teſtem, qui pro Regibus dicat. Vocavit eum *Apoſtolicæ coronæ principem.* Hoc habet ex antiquo Eccleſiæ Scriptore. Occaſionem hinc arripit brutum pecus Salmaſii incitandi. *Qui contra,* inquit, *omnem in Eccleſia primatum ſcripſiſti, nunc Petrum Apoſtolicæ coronæ principem appellas. Quis tibi auctoritate tam fluxa homunculo fidem habeat?* Grandis homo ſtaturæ Salmaſium vocat homunculum, quem qui viderunt, pumilionem eſſe perhibent. Quia cœcus eſt, omnes etiam fortaſſe pro cœcis traducat. Immo tibi dico, magne gigas, falſum eſſe, quod ais. Non enim Salmaſius contra omnem primatum Eccleſiaſticum ſcripſit, ſed contra eum tantum, qui Tyrannicus eſſet, & Monarchicæ dominationi ſimilis. Nunquam Eccleſia ſine primatu fuit. Fuere primi in collegio Presbyterorum aliqui, in Epiſcoporum ordine Nullum ſane dari poteſt corpus, ordo, vel cœtus, ſive civilis, ſive Eccleſiaſticus, qui ſine primatu fuerit, aut qui etiam poſſit ſine primatu ſubſiſtere. Ille primatus ordinis eſt, & longe diſtat à *Suprematu,* ut vulgo dicitur, qui ſupremam poteſtatem habet, non primum in ordine locum. Noluit Salmaſius Papam Ro-

manum

manum ſub nomine primatus in Eccleſia, dominationem ſupra omnes Reges & principes vindicare. Iſte eſt primatus, contra quem ſcripſit. At omnis primitiva Eccleſia illum, quem dixi, primatum, vere ſic, & proprie appellandum, Petro tribuit. Quod de facili probaretur, ſi tempus aut locus huic diſputationi eſſet. Cum Petrus autem, qui *Princeps Apoſtolicæ coronæ* Salmaſio heic vocatur; *primus* intelligitur. Quam vocem hoc ſenſu, non ſolum priſca Romanorum Latinitas poſuit; ſed etiam media. Lucretius.

Quæ patrio Princeps donavit nomine Regem.

Id eſt, prima. Sic ſub Imperatoribus *Principes officiorum* ſunt primi, vel primates officiorum. Et *principes agentium in rebus.* Quorum principum frequens occurrit mentio in Martyrologiis veteribus. Quid igitur ille Petrus? *Subjecti eſtote omni humanæ ordinationi propter Dominum, ſive Regi, ut ſupereminenti.* Quid contra hæc Miltonus, Propheta Anglus? Ut iſti homines violenti ſunt, & omnia ad ſe vi rapiunt, pro ſe etiam hoc facere vult, & ad ſuæ cauſæ defenſionem trahit. Noli admirari. Non præter ſolitum inſanit. Probatio in promptu. *Scripſit hæc Petrus,* inquit, *non ſolum privatis, ſed etiam advenis per minorem fere Aſiam diſperſis atque diſpalatis; qui in iis, ubi degebant, locis, nullius juris, præterquam hoſpitalis, capaces erant.* Nonne tibi dixeram hominem mentis compotem non eſſe, ac neſcire quid dicat, quid velit dicere, quid dicendum ſit. Scripſit *privatis.* Quid tum? An Regibus potius ſcribere debuit? An Paulus, an Jacobus, an Judas, an Joannes aliis ſcripſere, quam privatis? Scripſit *advenis.* Quid inde ſequitur? An illis privatis & advenis alia Doctrina fuit inſinuanda, quam aliis, qui privati non erant, nec advenæ? *Diſperſis per minorem fere Aſiam, atque diſpalatis.* Quid hoc ad rem facit, ſi diſperſi illi & diſpalati per Aſiam? Si in unum locum omnes illi, ad quos ſcribit, congregati conveniſſent, an aliter ipſis ſcribendum fuiſſet, quam diſperſis, diſgregatiſque? Non per Aſiam tantum minorem diſperſis inſcribit hanc Epiſtolam, ſed etiam Galatiam nominat, Pontum, Cappadociam, & Bithyniam. Sed ratio ſequitur, talis ſane, ut non alia videatur à Miltono melior adferri potuiſſe. Genium ejus plane ſapit. *Qui in iis locis, ubi degebant, nullius juris præterquam hoſpitalis capaces erant,* Optime. Nihil potuit melius, nec etiam voluit. Quia nullius juris capaces erant illi advenæ, præterquam hoſpitalis, ideo monendi fuere, ut regi ſubjecti eſſent. Hoc jus hoſpitale ſcilicet illos docuit. Si juri Anglicano operam dediſſent, longe in aliam diſceſſiſſent ſententiam, & alios mores imbibiſſent. Quæſo, Miltone, dicas

dicas nobis, an illos advenas alio jure uti debuiſſe exiſtimas, quam hoſpites, apud quos divertebant? Hoſpites illi cives nimirum fuere ſuarum urbium, alicui Regi ſubjecti. Certe, quod negare non poſſis, in imperio Romano fuere, & iſtud ſub Cæſare. Utros magis pares huic dominationi oportuit, advenas iſtos, an indigenas, an utroſque ex æquo? Certe utroſque. Si durior paulo fuit advenarum conditio, ut fuiſſe videtur, quid inde cauſari poterant, ut juris alterius capaces ſe eſſe nollent, quam hoſpitalis. Quod quid ſit, ſane neſcio, ita ineptum eſt, quod dicis, & ſine ulla vera ratione. An jus, quo cæteri cives tenebantur, apud quos morabantur, ignorare debuerunt; quia non eodem iure tenerentur? Explica te, miſer, explica te, aut fatere, te non plus habere mentis, quā vervecem. Cur non audes, illos advenas, illos diſperſos, & diſpalatos, qui nihil noverant præter jus hoſpitale, Judæos fuiſſe confiteri? Eorum διασπορὰ, ut omnes ſciunt, per totum fere tunc orbem Romanum ſe extendebat. Nullus locus in imperio Romano caruit Judæis παρεπιδήμοις. Ad eos illam Epiſtolam ſcripſit Petrus, cui circumciſionis Apoſtolatus erat demandatus. Non omnibus quidem Judæis ſcribit, ſed illis tantum, qui in Provinciis ibi nominatim memoratis degebant. Præcipit eis, ut omni poteſtati, & ordinationi ſubjecti ſint, & præcipue quidem Regi, ut ſupereminenti. An aliud Paulus Romanis ipſis præſcripſit? Vides igitur fruſtra te quærere; *An incolas, liberos, nobiles, indigenarum conventus, comitia, Parlamenta idem in ſua patria, quod ſparſos, & peregrinos in aliena putemus decere?* Non eſt quæſtio, inepte, quid hos, vel illos magis deceat; indigenas, quam advenas; Senatores, quam plebeios; Senatum ipſum, & concionem populi, quam ſingulos de plebe. Sed quid circa Regem, & obedientiam ei præſtandam, omnes debeant obſervare, tam ſinguli, quam univerſi. Cum Paulus ad Romanos ſcripſit, ſi qui fuere tunc in magiſtratu poſiti Chriſtiani, an aliam ipſos Doctrinam docuiſſe cenſes, quam privatos? An præceptum Pauli de Regi obſequio & ſubjectione præſtanda ad magnates minus pertinuit, quam ad infimos? Sed de hoc infra. Senſit ipſe tandem, quamvis ſenſu communi careat, illam differentiam advenarum & indigenarum, & juris illius hoſpitalis cognitionem, quam dat advenis, admodum eſſe invalidam. De alio munimento ſibi proſpicere parat. Et ſic ratiocinari incipit, *Nullum*; inquit, *præceptum, cui ratio aliqua adjuncta eſt, quemquam ultra rationem illius præcepti obligare aut ſolet, aut poteſt:* Nunc accipe meam viciſſim ratiocinationem. Omne præceptum, quod adjuncta ratio

magis validum reddit & firmum, ſolet & poteſt magis obligare eos, quibus datur, quam quod nulla addita ratione datur. Ut in hoc Petri non ſimpliciter enuntiatum eſt, *Subjecti eſtote omni humanæ ordinationi*. Sed adjicitur ratio. *Propter Dominum.* Paulus etiam in eodem præcepto dando roborat illud ratione adjuncta, *Quia omnis poteſtas à Deo.* Sic enim vim ei addidit, & tanto magis obſervandam inſinuavit, quam ſi tantum dixiſſet: *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto.* Jam Miltonum audiamus, cur in illo præcepto Petri non obligari videamur ultra rationem, quæ illi adjecta eſt: & quæ ſit illa ratio, videamus. *Subjecti eſtote propter Dominum.* Quamobrem? *Quia cum Rex, tum præſes conſtituitur à Deo ad ultionem facinoroſorum, laudem benefacientium.* Ultionem ſane heic tamquam facinoroſus mereris, qui tam improbus ſis, ut ſenſum Scripturæ ſacræ, quod ſolens facis, invertas, & rationes, quæ non ſunt, confingas. Ratio præcepti, ut ante diximus, in illis duabus voculis eſt. *Propter Dominum.* Subjecti eſtote. Cur? *propter Dominum.* Quia Dominus ita vult, aut quia à Domino eſt illa ordinatio. Sequitur; *Sive Regi, ut ſupereminenti, ſive præſidibus, ut qui per eum mittantur ad ultionem facinoroſorum, laudem benefacientium.* Agnoſce nunc tuum ſcelus, aut ſi non potes ipſe, alii videant. In his verbis fingis Petrum dicere, *tam Regem, quam præſidem à Deo conſtitui.* Atque inde concludis, non debere nos ex præcepto Regi aliter obedire, quam ſi facinoroſos puniat, & bonos laudet. Falſa concluſio ex falſa poſitione. Interim vide, quam deſultorium tibi ſit ingenium, qui nunc fateris, & Petro quidem auctore, Regem à Deo conſtitui, quod antea negabas. Non erat neceſſe, ut in has caſſes te injiceres. Liberum te ab hoc incommodo præſto. Nihil enim tale dixit heic Petrus. Sed fraudem tuam deteſtamur, qui falſa interpretatione ea dicere Apoſtolum facis, quæ ab omni veritate aliena ſunt, non ſolum Reges à Deo conſtitui, quod prius nolebas, ſed etiam ipſos Præſides, quos certum eſt, à Regibus, & Cæſaribus mitti ſolitos ad provincias regni regendas. Ideo Petrus dixit de ſolis præſidibus, eos mitti per Regem ad ultionem facinoroſorum. Quod non poteſt de Deo dici, quod mittat præſides, neque etiam de Rege. A Deo enim dari & conſtitui Reges paſſim auctores dicunt, non mitti. Verba Petri hæc ita ſunt in Græcis, ut pudore ferreum illud os tuum ſuffundant:

Ὑποτάγητε οὖν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει διὰ τὸν Κύριον, εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι᾽ αὐτοῦ πεμπομένοις εἰς ἐκδίκησιν

μὲν

μὲν κακοποιῶν, ἔπαινον δὲ ἀγαθοποιῶν· *Subjecti eſtote omni humanæ ordinationi propter Dominum, ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive ducibus, tamquam ab eo miſsis ad vindictam maleſactorum, laudem vero bonorum.* Non ſolum Regi, ut ſupereminenti, nos ſubjectos eſſe præcipit, ſed etiam ducibus, ſive præſidibus, qui ab eo mittuntur ad vindictam malorum, & laudem bonorum. Et ſane illi in provinciis, quas adminiſtrabant, imperium ſummum habuere, vice Cæſaris judicantes, & jus gladii habentes, à Cæſare datum. Quid apertius? Erubeſce jam, ſi potes: ſed pudet me tui, qui tam impudens ſis & impotens. Imperitia vero etiam certat cum improbitate, qui ex eo loco Petri arguit, tam Reges, quam eorum præſides & judices à Deo conſtitui, cum Reges à Deo, præſides à Regibus imponantur. Item, hac conditione nos tantum Regi ſubjici debere, ſi ſceleratos vindicet, quia à Deo ad hoc miſſus ſit, cum Petrus de ſolis præſidibus, quos Rex ad provincias ſuas gubernandas mittit, & judicia in maleſactores exercenda. Cætera, quæ huic fundamento fluxo labilique ſuperſtruxit, per ſe tuere, hinc manifeſtum eſt. Feſtiva etiam eſt ejus interpretatio verbi ὑποτάγητε, ut ad ſenſum ſuum id accommodet, *Eſtote ſubjecti. Si vim verbi,* inquit, *ſpectes, ſubordinati, ſeu* legitime ſubjecti. Ἡ γὰρ τάξις, νόμος Ariſtoteli, lex, ordo. Juxta hanc ſententiam ſub lege & ordine nos eſſe juberet Apoſtolus, non ſubjectos Regi. Nam ſi τάξις eſt lex, ὑπόταξις, vel ὑποταγὴ, eſſet ſubjectio legi. Hoc vero ineptum, ſi Apoſtolus præciperet Judæis legitime ſubjectos eſſe. Hoc enim ſæpe non eſt in poteſtate ſubditorum, ut legitime ſubjecti ſint. Qui bello ſubacti ſunt, aut à Tyranno ſubjugati, & in ſervitutem redacti, quomodo legitime ſubjecti videri poſſunt? Aut quomodo cum effectu hoc illis injungi poteſt, ut legitime ſubjecti, vel ſubordinati ſint? Non minus, ut apparet, communis ſenſûs expers, quam Græcæ litteraturæ rudis es. Paulo poſt eadem voce & de ſervorum ſubjectione uſus eſt idem Apoſtolus in eodem capite, quos non ſolum ſubjectos eſſe vult, cum omni timore, dominis ſuis, qui boni ſunt & clementes, ſed etiam pravis, & dyſcolis. Οἱ οἰκέται ὑποτασσόμενοι ἐν παντὶ φόβῳ τοῖς δεσπόταις, οὐ μόνον τοῖς ἀγαθοῖς καὶ ἐπιεικέσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς. Vides idem ὑποτάσσεσθαι. An putas Pe-

trum heic etiam dicere, non debere eſſe ſubjectos dominis ſuis, niſi legitime ſubjecti ſint. Atqui etiam moroſis & pravis eam ſubjectionem & obedientiam præſtandam docet. Nec minus de Regibus, cum enim omni humanæ ordinationi & poteſtati, ſive Regi ut ſupereminenti, ſive ducibus & judicibus nos ſubjectos eſſe jubet, tam de bonis, quam de malis, intelligere, manifeſtum eſt, cum & de dominis idem præcipiat, tam clementibus, quam difficilibus, ut ſervi ſui cum timore eis ſubjecti ſint. Tamne imperitus es linguæ Græcæ, qui in ea te magnum facis, ut neſcias, ὑποτάσσεσθαι & ὑποταγὴν, de omni, qui ſubjectus alterius imperio eſt ac dominationi, uſurpari? *Suppoſitum* Ovidius dixit, quod eſt ὑποταγή.

Nil ita ſublime eſt, ſupraque pericula tendit,
Inferius quin ſit, ſuppoſitumque Deo.

Τάξις etiam eſt poſitura, unde ὑπόταξις, ſubjectio de re, quæ ſub alia poſita eſt, eique ſubjacet. Quis neſcit, ὑποτάσσειν, eſſe *ſubdere, ſubjicere, ſubigere,* & *ſubjugare:* Et ὑποτεταγμένους Græcis auctoribus appellari, qui Latinis *ſubjecti,* & *ſubditi?* Ibidem ſequitur apud Petrum, *Ut liberi. Non ergo,* ait Miltonus, *ut mancipia.* Immo, ut mancipia. Nam verbo ὑποτάσσεσθαι, tam de ſervis, ſive mancipiis, quam de civibus, qui ſubjecti ſunt Regibus ſuis, utitur. Sed id faciendum eſſe admonet, non liberis, ſed tamquam ſi liberi eſſent, id eſt, libere, & cum omni animi alacritate, non libertate abutentes, nec improbitatis prætextum ipſam libertatem habentes, ſed ſicut ſervos Dei. Servi Dei ſunt, qui voluntatē Dei ſequuntur. Voluntas Dei eſt, ut ſubjecti ſimus Regibus. Sic ergo tamquam ſervi Dei & eius voluntati obſequentes, Reges colere, honorare, iisq; nos ſubjicere debemus, ὡς ἐλεύθεροι, id eſt, libere id facientes, & voluntarie, non coacte. *Rex ille, cui ſubjecti eſſe jubemur, erat Romæ ea tempeſtate Nero Tyrannus. Ergo Tyrannis etiam ſubjecti eſſe debemus.* Optimum argumentum. Quomodo id diluit Miltonus? *At dubium,* inquit, *hoc eſt, Nero, an Claudius tunc temporis rerum potiretur.* Immo, dubium non eſt. Sed fac dubium eſſe. Si Claudius tunc imperabat, an minus Tyrannus, non dico vobis, qui omnes Reges Tyrannos facitis, ſed etiam ipſis Romanis, qui Tyrannum illum paſſi ſunt. Fatuus, ſtultus, ſtolidus, furioſus ille Cæſar fuit, & præterea crudeliſſimus, qui

multos

multos Senatores occidit, qui libertorum ſuorum mancipium ad eorum nutum omnia fecit. Adjicis & aliam rationem, tuam ſemper, id eſt, ineptam, futilem, & falſam. *Et illi, qui ſubjecti eſſe jubentur, advenæ, diſperſi, privati, non conſules, non prætores, non Senatus Romanus erant.* Audi ſemel, Miltone, quod ad omnia ſufficiat. Illi advenæ diſperſi, Judæi fuere, & Judæi quidem jam Chriſtiani. Quod illis ſcripſit Apoſtolus omnibus, qui Chriſti fidem amplexi erant, ſcripſit etiam ex gentibus. Ut contra, quæ à Paulo ſcripta ſunt ad Romanos, ad Corinthios, ad Epheſios, & alios, ad omnes Chriſtianos ſcripta cenſentur, etiam ex Judæis factos. Nulla enim differentia inter Chriſtianos, qui ex Judæis ad fidem venerant, & qui ex gentibus. Unus Chriſtus ex æquo utriſque mortuus. Idem Evangelium his & illis prædicatum. Eadem Doctrina & diſciplina utriſque convenit. *Non Conſules, ais, non Prætores, non Romanus Senatus erant.* Certe non erant, quia tunc nec Conſules, nec Prætores, nec Senatus Chriſtianus fuere. Si fuiſſent, an dubium eſt, quin & ad illos pertinuerint Petri Paulique præcepta? ſane, ut Chriſtianis, eadem obſervatio incumbebat Chriſti præceptorum. An putas, Conſules, Prætores, & Senatores minus ſubjectos fuiſſe tum Cæſari, quam alios privatos, & minorem ipſi obedientiam præbuiſſe? Erras, ſi id putas. Cæſar judicabat de Conſulibus, Prætoribus, & Senatoribus; ut ex multis locis Hiſtoriæ Auguſtæ conſtat: & jure quidem, non Senatores de Cæſaribus, niſi per vim, & ſeditionem, factionemque. Nunc quoniam ita jubes, Miltone, Paulum adeamus, & cognoſcamus, an ille tibi magis faveat, quam Petrus, cujus ſuffragationem infelici ſucceſſu ambiſti. Ipſe Paulus, duobus aliis locis in Epiſtola ad Titum, capitibus ſecundo & tertio, tam de ſervis Domino, quam de civibus Regi ſubjiciendis hoc verbum ὑποτάσσεσθαι poſuit. Δούλους ἰδίοις δεσπόταις ὑποτάσσεσθαι· *Servos Dominis ſuis ſubditos eſſe*, tam fidelibus, quam infidelibus; ut idem patet in prima Epiſtola ad Timotheum, capite ſexto, ubi Δούλους ὑπὸ ζυγὸν vocat, quos heic jubet ὑποτάσσεσθαι, ὅσοι εἰσὶν ὑπὸ ζυγὸν δοῦλοι· *Quicumque ſunt ſub jugo ſervi*, id eſt, ὑποτεταγμένοι. In ea ad Titum hortatur eum, ut *Chriſtianos* illius loci omnes *admoneat ſubjectos eſſe imperiis, ac poteſtatibus.* Ubi idem verbum occurrit, quo ſubjectionem

ſervis imperaverat. Ὑπομίμνησκε αὐτοὺς ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι, πειθαρχεῖν. Hæc ille ad Romanos. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto. Non enim poteſtas eſt, niſi à Deo. Quæ autem ſunt poteſtates, a Deo ſunt ordinatæ. Romanis*, inquit Miltonus, *hæc ſcribit; non, ut Petrus, advenis diſperſis.* Immo, Miltone, ne toties te delirantem feramus, uterque Chriſtianis ſcribit, Paulus Romanis, Petrus Judæis per orbem Romanum diſperſis, ut magna pars tum Judæorum fuit. Ut eadem Doctrina imbutis, & ejuſdem Evangelii conſortibus, ita eodem modo uterque ſcripſit Apoſtolus, & paria dedit præcepta tum circa res alias, tum etiam circa Regibus debitum obſequium. Chryſoſtomum heic allegas, qui locum iſtum explanans dicit; *Hoc facere Apoſtolum, ut oſtendat Chriſtum leges ſuas non ad hoc induxiſſe, ut communem politiam everteret, ſed ut in melius ſtatueret.* Hæc pro Monarchomachis, & Regum carnificibus facere exiſtimas. Immo, contra vos militant. Nec potuit ille Pater vos parricidas Chriſti legibus melius retundere. *Oſtendit*, inquit os illud aureum, *Chriſtum per Apoſtolum ſuum, non ad hæc leges induxiſſe ſuas, ut communem politiam everteret*: id eſt, ut Neronem, aut Tyrannum quemvis alium, tunc regnantem, throno ſuo detraheret; aut quidquam in imperio Romano mutaret, vel innovaret. *Sed ut in melius ſtatueret.* Quomodo melius? Non, ut tu interpretaris; ſed longe aliter, quomodo ipſe Paulus docet, ſuadendo, & admonendo, obedientiam, & ſubjectionem ſupereminentibus poteſtatibus, hoc eſt, Regibus, eſſe præſtandam. Sic enim dum Apoſtoli jubent ſervos Dominis ſuis etiam pravis, etiam dyſcolis, obſequentes eſſe, & ſubjectos, rem, & jus Dominorum ſtabiliunt, & meliori loco conſtituunt. Addit Chryſoſtomus, *Utque ſimul doceret, ſuperflua, & inutilia bella non eſſe ſuſcipienda.* Nempe à populis contra Reges ſuos; quæ non ſolum inutilia ſunt, & ſuperflua, ſed etiam perniicioſa, & exitialia. Contrariam Miltonus ex verbis Aurei Patris concluſionem elicit. *Non ergo*, Inquit, *bella damnat contra Tyrannum, hoſtem patriæ inteſtinum, atque adeo pernicioſiſſimum, ſuſcepta.* Immo & hæc etiam damnat, ſi Apoſtolo, quem exponit, conſona dicere, & ipſe ſibi conſtare velit. Tunc enim Nero regnabat, cui Paulus etiam Romanos jubet eſſe ſubjectos; dum ait, *Poteſtates, quæ tunc erant, etiam à Deo eſſe.* Quæ ſequuntur apud illum, id maxime arguunt, vel potius evincunt,

cunt, Apoſtoli eam non fuiſſe mentem, *bella eſſe ſuſcipienda contra Tyrannum.* Sic enim ait; *Pervulgatus tunc erat hominum ſermo, traducens Apoſtolos, tamquam ſeditioſos, & novatores; quaſi omnia, ad evertendum leges communes, & facerent, & dicerent: his nunc ora obſtruit.* Ergo Apoſtoli Petrus, & Paulus, ut ora obturarent calumniatoribus; qui jactabant eos omnia dicere, & facere ad evertendum Reipublicæ ſtatum, qui tunc obtinebat: etiam Tyrannis, qui tunc imperabant, etiam Neronibus, fidem ſervandam à ſubjectis præceperunt. *Non ergo*, inquit Miltonus, *Tyrannorum defenſiones conſcripſerunt Apoſtoli.* Concedo hoc tibi. Sed, ne apologias pro ipſis parricidaliter occiſis conſcribere neceſſe haberent, adverſus eorum carnifices prævenire, & antevertere fideles voluerunt monitis ſuis, ne quid tale tentarent; ſed potius omnia ſubjectionis ſervitia iis redderent. *Sed ea fecerunt, ea docuerunt, quæ ſuſpecta omnibus Tyrannis, defenſione potius apud illos, & interpretatione quadam egebant.* Impius es erga Apoſtolos, & calumniatores ipſos vincis, qui illos ſuggillabant; cum dicis ea feciſſe, & docuiſſe, quæ defenſione egerent, & interpretatione apud Tyrannos, quibus in ſuſpicionem veniſſent, quaſi novis rebus ſtuderent, & mutatam vellent Reipublicæ formam. Calumniæ iſtæ erant Gentilium, quorum ſermonibus nec cauſam juſtam, nec occaſionem ullam dicto, aut facto præbuerunt Apoſtoli, nedum ut opus habuerint defenſione, qua ſe purgarent. Neque hoc ex illis Chryſoſtomi verbis, quæ adduxit, ulla ratione poteſt colligi, aliquid feciſſe, aut dixiſſe contra poteſtates, quæ tum regnabant, quod ſiniſtre accipi poſſet. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto. Quæ tamen iſta ſint*, ait Miltonus, *non ſtatuit.* Potuitne clarius eloqui, ut eas ſtatueret? An aliquæ erant poteſtates ſupereminentes, præter Imperatorem, aut ſupra illum? Qui ad Romanos ſcribat, an de aliis debuit intelligere, quam quæ apud Romanos in ſupremo gradu ſtabant poteſtatis, & imperii? Præcipue cum Apoſtolus ſtatim adjiciat, Αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσί· *Quæ autem ſunt* (id eſt, *quæ nunc regunt*) *à Deo ſunt conſtitutæ*; vel Nero, vel Claudius, uterque peſſimus. Ut manus autem manum fricat, ita Apoſtolus Apoſtolum explicat, Paulum Petrus. Quærit Miltonus, quæ ſint ipſæ *poteſtates ſupereminentes*, Ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι; & negat, quæ-

nam iſtæ ſint à Paulo ſtatui. Petrus hoc ipſum docebit, qui & eadem voce uſus eſt, & de Rege interpretatur, ſupereminentem eum vocans inter poteſtates, cui Chriſtianos mandat eſſe ſubjectos. [a] Ὑποτάγητε πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, εἴτε Βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν. Ergo inter poteſtates Rex eſt ὑπερέχων. Et hæc eſt ὑπερέχουσα ἐξουσία Pauli, ſupereminens poteſtas, ſupra quam nulla eſt alia, & ſub qua cæteræ omnes, ut ἡγεμόνες, Duces, Præſides, aliique Magiſtratus. Idem Paulus in Epiſtola prima ad Timotheum, capite ſecundo, ubi orandum ait, ὑπὲρ Βασιλέων, καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων. Aliquando ſub nomine Βασιλέων comprehenduntur Imperatores Romani, non ita tamen ſe vocari volebant. Multi autem Reges in Imperio aut amici Romanorum, aut Fœderati, aut Tributarii, ſub quorum dominatu vixiſſe tum plures Chriſtianos veriſimile eſt. Summam aliquam poteſtatem nomine τῶν ἐν ὑπεροχῇ intelligi palam eſt ex his, quæ ſubnexa ſunt. Ideo orandum eſſe pro illis, ut tranquilla, & quieta vita ſub eorum imperio agatur. Fortaſſe etiam minus eſt, ἐν ὑπεροχῇ eſſe, quam ὑπερέχειν. Illud de ſummis Magiſtratibus; hoc proprie de Regibus, qui ſupra Magiſtratus. Quæ mox heic deblatterat Miltonus, non magis ad negotium, de quo heic agitur, pertinent, quam braccæ ad brachia. De bonis Principibus, qui plurimum detulere Senatui; de legis auctoritate; de Republica, in qua lex domina eſt & rerum, & hominum. Tractamus de Rege, & Regis jure, qui legis Dominus eſt, & quem Pythagoreus Auctor νόμον ἔμψυχον appellat, *legem viventem*, & argumenta nobis adducit ex diverſo ſtatûs genere. Eſt ubi lex dominatur, ut in libera, & populari Republica: eſt ubi unius voluntas pro lege eſt, ut in Regio dominatu. Et cum Ariſtoteles in Politicis, & Cicero in legibus, tradunt, leges præeſſe Magiſtratibus, ut Magiſtratus præſunt populo, non intelligunt de ea Republica, in qua ſinguli ſummo cum imperio, & ſuprema poteſtate dominantur. Sed jam ſatis de his diſputatum ſuperius. Falſum eſt proinde; quod heic reponit, & toties jam refutatum eſt, Reges nequaquam ſupra leges eſſe; atque ideo Paulum non ſolum populo ſubjectionem hanc, *Sed etiam Regibus pracipere.* Quo quid ineptius eſt, & magis menti Apoſtoli contrarium excogitari poſſit, nullus video. Ergo leges ſunt poteſtates illæ ſupereminentes, quibus nos ſubjectos eſſe vult Paulus. Leges illæ, hoc eſt, poteſtates à Deo ſunt

ordinatæ.

ordinatæ. *Qui poteſtati reſiſtit*, (id eſt, *legi*) *ordinationi Dei reſiſtit*. Ἄρχοντες, quos ibidem nominat Paulus, ſunt Leges. Lex eſt, quæ *gladium geſtat*; *quæ Dei miniſtra eſt*. *Neceſſe eſt, ut ſubjecti ſimus legi, non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam*. Legi populus tributa ſolvit, ſiquidem eſt Dei miniſtra. Huic legi Reges, ut ſubjecti eſſe debent, haud minus quam populus, ita ei & tributa, ac vectigalia præſtare. Hæc omnia ita accipi, dicique neceſſe eſt; ſi admittimus, Miltone, tua deliria. Non minus prodigioſa ſunt, quæ nobis hoc loco, quaſi cramben recoctam, repetis, & pugnantia more tuo ſemper differis. *A Deo Magiſtratuum eſſe inſtitutionem, ut eorum adminiſtratione gens humana ſub legibus viveret. Hanc autem, vel illam adminiſtrationis formam, hos, vel illos Magiſtratus eligendi optio penes liberas hominum Nationes ſemper fuiſſe*. Quomodo hæc inter ſe conciliata compones, ut ſine pugna diſcedant? A Deo eſt Magiſtratuum inſtitutio. Ergo Deus Magiſtratus inſtituit, & deligit, quorum adminiſtratione gens humana ſub legibus vivat. Ergo & ipſam adminiſtrationem, qualis futura ſit, Deus diſponit, dum & ipſos Magiſtratus, qui ea utantur, conſtituit. Ergo hæc, vel illa adminiſtrationis forma à Deo eſt. Ergo hos, vel illos Magiſtratus Deus eligit, prout ab illo ſtatutum eſt. Si populos hos, vel illos Magiſtratus eligendi optionem habet, & hanc, vel illam adminiſtrationis formam inſtituere, quæ pars erit Deo aut portio in hac inſtitutione & electione Magiſtratuum. Supra volebas hanc eſſe differentiam Regum Judæorum, & aliarum gentium, quod Reges gentium à populo conſtituerentur, Reges Hebræorum, partim à Deo, partim à populo. Heic inſtitutionem eorum vis eſſe à Deo, & electionem à populo. Quod quid ſit, explica, ſi potes. Ut doceas à populo eſſe, Petri auctoritatem adhibes, qui Regem & præſides ἀνθρωπίνην κτίσιν appellat, id eſt, *humanam creaturam*. At nos docuimus ſupra, præſides à Rege, non à populo creari, cum diſerte Petrus ſcribat, iis etiam Chriſtianos ſubjici oportere, tamquam à Rege miſſis ad pœnam de ſceleratis ſumendam. Reges autem à Deo ipſo eſſe ordinatos Pauli locus, qui eſt in manibus, probat. Præterea optimi quique Interpretes ἀνθρωπίνην κτίσιν non ideo dici accipiunt ſummam poteſtatem, quod ab hominibus creata ſit, quam cœlitus dari tota Scriptura teſtatur, tam novi, quam veteris Teſtamenti, ſed quod hominum propria ſit, ab hominibus, & in homines exerceatur. Ut à populo eſſe

probes

probes Magiſtratuum electionem. adfers locum Oſeæ: *Conſtituunt Reges, at non ex me, præficiunt principes, quos non agnoſco.* Adſcribe heic Anglos tuos, rem tenebis ipſam. Hæc enim unice in eos conveniunt. Cæterum, non his evincitur, Reges à populo via ordinaria conſtitui, niſi ſi quando rebellis, factioſus, refractarius, & in priores ſuos dominos impius, alios in eorum locum ſubſtituit, quos Deus non agnoſcat, & ex ſe conſtitutos neget. Tales vos principes præfeciſtis, & in ſolio Regis veſtri Tyrannos & parricidas per vim locaviſtis. Addis continuo & aliud vaticinium ex Entheato tuo ſincipite: *In iſta enim ſola Republica Hebræorum, ubi Deum variis modis conſulere poterant, de Rege nominatim ad Deum referri oportebat.* Gratum faceres, ſi etiam tibi placeret oſtendere, quando hoc factum in Republica Hebræorum, ut nominatim de Rege ad Deum referrent, & quæ lex ipſis ſancita ſit, quæ hanc neceſſitatem imponeret. In regno hæreditario, quale fuit Hebraïcū, non video, quis locus fuerit iſti legi, iſti neceſſitati de Rege nominatim ad Deum referendi. Ne in primo quidem hoc uſitatum, pertæſi Judicum adminiſtrationis, à Samuele Regem petierunt, ut cæteræ gentes habuerunt. Samuel Deum ſuper eorum poſtulatis conſuluit. Deus Regem illis ut conſtituerent, conceſſit, Saulüm in Regem ungi præcepit. Non ipſi Iſraëlitæ nominatim de Saüle, ut eum haberent, ad Deum retulerunt. Quod ſubjungitur ibidem, pro vero agnoſcimus. *Aliquando aut ipſa regiminis forma, ſi vitioſa ſit, aut illi, qui poteſtatem obtinent, & ab hominibus, & à Diabolo ſunt.* Pone heic iterum Anglos tuos, exemplar dederis talis Reipublicæ expreſſiſſimum, quæ ab hominibus ſit, & à diabolo. Quid enim vitioſius hac forma dari poteſt, quæ militaris eſt & Tyrannica? Ille autem, qui illam obtinet, non vitioſus eſt, ſed ipſum vitium, hypocrita, verſipellis, crudelis, ſanguinarius, ἀυτόχρημα Tyrannus, & parricida. Notabis interim heic te dicere, cum vitioſa eſt forma Reipublicæ, ab hominibus eſſe. At paulo ſuperius affirmabas, hanc, vel illam adminiſtrationis formam eligendi, optionem penes populum eſſe. Nunc de ſola, quæ vitioſa ſit, id aſſeris. Locum Chryſoſtomi, unde ſumpſeris, vellem indicaſſes. Nam tua mihi fides ſuſpecta, qui nunquam citare ſoles auctorum teſtimonia, niſi manca, aut depravata. Interim accipimus, quod ait, non omnem principem à Deo conſtitui. Teſtis tuus Cromwellius, quem ſi à Deo conſtitutum aliquis pertenderet: eum ergo, te judice, convincerem, & à diabolo eſſe dicerem. Non probo tamen diſtinctionem Chryſoſtomi, ſi illius eſt, inter poteſtatem & principem. Poteſtatem ideo omnem à Deo ordinatam Paulum dixiſſe, quia non omnis princeps à

Deo

Deo conſtituatur. Quid enim differt poteſtas à Principe? Nam poteſtas heic ponitur pro eo, qui poteſtatem habet, ſive Rex, ſive princeps, ſive præſes, & quicumque alius magiſtratus, qui eſt cum ſummo imperio. Nihil communius hac loquendi formula tam in ſacra Scriptura, quam in profana litteratura. *Conjugium* pro conjuge, *matrimonium* pro uxore, *ſervitium* pro ſervo, *avitium* pro ave, *ludus* pro ludio. Græcis λόγος *ratio* pro rationali. In Scriptura, θρόνοι pro Regibus, Κυριότητες pro dominis, δυνάμεις pro Dynaſtis. Ita ergo & ἐξουσία Paulo pro ἐξουσιαστῇ, & pro illo, qui poteſtatem habet, princeps quilibet, aut Rex, vel monarcha, aut ſummus Magiſtratus. Omnes à Deo, ſive boni, ſive mali. Nam, ut ait Auguſtinus de Civitate Dei, *Quæ cum ita ſint, ne tribuamus dandi regni atque imperii poteſtatem, niſi Deo vero.* Et paulo poſt: *Qui dedit Mario, ipſe & Cæſari: qui Auguſto, hic & Neroni: qui Veſpaſiano, vel patri, vel filio, ſuaviſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo.* Fortaſſean poſtulabit Miltonus, ut addamus, qui dedit Carolo Regi clementiſſimo, dedit & Cromwellio Tyranno ſæviſſimo. Apage. Ex illis eſt, quos à Deo non eſſe conſtitutos dicit Chryſoſtomus, quos & Oſea propheta ait, Deum non agnoſcere. Latro hic & prædo, raptorque, ac direptor regni non ad ſe pertinentis. Si quis porro ſcire cupit, qualis vir ſit Miltonus, & guſtum capere ejus ingenii & doctrinæ, hinc hauriat. Ad hæc verba Apoſtoli, *Quæ autem poteſtates ſunt, à Deo ſunt*: illud ſuum *Ergo* apponit. *Ergo*, inquit, *vult heic intelligi Apoſtolus legitimas:* Malum enim & vitium, cum ataxia ſit, non eſt, ut poſſit ordinari & eſſe ſimul vitioſum. Hoc enim duo ſimul contra ponit, taxin, & ataxiam. Qui te dicunt non belle argumentari, Miltone, ſane falluntur. Egregius es, ut parem non habens in hac arte, neque etiam in Græca & Latina oratione æſtimãda. Quum dixit Apoſtolus, poteſtates à Deo eſſe ordinatas, non intellexit niſi de legitimis, quia ordo non eſt niſi talium. Ita paulo ſupra, cum idem Apoſtolus nos juſſit ſubjectos eſſe poteſtatibus de ſolis legitimis id capiendum eſſe ſtatuit, quia in Græco eſt ὑποτάσσεσθαι, id eſt, *ſubordinari.* At ordo, qui ſubjacet, non poteſt accipi, niſi de legitima ſubjectione. Sed hoc jam refutatum. Si hoc verum eſt, nemo dux poterit ordinare aciem, niſi ex optimis & legitimis militibus. Ordines in prælio non erunt, niſi bonorum & principi ſuo ducique fidelium militum. At quam multos ſub ſignis ordinatos Cromwellius duxit, perfidos, rebelles, impios, & parricidii, quod commiſit, ſocios & conſcios! An pyxides veneno-

rum in officina pharmacopæi non poſſunt ordine collocari, ſed de ſolis pyxidibus, quæ ſalutaria pharmaca continent, id verbi erit uſurpandum. Imperitia tua, Miltone, non poteſt ſatis digne prædicari. Verbũ Græcũ in Apoſtolo eſt, τάσσεσθαι, quod pro ſtatui, conſtitui, deponi, abſolute ponitur, & in ordine etiam collocari. Inde quia τάξις etiam ordo eſt, & rerũ ſuo loco poſitarum ſeries, media Latinitas etiam *ordinare* poſuit, pro ſtatuere quidlibet, & conſtituere. Hinc ordinationes Gallis *ordonnances*, pro ſtatutis Regum & Principum immo etiam Medicorum præſcriptis. Cum igitur in Græcis Apoſtoli ſit, omnes poteſtates à Deo eſſe τεταγμένας, id eſt, conſtitutas, maluit Interpres vulgaris uſitato tunc vocabulo *ordinatas* dicere, ſecundum hujus loquutionis uſum pervulgatum: non ſolum Rex legitimus ordinat & ſtatuit, quod vult, ſed etiam tyrannus Quid, ſi hac voce etiam uſos eſſe optimos Latinitatis auctores oſtendero? Suetonius in Julio. *Eadem licentia, ſpreto patriæ more, quo magiſtratus in plures annos ordinavit.* Aliquis Miltono ſimilis, & æque imperitus, inde argueret, recte à Cæſare magiſtratus illos conſtitutos, quia dixit, eos ordinaſſe. Atqui contra jus & morem patriæ eos ordinaverat. Ita non tantum quod in bonum populi cedit, hic aut ille poteſt ordinare, ſed quod exitio ſit. Vitioſæ & bonæ, injuſtæ & juſtæ dantur ordinationes, ut conſtitutiones & ſtatuta. Quod tamen Deus ordinat, ſemper rectum eſt, ac juſtum. Deus de te ordinet, Miltone, quod voluerit; ſed, ſi quod mereris, vellet ordinare, jam ad furcam rapiendus carnifici tuo præires. Sed recte atque ordine fecit, quod te cæcitate vivum damnavit, ſic melius pœnam tuam ſenties. Nunc Salmaſium cornu petis, quod, *quæ autem ſunt*, apud Apoſtolũ ita interpretatus ſit, ac ſi diceretur, *quæ nũc ſũt*. An aliter, dic mihi, poteſt accipi? Dixit primo Apoſtolus, *Non eſt poteſtas, niſi à Deo*. Hæc generalis poſitio, de omnibus omnino poteſtatibus, etiam de his, quæ futuræ ſunt. Ne quis autem poſſet argutari, hoc non debere trahi ad eas, quæ tunc eſſent, quia peſſimas eſſe omnium confeſſione conſtaret, ne quid ſcrupuli reſtaret in animis eorum ad quos ſcribit, id eſt Romanorum, ſtatim ſubjunxit, Αἱ δὲ οὖσαι ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν. Quæ verba, niſi eodem modo intelligerentur ut cenſuit Salmaſius, ſuperflua prorſus viderentur, cum præceſſerit, οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ. At *quæ ſunt*, non poteſt aliter exponi quã *quæ nũc ſũt*. Nã quæ ſũt, ita diſtinguuntur ab his quæ fuere, & ab his, quæ futura ſunt. Nam quæ ſunt, nunc ſunt, hodie ſunt. Sed ita Salmaſium voluiſſe interpretari Miltonus

obj

objectat, *quo facilius probare poſset, etiam Neroni, qui tunc, ut opinatur, imperabat, Romanos obtemperare debuiſſe.* Sed eſto. Ne Nero tunc imperaverit, ſed Claudius, quid inde ad cauſam tuam rapies, quod in lucro tibi ſit? An Claudius bonus Imperator? Immo peſſimus, præter ſtultitiam & ſtupiditatem, quæ nota in eo vitia, *ſævum & ſanguinarium minimis & maximis rebus apparuiſſe* ſcribit in ejus vita Suetonius. Quod tibi inde lucro apponis, hoc eſt, quod petis concedi vobis debere, in ea Anglicana Republica, quæ nunc eſt, poſſe Anglos acquieſcere, quia *à Deo ſic ordinata eſt.* A Deo, maledicte parricida! Æque bono jure tibi concederetur, furem eſſe legitimum poſſeſſorem rei furtivæ, & prædonem bonorum vi raptorum, & eos, qui nunc in Anglia dominantur, poſſeſſionem juſtam nunc habere regni, quod vi & armis occuparunt, videri poſtulas. De Nerone, aut Claudio aliud juris eſt. Ad Cæſarum familiam pertinebant, quaſi bona fide Imperii poſſeſſores erant, hæreditate ad ſe devoluti longi temporis præſcriptione, & per uſucapionem illud tenebant. Scio, per leges rei vi poſſeſſæ uſucapionem inhiberi. Ante legem Juliam & Plautinam uſucapio in his locum habuit. In Imperiis autem & regnis vi poſſeſſis & jure armorum aliud obſervatum, communi gentium conſenſu, quam quod jure civili in rebus privatis conſtitutum eſt. Nam niſi in illis uſucapio & longi temporis præſcriptio valeret, nulla hodie reſpublica, nullus regalis ſtatus legitime conſtitutus videretur. Nam omnes fere initium à violenta uſurpatione ſumpſere. At vivunt hodie domini, quos legitima regni ſucceſſione & hæreditate defraudavit infamis reipublicæ Anglicanæ inceſſor & incubator; ſanguinolentas adhuc manus habet cruore Regis, quem ſolio avito vitaq; deturbavit. Pauli dices ſimiles eſſe miniſtros illos Evangelicos, qui ei adulantur, & Moſem alterum indigitant. Verte omnes tete in facies, ſi potes, nunquam aliter locum Pauli intelligi debere, cuiquam perſuadebis, quam quomodo Salmaſius docuit exponendum. Fugit te ratio, cum emendationem ejus appellas, quæ ſimplex fuit explicatio. Sive autem Nero, ſive Claudius tunc imperavit, ei Chriſtianos illius temporis, Romanos ſubjectos eſſe debere ibi pronuntiavit Apoſtolus. Quod autem Claudium, *principem ſimplicem, & minime malum fuiſſe* ais, ſi comparetur cum veſtro Cromwellio, adſentior tibi libens, qui omnes calliditate & ſævitia vincit. Alias ſævũ illũ Cæſarem & ſanguinariũ fuiſſe ex Suetonio, vitæ ejus idoneo ſcriptore, jam tibi oſtendimus. Sequitur apud Paulum, *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*: poteſtati, inquis, legitimæ. Sic enim ſubintelligendum. Pereas male cum iſtis tuis

ſubauditionibus,

ſubauditionibus,ita nequã es,atque imperitus.Mire ambiguũ & obſcurum fuiſſe Apoſtolum oportet,aut etiam valde meticuloſũ,& ſuperſtitioſũ,qui cum ſolis poteſtatibus legitimis Chriſtianos admoneret obſequium, & ὑποταγὴν præbere, non auſus ſit id aperte exprimere. Quinimmo contrarium plane expreſſiſſe deprehenditur, cum illis poteſtatibus, quæ tunc regnabant, Neroni nempe alicui,& Claudio Romanos ſubjici & obedire hortatur. Quænam igitur fuere tunc poteſtates legitimæ præter Imperatores Romanos, quibus ad Romanos ſcribens Apoſtolus, eos ſubjicere debuiſſe videtur. An poteſtas alia Romanis tunc illo tempore præfuit, aut legitima,aut illegitima? Immo,ſi Miltonô credimus,vel maxime legitima,nempe lex ipſa. *Adſtringit*, inquit, *etiam Reges præceptum hoc, qui legibus & Senatui obſiſtunt*. Ergo ad Romanos Imperatores hæc Epiſtola à Paulo ſcripta eſt. Quos etiam hoc loco hortatur, ut poteſtatibus ſupereminentibus pareant,& ſubjecti ſint,hoc eſt, legibus & Senatui. Qui poteſtati reſiſtit, legi reſiſtit, id eſt, Dei ordinationi, quia Deus legem ordinavit. Etiam qui Senatui obſiſtit, Deo obſiſtit,quia Senatus Dei ordinatio eſt. At Regi adverſari ſcilicet, & contra eum rebellare, hoc nihil eſt, quia non ordinatur à Deô, præcipue apud gentes, ut nec apud omnes hodie Chriſtianas nationes, quarum Reges ſimiles ſunt, quantum ad hoc, gentium Regibus, ut placet Miltono. Sed cur, Miltone,jam te alloquor,libuit tibi Reges legibus & Senatui adſtringere? Nonne ſatis fuit legibus eos ſubjicere? De Senatu ipſo quid dices? utrum & ipſum legibus adſtrictum fateberis, an ſolutum legibus affirmabis? Si tibi conſtare voles,ſine dubio legibus eum ſubmittes. Nam ſupra multis probare contendiſti,legem *omnium* eſſe *reginam*. Ergo & Senatus *ſolum viventium gubernaculum tenere*. Inter viventes etiam Senatus eſt. Plus etiam dicis ex Orpheo, *Non ſolum mortalium, ſed etiam immortalium dominam haberi*. Sed oblitus es ibi monere ex verſu Orphei,quem citaſti, legem illam, quæ mortalium ſimul & immortalium Regina eſt, non eſſe humanam aliquam legem,ſed cœleſtem. Vis tibi ob oculos poni verſum illum,ut in eo nunc legas, quod tunc neglexiſti. Atqui oculos non habes. Audi igitur me recitantem, ſi aures habes,

Ἀθανάτων καλέω καὶ θνητῶν ἁγνὸν ἄνακτα,
Οὐράνιον νόμον.

Immortalium invoco, & mortalium caſtam reginam,
Cæleſtem legem.

Et

Ex Platone affers, τὸ κρατοῦν ἐν τῇ πόλει, *quod in urbe dominatur*, legem eſſe. Ergo & Senatus legibus tenetur, qui pars eſt civitatis. Sed jam non licet tibi Senatum legibus ſolutum dare, cum ibidem ipſiſſimis his verbis confirmaveris ex Ariſtotelis & Ciceronis auctoritate, *ita leges praeeſſe Magiſtratibus, ut Magiſtratus præſunt populo*. Senatus autem tibi, ſi quid mens veri de te auguratur, in Magiſtratibus ponitur. Tenemus ergo jam Senatum ſubjectum legibus, ut & Regem ipſum. Quid ergo heic opus fuit, miſeros Reges tam legibus, quam Senatui ſupponere? Cur etiam eo loco, ubi de poteſtate legum diſſerebas, ſcripſiſti, *Optimum quemque Imperatorem, auctoritatem legum, & Senatum auctoritate ſua ſemper ſuperiorem agnoviſſe?* Si Senatus ipſe legibus tenetur, haud minus quam Imperator, non erat neceſſe Senatûs auctoritatem ſupra Imperatorem ponere, cum ambo ex æquo iiſdem legibus parere debeant, legibus pariter teneantur. Sic ſane ambo pares ſunt, Rex & Senatus, eosdemque ambo dominos agnoſcunt, nempe leges, tam Rege, quam Senatu ſuperiores. Sed quem locum inter Senatores aſſignabis Imperatori, ſi quando velit Senatui intereſſe? Primumne, an ultimum? Non dixeris ultimum, niſi inſanias. Quis enim non ſic mallet Senator vel ultimus eſſe, quam Rex, vel Imperator? Ergo ſaltem primus erit in eo ordine. *Principem Senatûs* vocabant Romani etiam ſtante Republica, ne forte heic ſomnies Principatum Regium, ut Salmaſio nuper tamquam crimen objeciſti, quod Petrum *Apoſtolicæ coronæ Principem* appellaſſet. Rex ergo, ut primus & Princeps Senatûs, non erit magis Senatui obnoxius & ſubjectus, quam Senatus ipſi. Sed uterque legem agnoſcent ſibi imperare, & dominam reginamque ſuam fatebuntur. Ita in familia dominædii, οἰκοδεσπότης eſt Græciæ, cum plures eſſent famuli, unus in ordine ſervorum priorem & honeſtiorem locum obtinebat, quem προύικον Græci vocant, Latini, ut notat Donatus in Terentium, *majorem domûs*, ut *majorem Monaſterii* tunc nuncupabant, qui nunc *prior* dicitur. Nec alio ſenſu *majores urbium* dicebantur, id eſt, præfecti, & *major palatii* ſub Gallicis Regibus primæ ſtirpis. Major ille domûs ſervus, ſive diſpenſatoris in urbe nomen & officium haberet, ſive villici ruri, cæteris ſervis, quotcumque numero eſſent, non erat ſubjectus, ſed eumdem cum omnibus illis Dominum cogebatur agnoſcere. Idem ſit de Rege, ſive Imperatore, vel Romano, vel alio quovis. Primum in Senatu locum obtineat, & primatum ordinis teneat. Non habeatur major Senatu, ſed non etiam minor ſit. Non eſt ſub-

jectus Senatui, quia ſubjectus eſt legi, cui & Senatus ſubjicitur. Si Senatus legibus eſt adſtrictus, cur veſter Anglicanus ſe ſupra leges poſuit, & contra leges fecit, cum Regem, qui ei ſubjectus non fuit, capitis condemnavit, & per carnificem necavit, cum nulla lex Regni id permitteret: ſed è contrario, lex Majeſtatis in eo regno ſemper obſervata, mortis pœna affici jubeat eum, qui necem Regis vel ſola cogitatione meditatus fuerat, & conſilium de illo necando cum aliquo habuerat, etiamſi id exequutus non foret? Apparet, te omnia hæc, quæ ſub nomine Senatûs Romani adumbraſti, eo fine dixiſſe, ut auctoritatem ſupremam Senatui Anglicano, ſive Parlamento conciliares, & factum ejus impium & parricidale defenderes. Ideo vim facis heic verbis & menti Apoſtoli, ut ille Senatus vim attulit vitæ Regis. Ideo poteſtates pro legibus accipis; & Regem qui poteſtati reſiſtit, legi & Senatui reſiſtere dicis, & per hoc Deo, quia Deus ordinavit legem & Senatum. Sed veſter Senatus, Miltone, aut legibus ſolutus eſt, aut legibus adſtrictus; legibus ſolutum non potes affirmare, cum id nulli Magiſtratui concedas, qui ne Imperatoribus quidē Romanis, qui αὐτοκράτορες dicebantur, hoc tribui velis, nec ulli omnino Regi. Si legibus tenetur Senatus Anglicanus, debuit leges Regni obſervare, quæ regiam majeſtatem ab omni injuria dicti vel facti ſartam tectamque conſervari ſanciunt, & quæ formam regiminis Regii in Anglia ab omni ævo ſtabilitam approbarunt, & confirmarunt. Si dixeris ad eas leges ſervandas, quæ antea vigebant, nulla obligatione fuiſſe adſtrictum, hoc ipſo declaras illum ſupra leges eſſe, quod antea negabas. Si ſupra leges, ergo legum ferendarum ſolus habet poteſtatem. Si populo hoc jus dederis, popularem ſemper in Anglia fuiſſe Reipublicæ ſtatum concedas, oportet. Nam qui legem facit, lege major eſt, & ſuperior. Qui facit autem & procurat, ut vim ſuam lex exerat, & exequutioni mandetur, poteſtatem habet fere parem illi, qui legem condit. Utrum Rex utrumque habuit, an Senatus apud vos, an uterque conjunctim? Quocumque modo fuerit, non poteris vincula diſſolvere, quibus te illaqueaſti. Sed poterit melius carnifex te expedire non laqueum ſolvendo, ſed recte gulam tibi ſtringere. Sic certe meritus. Sed de Senatu Anglicano infra; nunc ſumus in Romano, cui Paulus Imperatores, ſi Miltono fides eſt, ſubjectos debere eſſe pronuntiat. Quod illi placuit non alio fine, quam ut inde adſtrueret, Senatui quoque Anglicano, id eſt, Parlamento, Reges Angliæ de jure fuiſſe adſtrictos & ſubjectos. Sed audi, Miltone, quoniam videre non potes, cum hæc ſcribebat Paulus ad Romanos, cujus tunc

Romæ.

Romæ prior fuit auctoritas, & potior poteſtas, Imperatoris, an Senatûs? Uno verbo, quis imperabat, utrum Senatus, an ipſe, qui ſic dicebatur Imperator? Certe vel Hiſtoriæ rerumque illius temporis ignarus, vel ſolo nomine inductus, conjectabit, ſi affirmare minus poterit, Imperatorem imperaſſe. At omnes ſani peritique id affirmabunt. Si ille igitur in tempore, quo Epiſtolam Romanis ſcripſit Apoſtolus, non Imperator Senatui, ſed Senatus Imperatori ſubjectus fuit, credisque Paulum ſine crimine, ſaltem ſine metu & periculo potuiſſe Romanos hortari, ut rebellionem facerent, & jugum Cæſaris excuterent, perſuadendo illis, quod ſuperiores eſſent Imperatori, quod ei deberent obſiſtere. Contra, ſi Cæſar eis reſiſtere & adverſari præſumeret, contra Dei ordinationem eſſe venturum. Ut hæc conſiſtant, & veri aliquam ſimilitudinem præ ſe ferant, quinam illi Romani fuere, ad quos Epiſtolam direxit Paulus? Chriſtianos reſpondebis. Magiſtratum, an privatos? Certe privatos, quia nulli tunc Magiſtratus Chriſto nomen dederant. Multo minus Imperatorem ipſum Romanũ alloqui ea Epiſtola exiſtimandus eſt. Quomodo igitur præceptum illud Pauli Reges alligare poteſt videri, quo dicitur, qui poteſtati obſiſtit, Dei ordinationi reſiſtere? An aliquis color, vel umbra aliqua rationis potis eſt nos inducere, ut credamus, Paulũ ibi voluiſſe dicere, Reges ſubjectos eſſe debere Senatui, & qui Senatui reſiſtunt, Dei ordinationi reſiſtere? Admiſſa ſemel hac licentia Scripturas interpretandi, nulla eſt Hæreſis tam execranda, quæ non poſſit auctoritate verbi divini confirmari. Omnes hactenus crediderunt, eo præcepto Apoſtoli, omnem animam ſubjectam eſſe poteſtatibus ſupereminentibus, id eſt, Regibus, & aliis Magiſtratibus, qui cum imperio ſummo Rempublicam adminiſtrant, ecce unus Miltonus poſt tot ſæcula & tot interpretes, qui contrariam in verbis Pauli ſententiam ſibi reperiſſe viſus eſt, & non populum Regibus, ſed Reges populo ſubjectos eſſe oportere, inde eruit. Valeat Scriptura, ſi Faniaticis eam permittimus explicandam. Sed næ ego inepto ſum ineptior, qui ſerram hanc reciprocare inſtituam cum pectore, ſive pecore potius, tam incapace ſenſûs communis, & tam capace omnis impietatis & Blaſphemiæ. Sed quid opponet Petro, qui plane conſpiravit cum Paulo in hoc præcepto edendo circa obedientiam & ſubjectionem, quæ Regibus debetur? Dixit ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, poteſtatibus ſupereminentibus, omnem animã debere eſſe ſubjectam. Hoc idem Petrus præcepit, & quænam eſſent illæ ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι, aperte enuntiavit, dicendo, Βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι, ſubjectos Chriſtianos eſſe debere

debere, & ἡγεμόσι, hoc eſt, præſidibus ejus, & ducibus per eum mitti ſoliris, flagitioſis puniendis. Paulus tam Reges, quam ejus præſides & Magiſtratus ab eo conſtitutos appellatione ἐξουσιῶν ὑπερεχουσῶν complexus. In Epiſtola ad Titum ἀρχὰς & ἐξουσίας appellavit, ubi ſimiliter ἀρχαῖς & ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι monet debere Chriſtianos, ad quos loquitur, imperiis & poteſtatibus. An & heic Reges Paulus obligat, ut ſubjecti ſint Senatui & legibus? Quis enim leges appellatione ἐξουσιῶν & ἀρχῶν meminit, uſpiam nuncupatas? Quænam ἐξουσία aut ἀρχὴ major regali unquam audita, aut viſa? Finge jam aliquem colorem, Miltone, quo defendas tam portentoſam tuam expoſitionem. *At vero, inquit, qui poteſtati vitioſa, aut poteſtatis non vitioſæ corruptori & everſori obſiſtit, an is Dei ordinationi obſiſtit? Sanus, credo, non dixeris.* Immo nemo, niſi inſanus, aliter dixerit, qui didicerit Dei ordinationi hoc eſſe conſentaneum, ut tam malis quam bonis Regibus fideles obediant, & ſubjecti ſint, divinis illis & Apoſtolicis præceptis perſuaſi conſenſu accedente omnium Eccleſiæ paſtorum, patrum, & doctorum, qui hanc Doctrinam conſtanter tenuerunt, & ſcriptis prodiderunt. Sed ſoli ſani Angli, immo & ſancti. Deus talem ſanitatem ſanctitatemque piorum animis avertat, & in capita inimicorum vertat. Miltonus ſanctus Anglus, tolli omnem dubitationem ſequente verſiculo, quo evincitur, *De legitima tantum poteſtate Apoſtolum loqui: definire enim qui ſint magiſtratus poteſtatis hujus Miniſtri.* Cujus poteſtatis, qui Miniſtri? An poteſtatem de lege accipi vult? An de Senatu? Nam utrumque conjunxit ſupra cum utique Reges adſtrictos eſſe perhibet, & *ſtolidas opiniones* vocat, quæ aliud ſtatuunt. Verba Pauli: *Magiſtratus non ſunt timori bonis operibus, ſed malis; boni à poteſtate hac laudem adipiſcentur. Magiſtratus miniſter eſt Dei noſtro bono datus; non fruſtra gladium gerit, vindex ad iram ei, qui malum facit.* Ita citat locum Pauli, quem & interpolavit; ut ſolet omnia, quæ adducit, Scripturæ Teſtimonia, in alia facie producere, & monſtruoſas iis interpretationes affingere. Sic Paulus habet. *Nam Magiſtratus non ſunt timori bonis operibus, ſed malis. Vis autem non metuere poteſtatem? Quod bonum eſt, facito, & laudem ab ipſa obtinebis. Dei enim miniſter eſt, tuo bono. Quod ſi feceris quod malum eſt, metue, non enim fruſtra gladium gerit.* Hos Magiſtratus, à qua poteſtate creatos cenſeat Miltonus, incertum eſt. Legem, ut dixi, & Senatum ſimul nominavit. Nam &

po-

teſtatem legem eſſe, explicat, & quidem legitimam. Sed lex gladium non gerit. Senatus igitur hos Magiſtratus conſtituerit. Et Senatus quoque poteſtas ipſi legitima. Sed cur Imperatores non erunt hi Magiſtratus? An eo tempore non fuit ullus Cæſar Romæ, qui Magiſtratus crearet, & jurisdictionem illis mandaret, Senatumque ipſum in ſua poteſtate haberet? Si fuit, cur Paulus de eo non intellexit? Cur prætermiſit? An quia Cæſarem pro legitima poteſtate non habuit? An etiam, quia Cæſarem Senatui ſubjecit, & legibus? Ita jubet cor cucumeraceum Miltoni. Potuitne hoc perſuadere Romanis Chriſtianis Apoſtolus, uti Senatum loco Imperatoris haberent, & Magiſtratus ab eo conſtitui crederent, & Imperatori leges ponere, & de eo judicare, & juriſdictionem præſidibus provinciarum imperiumque mandare, Cæſare inconſulto, & ignaro? Tam pepones non ſumus, ut à cucurbita talem perſuaſionem imbibamus. Ne Romanis quidem tum Paulus id potuiſſet inſinuare, nec ſane voluiſſet. Imperator de Senatorum capite judicabat, non Senatores de Imperatore cognoſcebant, tantum abeſt, ut iis ſubjectus eſſet. Senatum judicem ipſi dabant, eique cognitionem, quarum vellent, cauſarum delegabant. Quis melior Marco Antonino Imperator? Hujus auctoritatem non defugiet Miltonus, quem miris laudibus paulo ante ad cœlum ferebat. Is tamen, teſte Capitolino in ejus vita, *Senatum appellationibus à Conſule factis judicem dabat.* Id eſt, Senatum de cauſis eorum, qui appellaverant à judicio Conſulis, cognoſcere jubebat. Idem Imperator, auctore Capitolino, *Hoc Senatoribus detulit, ut quoties de eorum capite eſſet judicandum, ſecreto pertractaret, atque ita prodiret in publicum, nec pateretur Equites Romanos talibus cauſis intereſſe.* Ergo in arbitrio Imperatoris poſitum erat, quos vellet judices Senatoribus dare, Senatores ipſos, an Equites Romanos. Qui favebant Senatui, aut ipſi de capite Senatorum judicabant, aut Senatores illis judices dabant; non Equites, quia minores. Alias Præfecti prætorio, qui ex equeſtri tantum ordine ſumebantur, & qui officium ſuum ſoli Imperatori acceptum ferebant, de cauſis & capite Senatorum ſolebant cognoſcere. Bonus autem Imperator Alexander Mammeæ, & qui plurimum deferebat Senatui. *Ne quis non Senator de Romano Senatore iudicaret,* ut ſcribit Lampridius in ejus vita, *Senatores eſſe voluit præfectos prætorii ſui.* Adrianus, qui medius inter bonos & malos Cæſares, *Equites Romanos nec ſine ſe de Senatoribus, nec ſecum judicare permiſit.* Id eſt, nunquam voluit, Equites de Senatoribus judicare. Senatores ipſi faciebant. Unde & Spartianus in Adriano. Senatûs faſtigium in tantum extulit,

difficile

difficile faciens Senatores, ut cum Tatianum, *ex Præfecto prætorii ornamentis conſularibus præditum, faceret Senatorem, nihil ſe amplius habere, quod in eum conferri poſſet, oſtenderit*. Etiam præfectos urbis faciebat, & viventibus ſucceſſores dabat, ut conſtat ex vita Antonini Pii. Hæ duæ præcipuæ in urbe fuere dignitates, & poteſtates, poſt conſulatum, quem & ipſe Cæſar quibus vellet, dabat. Nam & præſides, legatos, duces, aliasque omnes eminentes dignitates tam in urbe, quam in Provinciis conſtituebat, tam civiles & Palatinas, quam bellicas; ut etiam liquet ex vita Heliogabali, qui non ibi reprehenditur, quod eas omnes dignitates crearet, ſed quod ignobilibus hominibus, & perditis eas conferret. *Omnes*, inquit, *dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum*. Alexander ille Mammeæ habebat ſemper in ore hæc verba; *Ego de præfectorum & conſulum & ſenatorum capitibus mancipia ære empta judicare non patiar*. Quia ipſe de his judicabat, ut ante vidimus. Præfectos prætorio & urbi intelligit, de quorum capitibus, ut & de Senatorum, Princeps judicabat. Nullis Magiſtratibus libera ſub Imperatoribus juriſdictio fuit, ſed ſemper cum appellatione Cæſaris. Jus ipſi aliquando reddebant ex appellatione, aliquando & quibus vellent judicibus de iis cognitionem mandabant, aut conſulibus, aut conſularibus aliquot viris ad hoc ab ipſo nominatis. Cum jus dicebant, præſcripta legum non ſequebantur, ſed ex æquo & bono judicia moderabantur, leges vel ex integro ſanciebant, vel veteres *************

Cætera deſunt in Autographo.